Mnemosyne

Ernst Julius Kiehl, Carel Gabriel Cobet, Hendrik ...


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

VA.

N.

EN,

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN, J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ, M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM SECUNDUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1904.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO ANTEHAC E. J. BRILL.

INDEX

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

DEMOSTHENEM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e Vol. XXXI pag.* 452.)

ΠΡΟΣ ΦΟΡΜΙΩΝΑ.

§ 9 p. 909: *τοῦ ναυκλήρου κελεύοντος αὐτὸν κατὰ τὴν συγγραφὴν ἐντίθεσθαι τὰ ἀγοράσματα τῶν ἐμῶν χρημάτων.* Recte sane legitur § 33 p. 915: *καὶ γὰρ ἐνθέσθαι τἀγοράσματα εἰς τὴν ναῦν κελεύει σε*, sed propter Lacrit. § 24 p. 931: *ἀνταγοράζειν χρήματα καὶ ἀντιφορτίζειν καὶ ἀπάγειν Ἀθήναζε τὰ ἀντιφορτισθέντα*, illic malo: *τἀνταγοράσματα τῶν ἐμῶν χρημάτων.*

§ 9 p. 909: *αὐτὸς δὲ ἐφ᾽ ἑτέρας νεὼς ἔφη ἐκπλεύσεσθαι.* Immo: *καταπλεύσεσθαι*, vide v. c. Zenoth. § 11 p. 885: *ἔπραττεν ὅπως ἡ ναῦς μὴ καταπλεύσεται δεῦρο* et § 14 p. 886: *γνόντων Κεφαλλήνων ὅθεν ἐξέπλευσε τὸ πλοῖον, ἐνταῦθα καὶ καταπλεῖν αὐτό.*

§ 10 p. 910: *ἀπώλεσε δὲ πλέον ἢ τριάκοντα σώματα ἐλεύθερα χωρὶς τῶν ἄλλων.* Sic Blassius locum edidit, de quo multiplices virorum doctorum dubitationes fuerunt. Ac primum omnium sciendum est, *τριάκοντα* fluxisse ex margine Ed. Paris. a. 1570, cum vulgata lectio *τριακόσια* sit, Codex Augustanus

solus habeat διακόσια· accessit autem ἐλεύθερα ex codice Augustano et libro Paris. 2936. Hic Reiskium audiamus: „Addidi", inquit, „ἐλεύθερα. Quod si probatur, referetur τῶν ἄλλων ad σωμάτων tacite subaudiendum: sin minus, necesse erit non σωμάτων, sed φορτίων subaudiri. Etiam in numero corporum variatur. Alii διακόσια dant, alii τριάκοντα, cum quibus facio. Nam incredibile est tercentos vel et ducentos modo liberos homines in una nave mercatoria conclusos fuisse. Qui si tot fuere, consentaneum duplo aut triplo plura fuisse mancipia. Ecquae autem navis mercatoria tot homines capiat, cum maximae quaeque naves bellicae non legantur ultra centum viginti homines cepisse?" Festinanter haec scripsit Reiskius; etenim longae naves plures mortales capiebant quam centum viginti et, quod ad onerarias naves attinet, navis qua vehebatur Paulus Apostolus, Act. Apost. XXVII 37, vehebat homines 276, nec quidquam est cur corruptum numerum esse putemus, etiamsi alii codices capita tantum 76 repraesentent, nam navis qua Flavius Iosephus in Italiam profectus est, Vit. § 15, continebat homines circiter sexcentos. Sed pergit Reiskius sua sibi vineta caedere sibique quodammodo obloquitur: „Mancipia e Ponto magno numero quotannis exportata et quaquaversum divendita olim fuisse, quod idem hodie quoque fit, notum et pervulgatum est." Sed quantum video, Reiskius ante Blassium nemini persuasit et tum Bekkerus, tum G. H. Schäferus vocabulum dubiae fidei ἐλεύθερα ex textu expulerunt. Recte, credo. Quid enim? Erat Λάμπις, § 5 p. 908: Δίωνος οἰκέτης· iam legimus de hoc homine qui ne ingenuus quidem erat ac fortasse libertinus: ἀπώλεσε δὲ πλέον ἢ τριάκοντα σώματα. Verum de liberis hominibus non usurpavisset orator activam formam, sed neutram: ἀπώλετο δὲ πλέον ἢ τριάκοντα σώματα. Ipse Lampis ἀπεσώθη ἐν τῷ λέμβῳ μετὰ τῶν ἄλλων παίδων τοῦ Δίωνος· reliqui omnes, pauci credo, ingenui cum mancipiis quae Lampis in Graeciam adducebat, una periere. De ipso numero nil definire ausim, sed placet *maior* numerus hominum ducentum vel tercentum, quum mox legamus πένθος ἐν τῷ Βοσπόρῳ fuisse, ὡς ἐπύθοντο τὴν διαφθορὰν τῆς νεώς. — Restat illud χωρὶς τῶν ἄλλων, quod libenter refinxerim: χωρὶς τῶν ἀγομένων· *praeter mercimonia.*

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN TRICESIMUM SECUNDUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1904.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO ANTEHAC E. J. BRILL.

INDEX

OBSERVATIONES CRITICAE
AD
DEMOSTHENEM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

(*Continuantur e Vol. XXXI pag.* 452.)

ΠΡΟΣ ΦΟΡΜΙΩΝΑ.

§ 9 p. 909: *τοῦ ναυκλήρου κελεύοντος αὐτὸν κατὰ τὴν συγγραφὴν ἐντίθεσθαι τὰ ἀγοράσματα τῶν ἐμῶν χρημάτων.* Recte sane legitur § 33 p. 915: *καὶ γὰρ ἐνθέσθαι τἀγοράσματα εἰς τὴν ναῦν κελεύει σε*, sed propter Lacrit. § 24 p. 931: *ἀνταγοράζειν χρήματα καὶ ἀντιφορτίζειν καὶ ἀπάγειν Ἀθήναζε τὰ ἀντιφορτισθέντα*, illic malo: *τἀνταγοράσματα τῶν ἐμῶν χρημάτων.*

§ 9 p. 909: *αὐτὸς δὲ ἐφ' ἑτέρας νεὼς ἔφη ἐκπλεύσεσθαι.* Immo: *καταπλεύσεσθαι*, vide v. c. Zenoth. § 11 p. 885: *ἔπραττεν ὅπως ἡ ναῦς μὴ καταπλεύσεται δεῦρο* et § 14 p. 886: *γνόντων Κεφαλλήνων ὅθεν ἐξέπλευσε τὸ πλοῖον, ἐνταῦθα καὶ καταπλεῖν αὐτό.*

§ 10 p. 910: *ἀπώλεσε δὲ πλέον ἢ τριάκοντα σώματα ἐλεύθερα χωρὶς τῶν ἄλλων.* Sic Blassius locum edidit, de quo multiplices virorum doctorum dubitationes fuerunt. Ac primum omnium sciendum est, *τριάκοντα* fluxisse ex margine Ed. Paris. a. 1570, cum vulgata lectio *τριακόσια* sit, Codex Augustanus

solus habeat *διακόσια*· accessit autem *ἐλεύθερα* ex codice Augustano et libro Paris. 2936. Hic Reiskium audiamus: „Addidi", inquit, „*ἐλεύθερα*. Quod si probatur, referetur *τῶν ἄλλων* ad *σωμάτων* tacite subaudiendum: sin minus, necesse erit non *σωμάτων*, sed *Φορτίων* subaudiri. Etiam in numero corporum variatur. Alii *διακόσια* dant, alii *τριάκοντα*, cum quibus facio. Nam incredibile est tercentos vel et ducentos modo liberos homines in una nave mercatoria conclusos fuisse. Qui si tot fuere, consentaneum duplo aut triplo plura fuisse mancipia. Ecquae autem navis mercatoria tot homines capiat, cum maximae quaeque naves bellicae non legantur ultra centum viginti homines cepisse?" Festinanter haec scripsit Reiskius; etenim longae naves plures mortales capiebant quam centum viginti et, quod ad onerarias naves attinet, navis qua vehebatur Paulus Apostolus, Act. Apost. XXVII 37, vehebat homines 276, nec quidquam est cur corruptum numerum esse putemus, etiamsi alii codices capita tantum 76 repraesentent, nam navis qua Flavius Iosephus in Italiam profectus est, Vit. § 15, continebat homines circiter sexcentos. Sed pergit Reiskius sua sibi vineta caedere sibique quodammodo obloquitur: „Mancipia e Ponto magno numero quotannis exportata et quaquaversum divendita olim fuisse, quod idem hodie quoque fit, notum et pervulgatum est." Sed quantum video, Reiskius ante Blassium nemini persuasit et tum Bekkerus, tum G. H. Schäferus vocabulum dubiae fidei *ἐλεύθερα* ex textu expulerunt. Recte, credo. Quid enim? Erat *Λάμπις*, § 5 p. 908: *Δίωνος οἰκέτης*· iam legimus de hoc homine qui ne ingenuus quidem erat ac fortasse libertinus: *ἀπώλεσε δὲ πλέον ἢ τριάκοντα σώματα*. Verum de liberis hominibus non usurpavisset orator activam formam, sed neutram: *ἀπώλετο δὲ πλέον ἢ τριάκοντα σώματα*. Ipse Lampis *ἀπεσώθη ἐν τῷ λέμβῳ μετὰ τῶν ἄλλων παίδων τοῦ Δίωνος*· reliqui omnes, pauci credo, ingenui cum mancipiis quae Lampis in Graeciam adducebat, una periere. De ipso numero nil definire ausim, sed placet *maior* numerus hominum ducentum vel tercentum, quum mox legamus *πένθος ἐν τῷ Βοσπόρῳ* fuisse, *ὡς ἐπύθοντο τὴν διαΦθορὰν τῆς νεώς*. — Restat illud *χωρὶς τῶν ἄλλων*, quod libenter refinxerim: *χωρὶς τῶν ἀγομένων*· *praeter mercimonia.*

§ 12 p. 911: *ἀνεκοινώσατο τοῖς νῦν παροῦσιν αὐτῷ καὶ συνδικοῦσιν*. Nonne coll. § 28 p. 915 et § 46 p. 920 praestat *συναδικοῦσιν*?

§ 18 p. 912: *νομίσας αὐτῷ ἀσφαλὲς ἤδη εἶναι [πρὸς διαιτητῇ] μαρτυρεῖν ὅ τι βούλοιτο*. Spurium est quod indicavi; relege totum locum et imprimis § 19: *πρὸς δὲ τῷ διαιτητῇ ἀκινδύνως καὶ ἀναισχύντως μαρτυροῦσιν ὅ τι ἂν βούλωνται*.

§ 35 p. 917: *ἐπειδὴ δὲ τὸ χρυσίον τοὐμὸν ἐμερίσατο, τότ' ἐντὸς εἶναί φησιν αὐτοῦ καὶ πάντ' ἀκριβῶς μνημονεύειν*. Multum praefero: *ἐμερίσαντο*.

ΠΡΟΣ ΛΑΚΡΙΤΟΝ.

§ 2 p. 924: *τεκμήριον δὲ [τούτου]· πολλῶν γὰρ ἀφικνουμένων κτέ*. Nota observatio est, cf. Buttm. ad Mid. § 35, p. 525, al.

§ 8 p. 925: *οὐδὲν ᾔδει οἵοις θηρίοις ἐπλησίαζε [τοῖς ἀνθρώποις τούτοις]*. Ne dubites interpolata delere, cf. c. Phorm. § 52 p. 922: *ἀδικεῖσθαι ὑπὸ τῶν τοιούτων θηρίων*, Macart. § 83 p. 1053, Theocr. § 49 p. 1338, Arist. Lys. 468, Eccl. 1104; nihil attinet cumulare exempla.

§ 19 p. 929: *τὰ δὲ κεράμια τὰ τρισχίλια οὐδ' ἐμέλλησαν [οὐδὲ διενοήθησαν] ἐνθέσθαι εἰς τὸ πλοῖον*. Notabilis hic locus est. Cf. Epistol. IV § 6 p. 1487: immortalibus diis datum est *μηδὲν μηδέποτ' ἐν παντὶ τῷ αἰῶνι μήτε παθεῖν μήτε μελλῆσαι*.

§ 27 p. 932: *ἀλλ' εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς [ἀρξάμενοι] ἐκακοτέχνουν*. Participium abundat, cf. § 39 p. 937.

§ 28 p. 932: *εἰς Φωρῶν δὲ λιμένα ὁρμίζονται, ὅς ἐςιν ἔξω τῶν σημείων τοῦ ὑμετέρου ἐμπορίου· ἔξεςι γὰρ ἀποπλεῖν ἐκ τοῦ λιμένος τούτου ὅποι τις ἂν βούληται καὶ ὁπηνίκ' ἂν δοκῇ αὐτῷ*. Satis haec sunt, sed post *ἐμπορίου* leguntur verba inutiliter interpolata: *καὶ ἔςιν ὅμοιον εἰς Φωρῶν λιμένα ὁρμίσασθαι, ὥσπερ ἂν εἴ τις εἰς Αἴγιναν ἢ εἰς Μέγαρα ὁρμίσαιτο*.

§ 34 p. 934: *οἴνου Κῷα κεράμια περὶ ὀγδοήκοντα.* Dixerim praestare: *οἴνου Κῴου.* Item § 10 p. 926: *ἐπὶ οἴνου κεραμίοις Μενδαίοις τρισχιλίοις* eodem modo corrigendum. Legitur tamen, fateor, Aristoph. Lysistr. 196: *Θάσιον οἴνου ϛαμνίον.*

§ 34 p. 934: *ἐνθέσθαι Ἀπολλόδωρον εἰς τὴν ναῦν ἐρίων ἀγγεῖον ἓν ἢ δύο.* De lana in superioribus nullus sermo fuit, sed contuli § 32 p. 933: *τό τ' οἰνάριον τὸ Κῷον ὀγδοήκοντα ϛάμνοι ἐξεϛηκότος οἴνου* et suspicatus sum *οἰναρίων* latere. Quarum mercium permutatio fieret in Ponto, si quis forte ignorat, dicet Arnoldus Schäferus *Vit. Dem.* I p. 265.

§ 35 p. 935: *ἐνθυμεῖσθε πρὸς ὑμᾶς αὐτούς, εἴ τινας πώποτ' ἴϛε ἢ ἠκούσατε οἶνον Ἀθήναζε ἐκ τοῦ Πόντου κατ' ἐμπορίαν εἰσαγαγόντας, ἄλλως τε καὶ Κῷον.* Hoc quidem recte et perspicue dictum est; sed quam languent ea quae proxime sequuntur: *πᾶς γὰρ δήπου τοὐναντίον εἰς τὸν Πόντον ὁ οἶνος εἰσάγεται ἐκ τῶν τόπων τῶν περὶ ἡμᾶς, ἐκ Πεπαρήθου καὶ Κῶ καὶ Θάσιος καὶ Μενδαῖος καὶ ἐξ ἄλλων πόλεων παντοδαπός· ἐκ δὲ τοῦ Πόντου ἕτερά ἐϛιν ἃ εἰσάγεται δεῦρο.* Quasi hoc quisquam Athenis ignorare potuerit. Quid si quis Roterodamenses vel quemvis alium de nostro populo docere vellet ex hisce regionibus caseum quoquoversus exportari, vinum autem importari, non contra.

§ 36 p. 936: *ναυκλήρῳ τινὶ [Φασηλίτῃ] πολίτῃ καὶ ἐπιτηδείῳ ἑαυτοῦ.* Res incurrit in oculos. Item § 55 p. 942: *τὸν ναύκληρον ἐκεῖνον [τὸν Φασηλίτην].*

§ 40 p. 937: *οὐδενὶ πώποτ' ἐφθόνησα [οὐδ' ἐπετίμησα] εἴ τις βούλεται σοφιϛὴς εἶναι.* Qui interpretationem adscripsit, locum non rectissime intellexit. Qui hic loquitur foenerator, *nihil curat* si quis velit Isocrati pecuniam pendere: *μαινοίμην γὰρ ἄν,* inquit, *εἴ τι μοι τούτων ἐπιμελὲς εἴη*, nec reprehendit quod toto animo contemnit. Hic mihi Euripidis venit in mentem, cuius fragmentum est paene decantatum:

ὅϛις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνήρ,
οὐ πώποτ' ἠρώτησα, γιγνώσκων ὅτι
τοιοῦτός ἐϛιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Quaerunt viri docti quid tandem significet *ἠρώτησα*· Herwerdenus coniecit *ἠσόρησα*, F. G. Schmidtius *ἠπόρησα*. Mihi plurimum arridet *ἐφθόνησα*.

§ 41 p. 938: *ἐπαγγελλόμενος παιδεύειν*. Lege: *παιδεύσειν*.

§ 42 p. 938: *ἐπαίδευσε τὴν παιδείαν ταύτην ἣν ὑμεῖς αἰσθάνεσθε* [*πονηρὰν καὶ ἄδικον*]. Interpolator pessumdedit loci elegantiam.

§ 42 p. 938: *πῶς* (*γὰρ*) *ἂν γένοιντο πονηρότεροι ἄνθρωποι*. Apertum est excidisse quod supplevi.

§ 43 p. 938: *τούτων ὅ τι βούλεται πεισάτω ὑμᾶς καὶ ἔγωγε καὶ αὐτὸς συγχωρῶ σοφώτατον εἶναι τοῦτον*. Requiritur futurum: *συγχωρήσω*.

§ 49 p. 940: *ἐγὼ δ' εἰμὶ ἔμπορος καὶ σὺ ἀδελφὸς καὶ κληρονόμος* [*ἑνὸς τῶν ἐμπόρων*] *τοῦ λαβόντος παρ' ἡμῶν τὰ ἐμπορικὰ χρήματα*. Interpolatio arguitur varia lectione *τοῦ ἐμπόρου* in codice Augustano.

§ 56 p. 942: *τοὺς κακοτεχνοῦντας καὶ σοφιζομένους ὥσπερ οὗτοι* [*σοφίζονται*]. Verbum non addam.

ΥΠΕΡ ΦΟΡΜΙΩΝΟΣ.

§ 3 p. 945: *ἐξ ὧν εὖ οἶδ' ὅτι ἥ τε τούτου συκοφαντία φανερὰ γενήσεται καὶ ὡς οὐκ εἰσαγώγιμος ἡ δίκη γνώσεσθε ἅμα ταῦτ' ἀκούσαντες*. Haud parum melius intelligam: *ὁμοῦ πάντες ἀκούσαντες*. Cf. supra ad Androt. § 15 p. 397.

§ 25 p. 952: *ἔγραψεν ὁ τὸν νόμον θεὶς ὧν μὴ εἶναι δίκας ὅσα τις ἀφῆκεν ἢ ἀπήλλαξεν, ἃ τῳδὶ γέγονεν ἀμφότερα*. Hoc satis est et facile carebimus verbis quae sequuntur: *καὶ γὰρ ἀφῆκεν ἢ ἀπήλλαξεν*. Legitima verba sunt *ἀφιέναι καὶ ἀπαλλάττειν*, cf. Pantaenet. § 1 p. 966 et Nausimach. § 5 p. 986.

§ 30 p. 953: *ὑμῖν μὲν γὰρ τοῖς γένει πολίταις οὐδὲ ἓν πλῆθος χρημάτων ἀντὶ τοῦ γένους καλόν ἐϛιν ἑλέσθαι.* Qui hic pro Phormione loquitur, ipse est *γένει πολίτης* et *ἡμῖν* longe praeferendum est; deinde convenientius iudicio *δέχεσθαι*, nam si quid *αἱρούμεθα*, est libera optio, *δεχόμεθα* interdum quod nobis invitis obtruditur. Audi quomodo *δημοποίητος* civis loquatur c. Steph. I § 78 p. 1125.

§ 32 p. 954: *ὡμολόγεις κυρίως δόντος τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ κατὰ τοὺς νόμους αὐτὴν γεγαμῆσθαι.* Duo vocabula ita coalescant ut oriatur: *ὡμολόγηκας.* Adverbium *κυρίως* plane abundat.

§ 34 p. 955: *ἐκ τίνος τρόπου πρεσβεῖα λαβὼν τὴν συνοικίαν [κατὰ τὴν διαθήκην] ἔχει, τοῦτ' ἐρωτᾶτ' αὐτόν.* Omittendum est quod recte additum invenies § 35: *πρεσβεῖα συνοικίαν ἔλαβε κατὰ τὴν διαθήκην.*

§ 42 p. 957: *τόνδε μὲν ἐν ταῖς ἐσχάταις ἐνδείαις ὁρᾶν.* Scripserim equidem: *περιορᾶν.*

§ 43 p. 957: *ἀλλὰ μὴν περί γε τῆς εὐπορίας [ὡς ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ κέκτηται] καὶ ὧν ἐρωτήσειν ἔφησθα, πόθεν τὰ ὄντα κέκτηται Φορμίων, μόνῳ τῶν ὄντων ἀνθρώπων σοὶ τοῦτον οὐκ ἔνεϛ' εἰπεῖν τὸν λόγον.* Interpolatis verbis abiectis scribe praeterea: *ἔξεϛ' εἰπεῖν.*

§ 45 p. 958: *σὺ μὲν χλανίδα φορεῖς καὶ τὴν μὲν λέλυσαι, τὴν δ' ἐκδέδωκας ἑταίραν καὶ ταῦτα γυναῖκ' ἔχων [ποιεῖς] καὶ τρεῖς παῖδας ἀκολούθους περιάγεις.* Cobetus *Mnem.* 1858 p. 193 luculenter ostendit reponendum esse medium verbum *περιάγει* idque etiam Blassio probavit. Restat ut inutile illud *ποιεῖς* eliminemus. Quod ad pedissequos attinet, Midiam conferemus, qui § 158 p. 565 *τρεῖς ἀκολούθους ἢ τέτταρας ἔχων διὰ τῆς ἀγορᾶς σοβεῖ.* Alios multos locos de eo more attuli ad Isaeum *Mnem.* 1877 p. 404, quibus nunc vix quidquam habeo quod addam. Antiphanis fragmentum est apud Pollucem X 62:

Χλαμύδα καὶ λόγχην ἔχων
ἀξυνακόλουθος, ξηρός, αὐτολήκυθος.

Itaque Cephisodotus ille Dicaeogenis pupillus apud Isaeum non erat profectus ad bellum *ἀντ' ἀκολούθου*, sed *ἄνευ ἀκολούθου*.

§ 46 p. 958. Quum de multis privatis orationibus dubitatum sit essentne genuini Demosthenis ingenii foetus nec ne, consenserunt tamen omnes elegantissimam orationem pro Phormione non debere ei eripi; sed quo est ea oratio praestantior, eo minus fero inutile sententiae pondus: *ὁ γὰρ αὖ σὸς πατὴρ ἐκείνων ἐγένετο, ὥστε καὶ σὺ καὶ οὗτος ἐκείνου γίγνεσθ' ἐκ τούτου τοῦ λόγου.* Iam satis hoc argumentum expositum fuerat in superioribus.

§ 48 p. 959: *ἀπηλλάγη τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ οὗτος ἀφ' ὑμῶν.* Immo lege: *ὑφ' ὑμῶν.*

ΠΡΟΣ ΠΑΝΤΑΙΝΕΤΟΝ.

§ 12 p. 970: *αἰτιώμενοι πολλῷ πλείονος ἄξια ἔχειν ὧν ἐδεδώκειμεν χρημάτων.* Est locus mire impeditus; incidi equidem in *ἐδεδανείκειμεν.*

§ 18 p. 971: *οὐ γὰρ ἂν δήπου τῶν αὐτῶν ἀδικημάτων παρόντων ἀμφοῖν ὁμοίως ἐγκαλῶν, τὸν μὲν εἴασε, τῷδ' ἐδικάζετο.* Nec Reiskius nec G. H. Schäferus hunc locum potuerunt expedire et quod Blassius in textum intulit, est ea infelix admodum suspicio. Legendum: *παρὸν ἀμφοῖν ὁμοίως ἐγκαλεῖν.*

§ 48 p. 980: *πεπιστευκότα εἰσιέναι τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' οὐ τοῖς λόγοις καὶ τοῖς συνεστῶσι μεθ' αὐτοῦ [μάρτυσι].* Expunge ultimum vocabulum, coll. § 39 p. 978: *περιστήσας [τοὺς μεθ' ἑαυτοῦ] τὸ ἐργαστήριον τῶν συνεστώτων*, ubi supervacanea verba iam delevit Dobraeus p. 499.

§ 55 p. 982: *οὐ τῶν εὖ πεφυκότων κατὰ ταῦτ' ὧν ἀνθρώπων, οὐδὲ τῶν λυσιτελούντων ἑαυτοῖς.* Hic longe melius intelligam: *λυσιτελούντως* et praeterea scripserim: *τῶν εὖ πεφυκότων πρὸς ταῦτα.* Nota est harum praepositionum confusio.

§ 56 p. 983: *Φύσει μάχεσθαι μὲν ἔχοντ' οὐκ εὔπορόν ἐςι, γνῶναι δ' ἰδόνθ' ἕτερον κἀπιπλῆξαι ῥᾴδιον.* Sine sensu ita editur; sed Athenis homo ingenuus reprehendebatur si forte servuli instar citato gradu per plateas curreret indeque requiro: *Φύσει μάχεσθαι μὲν τρέχοντ' οὐκ εὔπορον,* qui forte fortuna senarius est. Habebat hoc Nicobulus: vide § 52 p. 981: *Νικόβουλος ταχέως βαδίζει καὶ μέγα φθέγγεται καὶ βακτηρίαν φορεῖ* et nota reprehensum hoc fuisse etiam in homine quem libertinum fuisse crediderim. Item § 55 p. 982, Evergi verba sunt: *τοιοῦτος ὦ Πανταίνετ' ἐγώ, ὁ ταχὺ βαδίζων καὶ τοιοῦτος σὺ ὁ ἀτρέμας.* Adde c. Steph. I § 77 p. 1124: *ἐγὼ δὲ τῆς μὲν ὄψεως τῇ φύσει καὶ τῷ ταχέως βαδίζειν καὶ λαλεῖν μέγα οὐ τῶν εὐτυχῶς πεφυκότων ἐμαυτὸν κρίνω.* Appellabant hoc quemadmodum nos proprio nomine *πέτεσθαι.* Athen. VI p. 244 D: *Ἄλεξις δ' ἐν Πυραύνῳ Στράτιον τὸν παράσιτον εἰσάγει δυσχεραίνοντα τῷ τρέφοντι καὶ λέγοντα τάδε·*

> *Ἐμοὶ παρασιτεῖν κρεῖττον ἦν τῷ Πηγάσῳ*
> *ἢ τοῖς Βορεάδαις ἢ εἴ τι θᾶττον ἔτι τρέχει,*
> *ἢ Δημέᾳ Λάχητος Ἐτεοβουτάδῃ·*
> *πέτεται γὰρ οὗτος· οὐ βαδίζει τὰς ὁδούς.*

ΠΡΟΣ ΝΑΥΣΙΜΑΧΟΝ.

§ 5 p. 986: *οὕτω τοίνυν (πάλαι) καὶ μετὰ πολλῶν μαρτύρων τῆς ἀφέσεως γεγονυίας.* Vides quid exciderit.

§ 6 p. 986: *καὶ πάντων τῶν πλείςων,* scil. *τετελευτηκότων.* Sunt G. H. Schäfero *plerique omnes* et lectores conferre iubet Xen. Cyrop. VI. 2. 28: *καὶ τὰ ἑφθὰ δὲ πάντα μεθ' ὕδατος τὰ πλεῖςα ἐσκευάςαι,* nec tamen hoc Dobraeo probare potuit qui p. 500 delendum statuit id quod est: *τῶν πλείςων.* Equidem corrigam: *μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον .... καὶ τῆς ἑαυτῶν μητρός .... καὶ διαιτητῶν καὶ μαρτύρων καὶ δικαςῶν τῶν πλείςων, κτἑ.*

§ 10 p. 987: *καὶ γὰρ τοῦτον ἔγραψαν εἰς τὸ ἔγκλημα.* Requiro: *προσέγραψαν.*

§ 11 p. 987. Supplendum: *μέγιςοι μὲν οὖν ἡμῖν εἰσιν (αὐτοὶ) οὗτοι μάρτυρες.*

§ 20 p. 990: *ταῦτα δὲ πάντες φασὶν μεγάλων δικαίων ἰσχύειν πλέον παρ' ὑμῖν.* Scribam: *πάντες ἴσασιν*, sicuti legitur § 23 p. 991.

ΠΡΟΣ ΒΟΙΩΤΟΝ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΟΝΟΜΑΤΟΣ.

§ 5 p. 995: *πρὶν τὰς εἰς τοὺς δήμους ἐγγραφὰς γενέσθαι ἐλθὼν [εἰς τοὺς δημότας] οὑτοσὶ ἐνέγραψεν ἑαυτόν.* Aperta res est; verbum non addam.

§ 17 p. 999: *ἀπελθόντων δ' ἐξ Εὐβοίας τῶν στρατιωτῶν.* Lege: *κατελθόντων.*

§ 23 p. 1001: *πολὺ γὰρ (δήπου) μᾶλλον εἰώθασιν.* Particula accessit ex Boeot. de dote § 29 p. 1017.

§ 23 p. 1001: *οὐ μόνον ἐκ τούτων ἐστὶν ἰδεῖν ὅτι ψεύσεται.* Malo: *ψεύδεται*, propter Boeot. de dote § 22 p. 1015. Eadem correctione fortasse utendum Spud. § 25 p. 1035.

§ 26 p. 1002: *γάμῳ γεγαμηκὼς τὴν ἐμὴν μητέρα.* Nonne *νόμῳ*?

§ 26 p. 1002: *πῶς ἂν ἀργύριον (τοσοῦτον) τοιοῦτος ὢν κατέλιπεν*, quae correctio satis se ipsam tuebitur.

§ 29 p. 1003: *τὸν δὲ τοῦ δικαίου λόγον ἅπαντες ἐπίστασθε· ἔστι δὲ οὗτος τίς; ἀφ' οὗ παῖδας ἐποιήσατο τούτους ὁ πατήρ, ἀπὸ τούτου καὶ νομίζεσθαι.* Dixerim scribendum esse *ὀνομάζεσθαι.* Crebra est horum verborum confusio.

§ 39 p. 1006: *τούτῳ μὲν Βοιωτὸν, ἐμοὶ δὲ Μαντίθεον θέμενον.* Inseram quod facile excidere potuit (*ὄνομα*) *θέμενον.*

ΠΡΟΣ ΒΟΙΩΤΟΝ ΠΕΡΙ ΠΡΟΙΚΟΣ.

§ 9 p. 1010: *καὶ οὕτως οὐ πάντα γε ἦν ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας κεκρατημένος.* Nemo sanus ita loquitur; requiro: *ἀλλ' ὅμως οὐ πάνυ γέ τι ἦν* vel simile quid.

§ 16 p. 1013: *παραγραψάμενοι Σόλωνα Ἐρχιέα διαιτητὴν τούτῳ ἐπετρέψαμεν δικάσαι περὶ ὧν ἐνεκαλοῦμεν ἀλλήλοις.* Improprie verbum *δικάσαι* de arbitro hic usurpatur et § 43 p. 1021 habemus locutionem *δίαιταν ἐπιτρέπειν·* hinc coniicio: *Σόλωνα Ἐρχιέα παραγραψάμενοι δίαιταν τούτῳ ἐπετρέψαμεν,* expuncto verbo *δικάσαι.*

§ 28 p. 1017: *περὶ τούτου μόνον Τιμοκράτους καὶ Προμάχου ἐμβέβληται μαρτυρίας, κτέ.* Solemnis est corruptela pro: *περὶ τούτου μέν,* ut deinde recte sequatur: *οὕτω δὲ Φανερῶς, κτέ.*

§ 35 p. 1019: *κακά μοι (μυρία) παρέχων ἠνάγκασέ με λαχεῖν αὐτῷ δίκην.* Palam est quid exciderit.

§ 48 p. 1022: *ὅμως ὑμᾶς αἰσχύνομαι λέγειν περὶ ἐκείνης τι Φλαῦρον,* Dobraeus commendavit *(πρὸς) ὑμᾶς,* equidem post *ὅμως* pronomen delere malim. Contra Mid. § 167 p. 568: *σύνισε μὲν τὰ πολλὰ τούτων, ὅμως δὲ καὶ μάρτυρας ὑμῖν καλῶ,* Blassius recte intellexit, quam facile ante *ὅμως* excidere potuerit pronomen *ὑμεῖς.* Haud dissimili de causa Olynth. III § 3 14 p. 32: *ἂν μὴ προσγένηται τὸ ποιεῖν ἐθέλειν τὰ δόξαντα προθύμως [ὑμᾶς],* Cobetus et Blassius viderunt post adverbium *προθύμως* expungendum esse *ὑμᾶς.* Vide quoque Olynth. I § 1 p. 9.

§ 54 p. 1024: *ὑμῶν εἰδότων ὃν τρόπον [ἀναγκασθεὶς] ὁ πατήρ μου ἐποιήσατο τούτους.* Molestum participium est.

§ 58 p. 1025: *πρῶτον μὲν οὐχ οὕτω [μετρίως] ζῇ Κρίτων ὥστε παρ' ἑτέρου οἰκίαν ὠνεῖσθαι.* Adverbium turpiter abundat.

§ 59 p. 1026: *ἄλλος μὲν οὐδεὶς αὐτῷ παραγενέσθαι μεμαρτύρηκε, Τιμοκράτης δὲ μόνος (ὃς) ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς μαρτυρεῖ μὲν δεκάτην ἑστιᾶσαι τούτῳ τὸν ἐμὸν πατέρα, κτέ.* Inserto pronomine relativo sententia aptius decurret.

ΠΡΟΣ ΣΠΟΥΔΙΑΝ.

§ 4 p. 1029: *διαφορᾶς γενομένης τῷ Πολυεύκτῳ πρὸς τὸν Λεωκράτη περὶ ἧς οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ λέγειν.* Scribam: *εἴ τι δεῖ*

λέγειν. Rem novit quidem, sed mavult tacere de dissensionibus, quae ad praesentem causam nihil pertinent.

§ 11 p. 1031: *σκηνὴν δ' ἣν ἔχουσι, οὐδέ γε ταύτην λαβόντες ἀναφέρουσιν*. Ex contextu satis apparet de mundo muliebri hic sermonem fieri, sed quid tandem *σκηνή* proprie est? Audiamus Harpocrationem: *ἔοικε δὲ σκεῦός τι εἶναι, ὅπερ οἱ μὲν κόσμον τινὰ γυναικεῖον εἶναί φασιν, οἱ δὲ σκιάδειον*. Mihi crede: Harpocration non magis norat quid esset *σκηνή*, quam tu vel ego: invenerat sane in suo codice eam ipsam lectionem *σκηνήν*· verum quid hoc ad rem? Si id forte nescias, Cobetus tibi in *Collectaneis* demonstrare poterit quam frequenter lexicographus se decipi passus sit vitiosis et malesanis lectionibus. Ille est verbi causa grammaticus, qui quum apud Dinarchum offendisset: *ἐμπεπηδηκότων τῶν ῥητόρων ὥσπερ ἀπρότων εἰς τὸ ἐμπόριον*, ridiculam coniecturam periclitatus est neque agnovit verissimum esse *παρνόπων*, quod in aliis libris invenisset. Sed quid cesso veram scripturam expromere quam vix assequor quomodo ad hunc diem latere potuerit. Inter mundum muliebrem vestis primum locum obtinet. Hanc quomodo generali nomine Graeci appellant? *Σκευὴν*, opinor, et id ipsum Demostheni reddendum. *Οὐκ ἀνενήνοχε* Spudias *φιάλην, χρυσία, σκευήν* denique; rem confirmabit argumenti auctor; etenim actor *ἐπιδείκνυσιν ὡς Σπουδίας ψεύδεται· τὰς μὲν γὰρ τριάκοντα μνᾶς αὐτὸν ἐν ἀργύρῳ φησὶ λαβεῖν· τὰς δὲ δέκα ἐν ἱματίοις καὶ χρυσίοις, ἃ καὶ πλείονος ἢ δέκα μνῶν εἶναι ἄξια*. Nempe haec sunt petita ex § 27 p. 1036. Itidem conferre poteris Olympiod. § 55 p. 1182 et Neaer. § 35 p. 1356 et § 46 p. 1360.

§ 12 p. 1031: *πρὸς μὲν ταῦτ' οὐδὲν ἀντερεῖ Σπουδίας· οὐδὲ γὰρ ἕξει*. Duo vocabula sedem permutanto: *οὐδ' ἀντερεῖ Σπουδίας· οὐδὲν γὰρ ἕξει*.

ΠΡΟΣ ΦΑΙΝΙΠΠΟΝ.

§ 4 p. 1040: *τὸ διευτυχεῖν συνεχῶς τῇ οὐσίᾳ οὐ πολλοῖς τῶν πολιτῶν [διαμένειν] εἴθισται*. Decantata sententia est, sed qui tuentur illud *διαμένειν* non videntur reputasse quid inter *εὐτυ-*

χεῖν et *διευτυχεῖν* interest. Reiskius malebat *καταμένειν*, sed etiamsi G. H. Schaefero haec crisis „fastidiosior" videatur, non satis est corrigere quod una litura sanandum.

§ 23 p. 1047: *Παμφίλῳ φησὶ τάλαντον ἐνοφείλειν.* Restituendum est quod ante Bekkerum edebatur *ἐν ὀφείλειν.* Quid sit *ἐνοφείλειν* et per se apparet et effici poterit ex Nicostr. § 10 p. 1249.

ΠΡΟΣ ΜΑΚΑΡΤΑΤΟΝ.

Summa est in hac oratione verbositas et sunt quae sine fine identidem repetantur, imprimis de gradibus quibus diversae in hoc dramate personae inter se cognatae sint. Iam Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 349 complura exempla attulit et nimium facile foret locorum numerum augere omniaque inutilia supplementa ex textu expungere; verum quid prodest? cum praesertim non intelligamus cur stulta interpolatoris manus hic potissimum grassata sit.

§ 8 p. 1052: *ἐπειδὴ ἦγεν ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον.* Usus postulat *εἰσῆγεν.*

§ 10 p. 1052: *αἱ ψῆφοι ὀλίγαις πάνυ ἐγένοντο πλείους, ἢ τρισὶν ἢ τέτταρσιν, ἐν τῷ Θεοπόμπου καδίσκῳ.* Expungendum est prius *ἤ*· omnino satis *τρισὶν ἢ τέτταρσιν.* Contra eadem vocula inserenda est Prooem. 50 p. 1457: *ὅπως μὴ (ἢ) τὰ ἢ τὰ γενήσεται ἀλλ' ὅπως τά.* — Obiter illic observa articuli usum et confer Mid. § 141 p. 560: *τὰ καὶ τὰ πεπονθώς*, Philipp. III § 68 p. 128: *ἔδει γὰρ τὸ καὶ τὸ ποιῆσαι.* Coron. § 243 p. 308: *εἰ τὸ καὶ τὸ ἐποίησεν.* Fals. Leg. § 74 p. 364: *διὰ τὸ καὶ τὸ ἐσώθησαν ἂν οἱ Φωκεῖς.* Eubulid. § 29 p. 1307: *βιοὺς ἔτη τόσα καὶ τόσα.*

§ 14 p. 1054. Hic facere non possum quin locum paulo longiorem fere integrum describam: *οἱ Φράτερες οἱ τουτουὶ Μακαρτάτου οἱ ἄριστα εἰδότες περὶ τοῦ γένους, ὁρῶντες αὐτὸν μὲν τοῦτον οὐ θέλοντα κινδυνεύειν οὐδ' ἀπάγοντα τὸ ἱερεῖον ἀπὸ τοῦ*

βωμοῦ, εἰ μὴ προσηκόντως εἰσήγετο ὁ παῖς οὑτοσί, αὐτοὺς δ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν, λαβόντες τὴν ψῆφον, καομένων τῶν ἱερείων, ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέροντες τοῦ Διὸς τοῦ Φρατρίου, παρόντος τουτουὶ Μακαρτάτου, ἐψηφίσαντο τὰ δίκαια ὀρθῶς καὶ προσηκόντως τὸν παῖδα τουτονὶ εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱόν. Primum leve est corrigere: *οἱ ἄριϛ' ἂν εἰδότες·* sed quid est hoc quod Macartatus dicitur egisse ut *οἱ φράτερες* peierarent. Quantum novi, nemo hucusque expedire potuit illa: *αὐτοὺς δ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν.* Audiamus G. H. Schäferum: „Amarus sarcasmus. Periurii terriculamento Macartatus volebat pervincere ut phratores puero ne suffragarentur." Speciem hoc haberet, nisi Macartatus ipse periurium nihil veritus, suffragio suo confirmasset idem quod reliqui omnes: diserta verba sunt § 82 p. 1078: *οὑτοσὶ δὲ Μακάρτατος φανερᾷ τῇ ψήφῳ ἐψηφίσατο ὀρθῶς εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱὸν τὸν παῖδα.* Commendare ausim: *οἱ φράτερες .... ὁρῶντες αὐτὸν .... οὐ θέλοντα κινδυνεύειν, ... οὐδ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν,* Macartati exemplum secuti sunt.

§ 28 p. 1058. Aliquid excidit: *τοῦτο γάρ ἐϛιν ᾧ (πρότερον) παρεκρούσατο ὁ τουτουὶ πατήρ.*

§ 67 p. 1073. Notabilis est constructio: *πολὺν χρόνον ἐχόντων ἑαυτῶν τὸν κλῆρον νυνὶ ἀγωνίζονται.* Hic equidem quid statuam omnino non habeo.

§ 69 p. 1073: *ὃ γὰρ ἦν πλείϛου ἄξιον ἐν τοῖς χωρίοις τοῖς Ἁγνίου, ... αἱ ἐλᾶαι, ταύτας ἐξώρυττον καὶ ἐξεπρέμνιζον, πλεῖν ἢ χίλια ϛελέχη, ὅθεν ἔλαιον πολὺ ἐγίγνετο, ταύτας οὗτοι ἀπέδοντο ἐκπρεμνίσαντες καὶ ἀργύριον ὑπέρπολυ ἔλαβον.* Elumbis oratio est et verbum *ἐκπρεμνίζειν* nimis brevi intervallo inutiliter iteratur. Est locus in *Anecd. Bk.* p. 293. 21: *πρεμνίζειν τὸ καταβάλλειν τὰ πρέμνα, τουτέϛι τὰ ϛελέχη καὶ τὰ μεγάλα ξύλα,* cuius ope poterimus Photium corrigere apud quem in v. minus bene legitur: *τουτέϛι τὰ παχέα καὶ μεγάλα ξύλα.* Sed magis ad rem pertinet Harpocrationis glossa: *ἐξεπρέμνιζον· ἀντὶ τοῦ κατέβαλλον τὰ πρέμνα, τουτέϛι μέχρι ῥιζῶν τὰ ϛελέχη.* Consequitur Harpocrationem eandem in suo codice habuisse lectionem quam nos quoque habemus, nec tamen quid-

quam impedit, quominus spuria credamus esse verba: *ταύτας ἐξώρυττον καὶ ἐξεπρέμνιζον*· sententia sic multo aptius decurret.

§ 72 p. 1074: *ὑμῶν, πόλεως τηλικαυτησί, κατεφρόνησαν.* Supplendum: *(οὑτωσὶ) κατεφρόνησαν*, uti mox et § 78 p. 1077.

§ 72 p. 1075. Itidem aliquid excidit: *ὁ δὲ νόμος ἀπαγορεύει μηδὲν τούτων ποιεῖν, (ἀλλὰ) πολύ γε αὐτοῖς μέλει.*

§ 73 p. 1075: *ἐπιμέλειαν ἐποιησάμην τοῦ οἴκου τοῦ Ἁγνίου [ὅπως μὴ ἐξερημωθήσεται]*. Uncinis inclusi, quae ex proxime praecedentibus perperam iterata sunt.

§ 78 p. 1077: *πῶς ἂν (οὖν) γένοιντο τούτων ἄνθρωποι παρανομώτεροι;* Reiskius particulam rectissime inseruit; esse miror qui dubitent.

ΠΡΟΣ ΛΕΩΧΑΡΗ.

§ 4 p. 1081. Leocharis pater praeco est: *διατελεῖ γὰρ ἐν Πειραιεῖ κηρύττων· τοῦτο δ' ἐστὶν οὐ μόνον ἀπορίας ἀνθρωπίνης τεκμήριον, ἀλλὰ καὶ ἀσχολίας τῆς εἰς τὸ πραγματεύεσθαι.* Deinde additur: *ἀνάγκη γὰρ ἡμερεύειν ἐν τἀγορᾷ τὸν τοιοῦτον.* Est haec fortasse lectoris inutilis adnotatiuncula, sed, utut hoc est, praestare dixerim: *διημερεύειν*, quod a codicibus aliquid commendationis videtur habere.

§ 6 p. 1082: *κατὰ τὴν ἀγχιστείαν γνήσιοι ὄντες δικαίως ἂν οὐσίας κληρονομοῖεν.* Sine sensu ita editur: scripserim: *γένει προσήκοντες* vel simile quid.

§ 21 p. 1087: *οὐδ' ἐνταῦθ' οὐδέπω ἡμεῖς οὐδὲν τῶν πραγμάτων περὶ τὸν κλῆρον ἐκινοῦμεν.* Reiskius requirebat: *τῶν πραγμάτων (τῶν) περί*, Blassius autem deletum mavult id quod est *πραγμάτων*. Equidem scribam: *οὐδὲν τὸ παράπαν περὶ τὸν κλῆρον ἐκινοῦμεν.*

§ 27 p. 1089: τί σὺ ἐλαττοῖ τοῦ μηδενὸς ἡμῶν κληρονομησάντων. Praefero: κληρονομησόντων. Similiter Timoth. § 46 p. 1198: ὁπότε παρὰ τούτου κομιεῖσθαι ἔμελλεν εὐπορήσαντος et § 64 p. 1203: ἡγεῖτο παρὰ σοῦ λήψεσθαι εὐπορήσαντος, futurum placet.

§ 29 p. 1089: τοῦ τελευταίου ἐγκαταλειφθέντος τούτου ἄπαιδος τετελευτηκότος. Immo τρίτου legendum est et cf. § 61 p. 1098.

§ 31 p. 1090: τὸ ἁπλοῦν (καὶ) δίκαιον περὶ τῆς κληρονομίας οὕτως ἔχει. Coniunctionem inserui coll. Steph. I § 45 p. 1115.

§ 38 p. 1092: τοῦτον οὐκ (ἂν) οἴεσθε τοῦ κλήρου παρὰ τοὺς νόμους ἀμφισβητεῖν; In vulgata particula deest, quam addidi. Similiter Steph. I § 13 p. 1105: ἐθελήσαντος μὲν γὰρ ὑπεύθυνον (ἂν) ἐλάμβανον, εἰ δ' ἔφευγε, πάλιν (ἂν) αὐτὸ τοῦθ' ἱκανὸν τεκμήριον ἦν.

§ 66 p. 1100: δικαίως γὰρ ὁ νομοθέτης ὥσπερ καὶ τὰς ἀτυχίας τῶν οἰκείων καὶ ἐκδόσεις τῶν γυναικῶν τοῖς ἐγγυτάτω γένους προσέταττε ποιεῖσθαι, οὕτως καὶ τὰς κληρονομίας καὶ τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν τοῖς αὐτοῖς ἀποδέδωκεν. Haec atra nocte premuntur, sed clara lux oborietur, si mecum correxeris: πρὸς τὰς ἀτυχίας et notum καὶ et πρός sexcenties confundi. Minime mihi persuasit Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 350.

ΚΑΤΑ ΣΤΕΦΑΝΟΤ Α.

§ 4 p. 1102: οὐ γὰρ ἦσαν ἐν τῷ τότε καιρῷ δίκαι, ἀλλ' (ἀεὶ) ἀνεβάλλεσθε ὑμεῖς διὰ τὸν κίνδυνον. Vides quid exciderit.

§ 8 p. 1103: λαβὲ δ' αὐτὴν τὴν μαρτυρίαν καὶ ἀνάγνωθί μοι, ἵν' ἐξ αὐτῆς ἐπιδεικνύω. λέγε· σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ. Hoc quidem vitiose dictum est; corrige: ἵν' ἐξ αὐτῆς ἐπιδεικνύω ἃ λέγω· σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ.

§ 30 p. 953: ὑμῖν μὲν γὰρ τοῖς γένει πολίταις οὐδὲ ἓν πλῆθος χρημάτων ἀντὶ τοῦ γένους καλόν ἐστιν ἑλέσθαι. Qui hic pro Phormione loquitur, ipse est γένει πολίτης et ἡμῖν longe praeferendum est; deinde convenientius iudicio δέχεσθαι, nam si quid αἱρούμεθα, est libera optio, δεχόμεθα interdum quod nobis invitis obtruditur. Audi quomodo δημοποίητος civis loquatur c. Steph. I § 78 p. 1125.

§ 32 p. 954: ὡμολόγεις κυρίως δόντος τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ κατὰ τοὺς νόμους αὐτὴν γεγαμῆσθαι. Duo vocabula ita coalescant ut oriatur: ὡμολόγηκας. Adverbium κυρίως plane abundat.

§ 34 p. 955: ἐκ τίνος τρόπου πρεσβεῖα λαβὼν τὴν συνοικίαν [κατὰ τὴν διαθήκην] ἔχει, τοῦτ' ἐρωτᾶτ' αὐτόν. Omittendum est quod recte additum invenies § 35: πρεσβεῖα συνοικίαν ἔλαβε κατὰ τὴν διαθήκην.

§ 42 p. 957: τόνδε μὲν ἐν ταῖς ἐσχάταις ἐνδείαις ὁρᾶν. Scripserim equidem: περιορᾶν.

§ 43 p. 957: ἀλλὰ μὴν περί γε τῆς εὐπορίας [ὡς ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ κέκτηται] καὶ ὧν ἐρωτήσειν ἔφησθα, πόθεν τὰ ὄντα κέκτηται Φορμίων, μόνῳ τῶν ὄντων ἀνθρώπων σοὶ τοῦτον οὐκ ἔνεστ' εἰπεῖν τὸν λόγον. Interpolatis verbis abiectis scribe praeterea: ἔξεστ' εἰπεῖν.

§ 45 p. 958: σὺ μὲν χλανίδα φορεῖς καὶ τὴν μὲν λέλυσαι, τὴν δ' ἐκδέδωκας ἑταίραν καὶ ταῦτα γυναῖκ' ἔχων [ποιεῖς] καὶ τρεῖς παῖδας ἀκολούθους περιάγεις. Cobetus *Mnem.* 1858 p. 193 luculenter ostendit reponendum esse medium verbum περιάγει idque etiam Blassio probavit. Restat ut inutile illud ποιεῖς eliminemus. Quod ad pedissequos attinet, Midiam conferemus, qui § 158 p. 565 τρεῖς ἀκολούθους ἢ τέτταρας ἔχων διὰ τῆς ἀγορᾶς σοβεῖ. Alios multos locos de eo more attuli ad Isaeum *Mnem.* 1877 p. 404, quibus nunc vix quidquam habeo quod addam. Antiphanis fragmentum est apud Pollucem X 62:

Χλαμύδα καὶ λόγχην ἔχων
ἀξυνακόλουθος, ξηρός, αὐτολήκυθος.

Itaque Cephisodotus ille Dicaeogenis pupillus apud Isaeum non erat profectus ad bellum *ἀντ' ἀκολούθου*, sed *ἄνευ ἀκολούθου*.

§ 46 p. 958. Quum de multis privatis orationibus dubitatum sit essentne genuini Demosthenis ingenii foetus nec ne, consenserunt tamen omnes elegantissimam orationem pro Phormione non debere ei eripi; sed quo est ea oratio praestantior, eo minus fero inutile sententiae pondus: *ὁ γὰρ αὖ σὸς πατὴρ ἐκείνων ἐγένετο, ὥςε καὶ σὺ καὶ οὗτος ἐκείνου γίγνεσθ' ἐκ τούτου τοῦ λόγου.* Iam satis hoc argumentum expositum fuerat in superioribus.

§ 48 p. 959: *ἀπηλλάγη τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ οὗτος ἀφ' ὑμῶν.* Immo lege: *ὑφ' ὑμῶν.*

ΠΡΟΣ ΠΑΝΤΑΙΝΕΤΟΝ.

§ 12 p. 970: *αἰτιώμενοι πολλῷ πλείονος ἄξια ἔχειν ὧν ἐδεδώκειμεν χρημάτων.* Est locus mire impeditus; incidi equidem in *ἐδεδανείκειμεν.*

§ 18 p. 971: *οὐ γὰρ ἂν δήπου τῶν αὐτῶν ἀδικημάτων παρόντων ἀμφοῖν ὁμοίως ἐγκαλῶν, τὸν μὲν εἴασε, τῷδ' ἐδικάζετο.* Nec Reiskius nec G. H. Schäferus hunc locum potuerunt expedire et quod Blassius in textum intulit, est ea infelix admodum suspicio. Legendum: *παρὸν ἀμφοῖν ὁμοίως ἐγκαλεῖν.*

§ 48 p. 980: *πεπιςευκότα εἰσιέναι τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' οὐ τοῖς λόγοις καὶ τοῖς συνεςῶσι μεθ' αὐτοῦ [μάρτυσι].* Expunge ultimum vocabulum, coll. § 39 p. 978: *περιςήσας [τοὺς μεθ' ἑαυτοῦ] τὸ ἐργαςήριον τῶν συνεςώτων*, ubi supervacanea verba iam delevit Dobraeus p. 499.

§ 55 p. 982: *οὐ τῶν εὖ πεφυκότων κατὰ ταῦτ' ὢν ἀνθρώπων, οὐδὲ τῶν λυσιτελούντων ἑαυτοῖς.* Hic longe melius intelligam: *λυσιτελούντως* et praeterea scripserim: *τῶν εὖ πεφυκότων πρὸς ταῦτα.* Nota est harum praepositionum confusio.

§ 56 p. 983: *Φύσει μάχεσθαι μὲν ἔχοντ' οὐκ εὔπορόν ἐστι, γνῶναι δ' ἰδόνθ' ἕτερον κἀπιπλῆξαι ῥᾴδιον.* Sine sensu ita editur; sed Athenis homo ingenuus reprehendebatur si forte servuli instar citato gradu per plateas curreret indeque requiro: *Φύσει μάχεσθαι μὲν τρέχοντ' οὐκ εὔπορον,* qui forte fortuna senarius est. Habebat hoc Nicobulus: vide § 52 p. 981: *Νικόβουλος ταχέως βαδίζει καὶ μέγα φθέγγεται καὶ βακτηρίαν φορεῖ* et nota reprehensum hoc fuisse etiam in homine quem libertinum fuisse crediderim. Item § 55 p. 982, Evergi verba sunt: *τοιοῦτος ὦ Πανταίνετ' ἐγώ, ὁ ταχὺ βαδίζων καὶ τοιοῦτος σὺ ὁ ἀτρέμας.* Adde c. Steph. I § 77 p. 1124: *ἐγὼ δὲ τῆς μὲν ὄψεως τῇ φύσει καὶ τῷ ταχέως βαδίζειν καὶ λαλεῖν μέγα οὐ τῶν εὐτυχῶς πεφυκότων ἐμαυτὸν κρίνω.* Appellabant hoc quemadmodum nos proprio nomine *πέτεσθαι.* Athen. VI p. 244 D: *Ἄλεξις δ' ἐν Πυραύνῳ Στράτιον τὸν παράσιτον εἰσάγει δυσχεραίνοντα τῷ τρέφοντι καὶ λέγοντα τάδε·*

> *Ἐμοὶ παρασιτεῖν κρεῖττον ἦν τῷ Πηγάσῳ*
> *ἢ τοῖς Βορεάδαις ἢ εἴ τι θᾶττον ἔτι τρέχει,*
> *ἢ Δημέᾳ Λάχητος Ἐτεοβουτάδῃ·*
> *πέτεται γὰρ οὗτος· οὐ βαδίζει τὰς ὁδούς.*

ΠΡΟΣ ΝΑΥΣΙΜΑΧΟΝ.

§ 5 p. 986: *οὕτω τοίνυν (πάλαι) καὶ μετὰ πολλῶν μαρτύρων τῆς ἀφέσεως γεγονυίας.* Vides quid exciderit.

§ 6 p. 986: *καὶ πάντων τῶν πλείστων,* scil. *τετελευτηκότων.* Sunt G. H. Schäfero *plerique omnes* et lectores conferre iubet Xen. Cyrop. VI. 2. 28: *καὶ τὰ ἐφθὰ δὲ πάντα μεθ' ὕδατος τὰ πλεῖστα ἐσκευάσται,* nec tamen hoc Dobraeo probare potuit qui p. 500 delendum statuit id quod est: *τῶν πλείστων.* Equidem corrigam: *μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον .... καὶ τῆς ἑαυτῶν μητρός .... καὶ διαιτητῶν καὶ μαρτύρων καὶ δικαστῶν τῶν πλείστων, κτέ.*

§ 10 p. 987: *καὶ γὰρ τοῦτον ἔγραψαν εἰς τὸ ἔγκλημα.* Requiro: *προσέγραψαν.*

§ 11 p. 987. Supplendum: *μέγιστοι μὲν οὖν ἡμῖν εἰσιν (αὐτοὶ) οὗτοι μάρτυρες.*

§ 20 p. 990: *ταῦτα δὲ πάντες φασὶν μεγάλων δικαίων ἰσχύειν πλέον παρ' ὑμῖν.* Scribam: *πάντες ἴσασιν*, sicuti legitur § 23 p. 991.

ΠΡΟΣ ΒΟΙΩΤΟΝ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΟΝΟΜΑΤΟΣ.

§ 5 p. 995: *πρὶν τὰς εἰς τοὺς δήμους ἐγγραφὰς γενέσθαι ἐλθὼν [εἰς τοὺς δημότας] οὑτοσὶ ἐνέγραψεν ἑαυτόν.* Aperta res est; verbum non addam.

§ 17 p. 999: *ἀπελθόντων δ' ἐξ Εὐβοίας τῶν ϛρατιωτῶν.* Lege: *κατελθόντων.*

§ 23 p. 1001: *πολὺ γὰρ (δήπου) μᾶλλον εἰώθασιν.* Particula accessit ex Boeot. de dote § 29 p. 1017.

§ 23 p. 1001: *οὐ μόνον ἐκ τούτων ἔϛιν ἰδεῖν ὅτι ψεύσεται.* Malo: *ψεύδεται*, propter Boeot. de dote § 22 p. 1015. Eadem correctione fortasse utendum Spud. § 25 p. 1035.

§ 26 p. 1002: *γάμῳ γεγαμηκὼς τὴν ἐμὴν μητέρα.* Nonne *νόμῳ*?

§ 26 p. 1002: *πῶς ἂν ἀργύριον (τοσοῦτον) τοιοῦτος ὢν κατέλιπεν*, quae correctio satis se ipsam tuebitur.

§ 29 p. 1003: *τὸν δὲ τοῦ δικαίου λόγον ἅπαντες ἐπίϛασθε· ἔϛι δὲ οὗτος τίς; ἀφ' οὗ παῖδας ἐποιήσατο τούτους ὁ πατήρ, ἀπὸ τούτου καὶ νομίζεσθαι.* Dixerim scribendum esse *ὀνομάζεσθαι.* Crebra est horum verborum confusio.

§ 39 p. 1006: *τούτῳ μὲν Βοιωτὸν, ἐμοὶ δὲ Μαντίθεον θέμενον.* Inseram quod facile excidere potuit (*ὄνομα*) *θέμενον.*

ΠΡΟΣ ΒΟΙΩΤΟΝ ΠΕΡΙ ΠΡΟΙΚΟΣ.

§ 9 p. 1010: *καὶ οὕτως οὐ πάντα γε ἦν ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας κεκρατημένος.* Nemo sanus ita loquitur; requiro: *ἀλλ' ὅμως οὐ πάνυ γέ τι ἦν* vel simile quid.

§ 16 p. 1013: *παραγραψάμενοι Σόλωνα Ἐρχιέα διαιτητὴν τούτῳ ἐπετρέψαμεν δικάσαι περὶ ὧν ἐνεκαλοῦμεν ἀλλήλοις.* Improprie verbum *δικάσαι* de arbitro hic usurpatur et § 43 p. 1021 habemus locutionem *δίαιταν ἐπιτρέπειν·* hinc coniicio: *Σόλωνα Ἐρχιέα παραγραψάμενοι δίαιταν τούτῳ ἐπετρέψαμεν,* expuncto verbo *δικάσαι.*

§ 28 p. 1017: *περὶ τούτου μόνον Τιμοκράτους καὶ Προμάχου ἐμβέβληται μαρτυρίας, κτέ.* Solemnis est corruptela pro: *περὶ τούτου μέν,* ut deinde recte sequatur: *οὕτω δὲ Φανερῶς, κτέ.*

§ 35 p. 1019: *κακά μοι (μυρία) παρέχων ἠνάγκασέ με λαχεῖν αὐτῷ δίκην.* Palam est quid exciderit.

§ 48 p. 1022: *ὅμως ὑμᾶς αἰσχύνομαι λέγειν περὶ ἐκείνης τι Φλαῦρον,* Dobraeus commendavit (*πρὸς*) *ὑμᾶς,* equidem post *ὅμως* pronomen delere malim. Contra Mid. § 167 p. 568: *σύνιστε μὲν τὰ πολλὰ τούτων, ὅμως δὲ καὶ μάρτυρας ὑμῖν καλῶ,* Blassius recte intellexit, quam facile ante *ὅμως* excidere potuerit pronomen *ὑμεῖς.* Haud dissimili de causa Olynth. III § 3 14 p. 32: *ἂν μὴ προσγένηται τὸ ποιεῖν ἐθέλειν τὰ δόξαντα προθύμως [ὑμᾶς],* Cobetus et Blassius viderunt post adverbium *προθύμως* expungendum esse *ὑμᾶς.* Vide quoque Olynth. I § 1 p. 9.

§ 54 p. 1024: *ὑμῶν εἰδότων ὃν τρόπον [ἀναγκασθεὶς] ὁ πατήρ μου ἐποιήσατο τούτους.* Molestum participium est.

§ 58 p. 1025: *πρῶτον μὲν οὐχ οὕτω [μετρίως] ζῇ Κρίτων ὥστε παρ' ἑτέρου οἰκίαν ὠνεῖσθαι.* Adverbium turpiter abundat.

§ 59 p. 1026: *ἄλλος μὲν οὐδεὶς αὐτῷ παραγενέσθαι μεμαρτύρηκε, Τιμοκράτης δὲ μόνος (ὃς) ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς μαρτυρεῖ μὲν δεκάτην ἑστιᾶσαι τούτῳ τὸν ἐμὸν πατέρα, κτέ.* Inserto pronomine relativo sententia aptius decurret.

ΠΡΟΣ ΣΠΟΥΔΙΑΝ.

§ 4 p. 1029: *διαΦορᾶς γενομένης τῷ Πολυεύκτῳ πρὸς τὸν Λεωκράτη περὶ ἧς οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ λέγειν.* Scribam: *εἴ τι δεῖ*

λέγειν. Rem novit quidem, sed mavult tacere de dissensionibus, quae ad praesentem causam nihil pertinent.

§ 11 p. 1031: *σκηνὴν δ' ἣν ἔχουσι, οὐδέ γε ταύτην λαβόντες ἀναφέρουσιν*. Ex contextu satis apparet de mundo muliebri hic sermonem fieri, sed quid tandem *σκηνή* proprie est? Audiamus Harpocrationem: *ἔοικε δὲ σκεῦός τι εἶναι, ὅπερ οἱ μὲν κόσμον τινὰ γυναικεῖον εἶναί φασιν, οἱ δὲ σκιάδειον*. Mihi crede: Harpocration non magis norat quid esset *σκηνή*, quam tu vel ego: invenerat sane in suo codice eam ipsam lectionem *σκηνήν*· verum quid hoc ad rem? Si id forte nescias, Cobetus tibi in *Collectaneis* demonstrare poterit quam frequenter lexicographus se decipi passus sit vitiosis et malesanis lectionibus. Ille est verbi causa grammaticus, qui quum apud Dinarchum offendisset: *ἐμπεπηδηκότων τῶν ῥητόρων ὥσπερ ἀπρότων εἰς τὸ ἐμπόριον*, ridiculam coniecturam periclitatus est neque agnovit verissimum esse *παρνόπων*, quod in aliis libris invenisset. Sed quid cesso veram scripturam expromere quam vix assequor quomodo ad hunc diem latere potuerit. Inter mundum muliebrem vestis primum locum obtinet. Hanc quomodo generali nomine Graeci appellant? *Σκευήν*, opinor, et id ipsum Demostheni reddendum. *Οὐκ ἀνενήνοχε* Spudias *φιάλην, χρυσία, σκευήν* denique; rem confirmabit argumenti auctor; etenim actor *ἐπιδείκνυσιν ὡς Σπουδίας ψεύδεται· τὰς μὲν γὰρ τριάκοντα μνᾶς αὐτὸν ἐν ἀργύρῳ φησὶ λαβεῖν· τὰς δὲ δέκα ἐν ἱματίοις καὶ χρυσίοις, ἃ καὶ πλείονος ἢ δέκα μνῶν εἶναι ἄξια*. Nempe haec sunt petita ex § 27 p. 1036. Itidem conferre poteris Olympiod. § 55 p. 1182 et Neaer. § 35 p. 1356 et § 46 p. 1360.

§ 12 p. 1031: *πρὸς μὲν ταῦτ' οὐδὲν ἀντερεῖ Σπουδίας· οὐδὲ γὰρ ἕξει*. Duo vocabula sedem permutanto: *οὐδ' ἀντερεῖ Σπουδίας· οὐδὲν γὰρ ἕξει*.

ΠΡΟΣ ΦΑΙΝΙΠΠΟΝ.

§ 4 p. 1040: *τὸ διευτυχεῖν συνεχῶς τῇ οὐσίᾳ οὐ πολλοῖς τῶν πολιτῶν [διαμένειν] εἴθισται*. Decantata sententia est, sed qui tuentur illud *διαμένειν* non videntur reputasse quid inter *εὐτυ-*

χεῖν et *διευτυχεῖν* interest. Reiskius malebat *παρακαλεῖν*, sed etiamsi G. H. Schaefero haec crisis „fastidiosior" videatur, non satis est corrigere quod una litura sanandum.

§ 23 p. 1047: *Παμφίλῳ φησὶ τάλαντον ἐνοφείλειν*. Restituendum est quod ante Bekkerum edebatur *ἐν ὀφείλειν*. Quid sit *ἐνοφείλειν* et per se apparet et effici poteris ex Nicostr. § 10 p. 1249.

ΠΡΟΣ ΜΑΚΑΡΤΑΤΟΝ.

Summa est in hac oratione verbositas et sunt quae sine fine identidem repetantur, imprimis de gradibus quibus diversae in hoc dramate personae inter se cognatae sint. Iam Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 349 complura exempla attulit et nimium facile foret locorum numerum augere omniaque inutilia supplementa ex textu expungere; verum quid prodest? cum praesertim non intelligamus cur stulta interpolatoris manus hic potissimum grassata sit.

§ 8 p. 1052: *ἐπειδὴ ἦγεν ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαςήριον*. Usus postulat *εἰσῆγεν*.

§ 10 p. 1052: *αἱ ψῆφοι ὀλίγαις πάνυ ἐγένοντο πλείους, ἢ τρισὶν ἢ τέτταρσιν, ἐν τῷ Θεοπόμπου καδίσκῳ*. Expungendum est prius *ἢ*· omnino satis *τρισὶν ἢ τέτταρσιν*. Contra eadem vocula inserenda est Prooem. 50 p. 1457: *ὅπως μὴ* (*ἢ*) *τὰ ἢ τὰ γενήσεται ἀλλ' ὅπως τά*. — Obiter illic observa articuli usum et confer Mid. § 141 p. 560: *τὰ καὶ τὰ πεπονθώς*, Philipp. III § 68 p. 128: *ἔδει γὰρ τὸ καὶ τὸ ποιῆσαι*. Coron. § 243 p. 308: *εἰ τὸ καὶ τὸ ἐποίησεν*. Fals. Leg. § 74 p. 364: *διὰ τὸ καὶ τὸ ἐσώθησαν ἂν οἱ Φωκεῖς*. Eubulid. § 29 p. 1307: *βιοὺς ἔτη τόσα καὶ τόσα*.

§ 14 p. 1054. Hic facere non possum quin locum paulo longiorem fere integrum describam: *οἱ φράτερες οἱ τουτουὶ Μακαρτάτου οἱ ἄριςα εἰδότες περὶ τοῦ γένους, ὁρῶντες αὐτὸν μὲν τοῦτον οὐ θέλοντα κινδυνεύειν οὐδ' ἀπάγοντα τὸ ἱερεῖον ἀπὸ τοῦ*

βωμοῦ, εἰ μὴ προσηκόντως εἰσήγετο ὁ παῖς οὑτοσί, αὐτοὺς δ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν, λαβόντες τὴν ψῆφον, καομένων τῶν ἱερείων, ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέροντες τοῦ Διὸς τοῦ Φρατρίου, παρόντος τουτουὶ Μακαρτάτου, ἐψηφίσαντο τὰ δίκαια ὀρθῶς καὶ προσηκόντως τὸν παῖδα τουτονὶ εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱόν. Primum leve est corrigere: *οἱ ἄριςτ' ἂν εἰδότες·* sed quid est hoc quod Macartatus dicitur egisse ut *οἱ φράτερες* peierarent. Quantum novi, nemo hucusque expedire potuit illa: *αὐτοὺς δ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν.* Audiamus G. H. Schäferum: „Amarus sarcasmus. Periurii terriculamento Macartatus volebat pervincere ut phratores puero ne suffragarentur." Speciem hoc haberet, nisi Macartatus ipse periurium nihil veritus, suffragio suo confirmasset idem quod reliqui omnes: diserta verba sunt § 82 p. 1078: *οὑτοσὶ δὲ Μακάρτατος φανερᾷ τῇ ψήφῳ ἐψηφίσατο ὀρθῶς εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱὸν τὸν παῖδα.* Commendare ausim: *οἱ φράτερες .... ὁρῶντες αὐτὸν .... οὐ θέλοντα κινδυνεύειν, ... οὐδ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν,* Macartati exemplum secuti sunt.

§ 28 p. 1058. Aliquid excidit: *τοῦτο γάρ ἐςιν ᾧ (πρότερον) παρεκρούσατο ὁ τουτουὶ πατήρ.*

§ 67 p. 1073. Notabilis est constructio: *πολὺν χρόνον ἐχόντων ἑαυτῶν τὸν κλῆρον νυνὶ ἀγωνίζονται.* Hic equidem quid statuam omnino non habeo.

§ 69 p. 1073: *ὃ γὰρ ἦν πλείςου ἄξιον ἐν τοῖς χωρίοις τοῖς Ἁγνίου, ... αἱ ἐλᾶαι, ταύτας ἐξώρυττον καὶ ἐξεπρέμνιζον, πλεῖν ἢ χίλια ςελέχη, ὅθεν ἔλαιον πολὺ ἐγίγνετο, ταύτας οὗτοι ἀπέδοντο ἐκπρεμνίσαντες καὶ ἀργύριον ὑπέρπολυ ἔλαβον.* Elumbis oratio est et verbum *ἐκπρεμνίζειν* nimis brevi intervallo inutiliter iteratur. Est locus in *Anecd. Bk.* p. 293. 21: *πρεμνίζειν τὸ καταβάλλειν τὰ πρέμνα, τουτέςι τὰ ςελέχη καὶ τὰ μεγάλα ξύλα,* cuius ope poterimus Photium corrigere apud quem in v. minus bene legitur: *τουτέςι τὰ παχέα καὶ μεγάλα ξύλα.* Sed magis ad rem pertinet Harpocrationis glossa: *ἐξεπρέμνιζον· ἀντὶ τοῦ κατέβαλλον τὰ πρέμνα, τουτέςι μέχρι ῥιζῶν τὰ ςελέχη.* Consequitur Harpocrationem eandem in suo codice habuisse lectionem quam nos quoque habemus, nec tamen quid-

quam impedit, quominus spuria credamus esse verba: ταύτας ἐξήρυττον καὶ ἐξεκρήμνιζον· sententia sic multo aptius decurret.

§ 72 p. 1074: ὑμῶν, πόλεως τηλικαυτησί, κατεφρόνησαν. Supplendum: (οὑτωσὶ) κατεφρόνησαν, uti mox et § 78 p. 1077.

§ 72 p. 1075. Itidem aliquid excidit: ὁ δὲ νόμος ἀπαγορεύει μηδὲν τούτων ποιεῖν, (ἀλλὰ) πολύ γε αὐτοῖς μέλει.

§ 73 p. 1075: ἐπιμέλειαν ἐποιησάμην τοῦ οἴκου τοῦ Ἁγνίου [ὅπως μὴ ἐξερημωθήσεται]. Uncinis inclusi, quae ex proxime praecedentibus perperam iterata sunt.

§ 78 p. 1077: πῶς ἂν (οὖν) γένοιντο τούτων ἄνθρωποι παρανομώτεροι; Reiskius particulam rectissime inseruit; esse miror qui dubitent.

ΠΡΟΣ ΛΕΩΧΑΡΗ.

§ 4 p. 1081. Leocharis pater praeco est: διατελεῖ γὰρ ἐν Πειραιεῖ κηρύττων· τοῦτο δ' ἐστὶν οὐ μόνον ἀπορίας ἀνθρωπίνης τεκμήριον, ἀλλὰ καὶ ἀσχολίας τῆς εἰς τὸ πραγματεύεσθαι. Deinde additur: ἀνάγκη γὰρ ἡμερεύειν ἐν τἀγορᾷ τὸν τοιοῦτον. Est haec fortasse lectoris inutilis adnotatiuncula, sed, utut hoc est, praestare dixerim: διημερεύειν, quod a codicibus aliquid commendationis videtur habere.

§ 6 p. 1082: κατὰ τὴν ἀγχιστείαν γνήσιοι ὄντες δικαίως ἂν οὐσίας κληρονομοῖεν. Sine sensu ita editur: scripserim: γένει προσήκοντες vel simile quid.

§ 21 p. 1087: οὐδ' ἐνταῦθ' οὐδέπω ἡμεῖς οὐδὲν τῶν πραγμάτων περὶ τὸν κλῆρον ἐκινοῦμεν. Reiskius requirebat: τῶν πραγμάτων (τῶν) περί, Blassius autem deletum mavult id quod est πραγμάτων. Equidem scribam: οὐδὲν τὸ παράπαν περὶ τὸν κλῆρον ἐκινοῦμεν.

§ 27 p. 1089: *τί σὺ ἐλαττοῖ τοῦ μηδενὸς ἡμῶν κληρονομησάντων.* Praefero: *κληρονομησόντων.* Similiter Timoth. § 46 p. 1198: *ὁπότε παρὰ τούτου κομιεῖσθαι ἔμελλεν εὐπορήσαντος* et § 64 p. 1203: *ἡγεῖτο παρὰ σοῦ λήψεσθαι εὐπορήσαντος,* futurum placet.

§ 29 p. 1089: *τοῦ τελευταίου ἐγκαταλειφθέντος τούτου ἄπαιδος τετελευτηκότος.* Immo *τρίτου* legendum est et cf. § 61 p. 1098.

§ 31 p. 1090: *τὸ ἁπλοῦν (καὶ) δίκαιον περὶ τῆς κληρονομίας οὕτως ἔχει.* Coniunctionem inserui coll. Steph. I § 45 p. 1115.

§ 38 p. 1092: *τοῦτον οὐκ (ἂν) οἴεσθε τοῦ κλήρου παρὰ τοὺς νόμους ἀμφισβητεῖν;* In vulgata particula deest, quam addidi. Similiter Steph. I § 13 p. 1105: *ἐθελήσαντος μὲν γὰρ ὑπεύθυνον (ἂν) ἐλάμβανον, εἰ δ' ἔφευγε, πάλιν (ἂν) αὐτὸ τοῦθ' ἱκανὸν τεκμήριον ἦν.*

§ 66 p. 1100: *δικαίως γὰρ ὁ νομοθέτης ὥσπερ καὶ τὰς ἀτυχίας τῶν οἰκείων καὶ ἐκδόσεις τῶν γυναικῶν τοῖς ἐγγυτάτω γένους προσέταττε ποιεῖσθαι, οὕτως καὶ τὰς κληρονομίας καὶ τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν τοῖς αὐτοῖς ἀποδέδωκεν.* Haec atra nocte premuntur, sed clara lux oborietur, si mecum correxeris: *πρὸς τὰς ἀτυχίας* et notum *καὶ* et *πρός* sexcenties confundi. Minime mihi persuasit Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 350.

ΚΑΤΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ Α.

§ 4 p. 1102: *οὐ γὰρ ἦσαν ἐν τῷ τότε καιρῷ δίκαι, ἀλλ' (ἀεὶ) ἀνεβάλλεσθε ὑμεῖς διὰ τὸν κίνδυνον.* Vides quid exciderit.

§ 8 p. 1103: *λαβὲ δ' αὐτὴν τὴν μαρτυρίαν καὶ ἀνάγνωθί μοι, ἵν' ἐξ αὐτῆς ἐπιδεικνύω. λέγε· σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ.* Hoc quidem vitiose dictum est; corrige: *ἵν' ἐξ αὐτῆς ἐπιδεικνύω ἃ λέγω· σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ.*

§ 21 p. 1107: *κληρονόμος ὢν καὶ ταύτης* (scil. *τῆς διαθήκης*), *εἴπερ ἦν τοὐμοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων πατρῴων ὁμοίως*. Incommode hoc dictum est; coniicio: *ὡς τῶν ἄλλων πατρῴων* et sic *ὁμοίως* sponte excidet.

§ 61 p. 1119: *οὐκ ἄδηλον ἦν ὅτι τοῦτ' ἔμελλον ποιήσειν προθύμως* [*ἐξομεῖσθαι*]. Est in paucis manifesta interpolatio.

§ 74 p. 1124: *ἢ τὰ καταχύσματα αὐτοῦ κατέχεε* [*τόθ' ἡνίκ' ἐωνήθη*]. De eo more haud pauca Valckenaerius congessit ad Ammonium p. 124; sed quo ille mos notior est, eo evidentius inutile emblema poterimus eiicere.

§ 74 p. 1124: *χωρὶς ὧν οὗτος ἐγκρατὴς γέγονε* [*πολλῶν χρημάτων*]. Sed totus locus considerandus est.

§ 78 p. 1125: *λῃτουργεῖν ὡς οἱ νόμοι προστάττουσι*. L.: *ὅσ' οἱ νόμοι*.

§ 79 p. 115: *οὐχὶ τοῦ τάφου μνημεῖον ἔςαι τὸ οἰκοδόμημα τοιοῦτον ὄν*. Insane magnum erat monumentum, cui Phormio duo talenta impenderat; itaque malo: *τοσοῦτον*.

§ 83 p. 1126: *τάχα τοίνυν ἂν ἴσως καὶ τοῦτό τις αὐτῶν εἴποι*. Abundat *αὐτῶν*· latet *ἀντείποι*.

§ 84 p. 1127: *ἐγὼ γὰρ ὁμομήτριον μὲν ἀδελφὸν ἐμαυτοῦ Πασικλέα νομίζω, ὁμοπάτριον δ' οὐκ* [*οἶδα*]. Ultimum vocabulum valde molestum est.

ΚΑΤΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ Β.

§ 6 p. 1130: *οἱ δὲ νόμοι οὐ ταῦτα λέγουσιν ἀλλὰ . . . ταῦτα μαρτυρεῖν* [*κελεύουσιν*] *ἐν γραμματείῳ γεγραμμένα*. Est hoc solemne vitium.

§ 16 p. 1133. Hic locus mire me torsit et dubitationes meas exscribam non ut doceam, sed ut lectorum iudicia eliciam. Sermo est de iure testamentum faciendi: *οὐδ' ἂν ἄπαις τις ᾖ*,

κύριός ἐςι τὰ αὑτοῦ διαθέσθαι, ἐὰν μὴ εὖ Φρονῇ· νοσοῦντα δὲ ἢ Φαρμακῶντα ἢ γυναικὶ πειθόμενον ἢ ὑπὸ γήρως ἢ ὑπὸ μανιῶν ἢ ὑπ' ἀνάγκης τινὸς καταληΦθέντα ἄκυρον κελεύουσιν εἶναι οἱ νόμοι. Hic primum coepi mirari pluralem numerum eius quod est μανία, nam quamvis crebro inveniatur apud poetas, de quo usu Leeuwenius dixit ad Arist. Nub. 832, dixerim in soluta oratione unice locum esse numero singulari. Deinde contuli ipsa verba legis quae § 14 afferuntur, quibus conceditur testamenti factio quomodo quisque voluerit, ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄρρενες, ἂν μὴ μανιῶν ἢ γήρως ἢ Φαρμάκων ἢ νόσου ἕνεκα ἢ γυναικὶ πειθόμενος, ὑπὸ τούτων του παρανοῶν ἢ ὑπ' ἀνάγκης ἢ ὑπὸ δεσμοῦ καταληΦθείς. Hic quum in ipsa oratione habeamus participium Φαρμακῶντα, dixeris itidem in lege mutato accentu seribendum esse Φαρμακῶν. Grammatici verbum interpretantur et ante omnes Harpocration: Φαρμακῶντα· Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ ΣτεΦάνου· ἔςι δὲ Φαρμακῶν ὁ ὑπὸ Φαρμάκων βεβλαμμένος, ὡς καὶ ΘεόΦραςος ἐν ιε' Νόμων ὑποσημαίνει. Usurpavit Lucianus Lexiphan. 4: τὰ ὄμματά μου Φαρμακᾷ et Plutarchus Moral. p. 1016 E: τοιαῦτα γὰρ ἄντικρυς Φαρμακῶντός ἐςιν et p. 1123 F: οὐ κραιπαλῶντες οὐδὲ Φαρμακῶντες ἄνθρωποι καὶ παρακόπτοντες. Etiam Reiskius in lege malebat Φαρμακῶν scribere. Verum hoc neutiquam probare poterimus, nisi itidem corrigamus γηρῶν vel fortasse formam γηράς pro γήρως. Satis raro invenitur verbum γηρᾶν, sed certum usum habet, veluti Xen. Cyrop. IV. 1. § 15 et quod ad priscam ac poeticam formam γηράναι attinet, satis est ad Cobetum provocare in *Mnem.* 1862 p. 124. Verum pergamus considerare ipsius legis verba: ἂν μὴ μανιῶν ἢ γηρῶν ἢ Φαρμακῶν, nunc necessario μανιῶν participium factum est. Exstatne autem verbum μανιᾶν? Exstat; vide modo Ioseph. Bell. Iudaic. I § 150: τὰ περὶ τὸ τεῖχος ἔνιοι μανιῶντες ἐν ταῖς ἀμηχανίαις ὑπέπρησαν. Iam Aristotelem conferamus ἐν τῇ 'Αθηναίων πολιτείᾳ col. XVI: περὶ τοῦ δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ ᾧ ἂν ἐθέλῃ κύριον ποιήσαντες καθάπαξ, τὰς δὲ προσούσας δυσκολίας εαν μη μανιων η γηρων η γυναικι πιθομενος ἀΦεῖλον. Sit hic locus lacunosus et vitiosus, quemadmum Batavi editores cum multis aliis asseverant; equidem hoc nunc mitto quaerere; illud tantum notabimus in vetusta papyro γηρων legi non γηρως et vix poterimus dubitare quin

§ 56 p. 983: *φύσει μάχεσθαι μὲν ἔχοντ' οὐκ εὔπορόν ἐςι, γνῶναι δ' ἰδόνθ' ἕτερον κἀπιπλῆξαι ῥᾴδιον.* Sine sensu ita editur; sed Athenis homo ingenuus reprehendebatur si forte servuli instar citato gradu per plateas curreret indeque requiro: *φύσει μάχεσθαι μὲν τρέχοντ' οὐκ εὔπορον*, qui forte fortuna senarius est. Habebat hoc Nicobulus: vide § 52 p. 981: *Νικόβουλος ταχέως βαδίζει καὶ μέγα φθέγγεται καὶ βακτηρίαν φορεῖ* et nota reprehensum hoc fuisse etiam in homine quem libertinum fuisse crediderim. Item § 55 p. 982, Evergi verba sunt: *τοιοῦτος ὦ Πανταίνετ' ἐγώ, ὁ ταχὺ βαδίζων καὶ τοιοῦτος σὺ ὁ ἀτρέμας.* Adde c. Steph. I § 77 p. 1124: *ἐγὼ δὲ τῆς μὲν ὄψεως τῇ φύσει καὶ τῷ ταχέως βαδίζειν καὶ λαλεῖν μέγα οὐ τῶν εὐτυχῶς πεφυκότων ἐμαυτὸν κρίνω.* Appellabant hoc quemadmodum nos proprio nomine *πέτεσθαι*. Athen. VI p. 244 D: *Ἄλεξις δ' ἐν Πυραύνῳ Στράτιον τὸν παράσιτον εἰσάγει δυσχεραίνοντα τῷ τρέφοντι καὶ λέγοντα τάδε·*

Ἐμοὶ παρασιτεῖν κρεῖττον ἦν τῷ Πηγάσῳ
ἢ τοῖς Βορεάδαις ἢ εἴ τι θᾶττον ἔτι τρέχει,
ἢ Δημέᾳ Λάχητος Ἐτεοβουτάδῃ·
πέτεται γὰρ οὗτος· οὐ βαδίζει τὰς ὁδούς.

ΠΡΟΣ ΝΑΥΣΙΜΑΧΟΝ.

§ 5 p. 986: *οὕτω τοίνυν (πάλαι) καὶ μετὰ πολλῶν μαρτύρων τῆς ἀφέσεως γεγονυίας.* Vides quid exciderit.

§ 6 p. 986: *καὶ πάντων τῶν πλείςων*, scil. *τετελευτηκότων.* Sunt G. H. Schäfero *plerique omnes* et lectores conferre iubet Xen. Cyrop. VI. 2. 28: *καὶ τὰ ἐφθὰ δὲ πάντα μεθ' ὕδατος τὰ πλεῖςα ἐσκευάςαι*, nec tamen hoc Dobraeo probare potuit qui p. 500 delendum statuit id quod est: *τῶν πλείςων.* Equidem corrigam: *μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον .... καὶ τῆς ἑαυτῶν μητρός .... καὶ διαιτητῶν καὶ μαρτύρων καὶ δικαςῶν τῶν πλείςων, κτἑ.*

§ 10 p. 987: *καὶ γὰρ τοῦτον ἔγραψαν εἰς τὸ ἔγκλημα.* Requiro: *προσέγραψαν.*

§ 11 p. 987. Supplendum: *μέγιςοι μὲν οὖν ἡμῖν εἰσιν (αὐτοὶ) οὗτοι μάρτυρες.*

§ 20 p. 990: ταῦτα δὲ πάντες φασὶν μεγάλων δικαίων ἰσχύειν πλέον παρ' ὑμῖν. Scribam: πάντες ἴσασιν, sicuti legitur § 23 p. 991.

ΠΡΟΣ ΒΟΙΩΤΟΝ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΟΝΟΜΑΤΟΣ.

§ 5 p. 995: πρὶν τὰς εἰς τοὺς δήμους ἐγγραφὰς γενέσθαι ἐλθὼν [εἰς τοὺς δημότας] οὑτοσὶ ἐνέγραψεν ἑαυτόν. Aperta res est; verbum non addam.

§ 17 p. 999: ἀπελθόντων δ' ἐξ Εὐβοίας τῶν ϛρατιωτῶν. Lege: κατελθόντων.

§ 23 p. 1001: πολὺ γὰρ (δήπου) μᾶλλον εἰώθασιν. Particula accessit ex Boeot. de dote § 29 p. 1017.

§ 23 p. 1001: οὐ μόνον ἐκ τούτων ἔϛιν ἰδεῖν ὅτι ψεύσεται. Malo: ψεύδεται, propter Boeot. de dote § 22 p. 1015. Eadem correctione fortasse utendum Spud. § 25 p. 1035.

§ 26 p. 1002: γάμῳ γεγαμηκὼς τὴν ἐμὴν μητέρα. Nonne νόμῳ?

§ 26 p. 1002: πῶς ἂν ἀργύριον (τοσοῦτον) τοιοῦτος ὢν κατέλιπεν, quae correctio satis se ipsam tuebitur.

§ 29 p. 1003: τὸν δὲ τοῦ δικαίου λόγον ἅπαντες ἐπίϛασθε· ἔϛι δὲ οὗτος τίς; ἀφ' οὗ παῖδας ἐποιήσατο τούτους ὁ πατήρ, ἀπὸ τούτου καὶ νομίζεσθαι. Dixerim scribendum esse ὀνομάζεσθαι. Crebra est horum verborum confusio.

§ 39 p. 1006: τούτῳ μὲν Βοιωτὸν, ἐμοὶ δὲ Μαντίθεον θέμενον. Inseram quod facile excidere potuit (ὄνομα) θέμενον.

ΠΡΟΣ ΒΟΙΩΤΟΝ ΠΕΡΙ ΠΡΟΙΚΟΣ.

§ 9 p. 1010: καὶ οὕτως οὐ πάντα γε ἦν ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας κεκρατημένος. Nemo sanus ita loquitur; requiro: ἀλλ' ὅμως οὐ πάνυ γέ τι ἦν vel simile quid.

§ 16 p. 1013: *παραγραψάμενοι Σόλωνα Ἐρχιέα διαιτητὴν τούτῳ ἐπετρέψαμεν δικάσαι περὶ ὧν ἐνεκαλοῦμεν ἀλλήλοις*. Improprie verbum *δικάσαι* de arbitro hic usurpatur et § 43 p. 1021 habemus locutionem *δίαιταν ἐπιτρέπειν*· hinc coniicio: *Σόλωνα Ἐρχιέα παραγραψάμενοι δίαιταν τούτῳ ἐπετρέψαμεν*, expuncto verbo *δικάσαι*.

§ 28 p. 1017: *περὶ τούτου μόνον Τιμοκράτους καὶ Προμάχου ἐμβέβληται μαρτυρίας, κτέ.* Solemnis est corruptela pro: *περὶ τούτου μέν*, ut deinde recte sequatur: *οὕτω δὲ φανερῶς, κτέ.*

§ 35 p. 1019: *κακά μοι (μυρία) παρέχων ἠνάγκασέ με λαχεῖν αὐτῷ δίκην*. Palam est quid exciderit.

§ 48 p. 1022: *ὅμως ὑμᾶς αἰσχύνομαι λέγειν περὶ ἐκείνης τι φλαῦρον*, Dobraeus commendavit (*πρὸς*) *ὑμᾶς*, equidem post *ὅμως* pronomen delere malim. Contra Mid. § 167 p. 568: *σύνιςε μὲν τὰ πολλὰ τούτων, ὅμως δὲ καὶ μάρτυρας ὑμῖν καλῶ*, Blassius recte intellexit, quam facile ante *ὅμως* excidere potuerit pronomen *ὑμεῖς*. Haud dissimili de causa Olynth. III § 3 14 p. 32: *ἂν μὴ προσγένηται τὸ ποιεῖν ἐθέλειν τὰ δόξαντα προθύμως* [*ὑμᾶς*], Cobetus et Blassius viderunt post adverbium *προθύμως* expungendum esse *ὑμᾶς*. Vide quoque Olynth. I § 1 p. 9.

§ 54 p. 1024: *ὑμῶν εἰδότων ὃν τρόπον* [*ἀναγκασθεὶς*] *ὁ πατήρ μου ἐποιήσατο τούτους*. Molestum participium est.

§ 58 p. 1025: *πρῶτον μὲν οὐχ οὕτω* [*μετρίως*] *ζῇ Κρίτων ὥςε παρ' ἑτέρου οἰκίαν ὠνεῖσθαι*. Adverbium turpiter abundat.

§ 59 p. 1026: *ἄλλος μὲν οὐδεὶς αὐτῷ παραγενέσθαι μεμαρτύρηκε, Τιμοκράτης δὲ μόνος (ὃς) ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς μαρτυρεῖ μὲν δεκάτην ἑςιᾶσαι τούτῳ τὸν ἐμὸν πατέρα, κτέ.* Inserto pronomine relativo sententia aptius decurret.

ΠΡΟΣ ΣΠΟΥΔΙΑΝ.

§ 4 p. 1029: *διαφορᾶς γενομένης τῷ Πολυεύκτῳ πρὸς τὸν Λεωκράτη περὶ ἧς οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ λέγειν*. Scribam: *εἴ τι δεῖ*

λέγειν. Rem novit quidem, sed mavult tacere de dissensionibus, quae ad praesentem causam nihil pertinent.

§ 11 p. 1031: *σκηνὴν δ' ἣν ἔχουσι, οὐδέ γε ταύτην λαβόντες ἀναφέρουσιν*. Ex contextu satis apparet de mundo muliebri hic sermonem fieri, sed quid tandem *σκηνή* proprie est? Audiamus Harpocrationem: *ἔοικε δὲ σκεῦός τι εἶναι, ὅπερ οἱ μὲν κόσμον τινὰ γυναικεῖον εἶναί φασιν, οἱ δὲ σκιάδειον*. Mihi crede: Harpocration non magis norat quid esset *σκηνή*, quam tu vel ego: invenerat sane in suo codice eam ipsam lectionem *σκηνήν*· verum quid hoc ad rem? Si id forte nescias, Cobetus tibi in *Collectaneis* demonstrare poterit quam frequenter lexicographus se decipi passus sit vitiosis et malesanis lectionibus. Ille est verbi causa grammaticus, qui quum apud Dinarchum offendisset: *ἐμπεπηδηκότων τῶν ῥητόρων ὥσπερ ἀπρότων εἰς τὸ ἐμπόριον*, ridiculam coniecturam periclitatus est neque agnovit verissimum esse *παρνόπων*, quod in aliis libris invenisset. Sed quid cesso veram scripturam expromere quam vix assequor quomodo ad hunc diem latere potuerit. Inter mundum muliebrem vestis primum locum obtinet. Hanc quomodo generali nomine Graeci appellant? *Σκευήν*, opinor, et id ipsum Demostheni reddendum. *Οὐκ ἀνενήνοχε* Spudias *φιάλην, χρυσία, σκευήν* denique; rem confirmabit argumenti auctor; etenim actor *ἐπιδείκνυσιν ὡς Σπουδίας ψεύδεται· τὰς μὲν γὰρ τριάκοντα μνᾶς αὐτὸν ἐν ἀργύρῳ φησὶ λαβεῖν· τὰς δὲ δέκα ἐν ἱματίοις καὶ χρυσίοις, ἃ καὶ πλείονος ἢ δέκα μνῶν εἶναι ἄξια*. Nempe haec sunt petita ex § 27 p. 1036. Itidem conferre poteris Olympiod. § 55 p. 1182 et Neaer. § 35 p. 1356 et § 46 p. 1360.

§ 12 p. 1031: *πρὸς μὲν ταῦτ' οὐδὲν ἀντερεῖ Σπουδίας· οὐδὲ γὰρ ἕξει*. Duo vocabula sedem permutanto: *οὐδ' ἀντερεῖ Σπουδίας· οὐδὲν γὰρ ἕξει*.

ΠΡΟΣ ΦΑΙΝΙΠΠΟΝ.

§ 4 p. 1040: *τὸ διευτυχεῖν συνεχῶς τῇ οὐσίᾳ οὐ πολλοῖς τῶν πολιτῶν [διαμένειν] εἴθισται*. Decantata sententia est, sed qui tuentur illud *διαμένειν* non videntur reputasse quid inter *εὐτυ-*

χεῖν et *διευτυχεῖν* intersit. Reiskius malebat *παραμένειν*, sed etiamsi G. H. Schäfero haec crisis „fastidiosior" videatur, non satis est corrigere quod una litura sanandum.

§ 28 p. 1047: *Παμφίλῳ φησὶ τάλαντον ἐνοφείλειν*. Restituendum est quod ante Bekkerum edebatur *ἓν ὀφείλειν*. Quid sit *ἐνοφείλειν* et per se apparet et effici poterit ex Nicostr. § 10 p. 1249.

ΠΡΟΣ ΜΑΚΑΡΤΑΤΟΝ.

Summa est in hac oratione verbositas et sunt quae sine fine identidem repetantur, imprimis de gradibus quibus diversae in hoc dramate personae inter se cognatae sint. Iam Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 349 complura exempla attulit et nimium facile foret locorum numerum augere omniaque inutilia supplementa ex textu expungere; verum quid prodest? cum praesertim non intelligamus cur stulta interpolatoris manus hic potissimum grassata sit.

§ 8 p. 1052: *ἐπειδὴ ἦγεν ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον*. Usus postulat *εἰσῆγεν*.

§ 10 p. 1052: *αἱ ψῆφοι ὀλίγαις πάνυ ἐγένοντο πλείους, ἢ τρισὶν ἢ τέτταρσιν, ἐν τῷ Θεοπόμπου καδίσκῳ*. Expungendum est prius *ἢ*· omnino satis *τρισὶν ἢ τέτταρσιν*. Contra eadem vocula inserenda est Prooem. 50 p. 1457: *ὅπως μὴ* (*ἢ*) *τὰ ἢ τὰ γενήσεται ἀλλ' ὅπως τά*. — Obiter illic observa articuli usum et confer Mid. § 141 p. 560: *τὰ καὶ τὰ πεπονθώς*, Philipp. III § 68 p. 128: *ἔδει γὰρ τὸ καὶ τὸ ποιῆσαι*. Coron. § 243 p. 308: *εἰ τὸ καὶ τὸ ἐποίησεν*. Fals. Leg. § 74 p. 364: *διὰ τὸ καὶ τὸ ἐσώθησαν ἂν οἱ Φωκεῖς*. Eubulid. § 29 p. 1307: *βιοὺς ἔτη τόσα καὶ τόσα*.

§ 14 p. 1054. Hic facere non possum quin locum paulo longiorem fere integrum describam: *οἱ φράτερες οἱ τουτουὶ Μακαρτάτου οἱ ἄριστα εἰδότες περὶ τοῦ γένους, ὁρῶντες αὐτὸν μὲν τοῦτον οὐ θέλοντα κινδυνεύειν οὐδ' ἀπάγοντα τὸ ἱερεῖον ἀπὸ τοῦ*

βωμοῦ, εἰ μὴ προσηκόντως εἰσήγετο ὁ παῖς οὑτοσί, αὐτοὺς δ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν, λαβόντες τὴν ψῆφον, καομένων τῶν ἱερείων, ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέροντες τοῦ Διὸς τοῦ Φρατρίου, παρόντος τουτουὶ Μακαρτάτου, ἐψηφίσαντο τὰ δίκαια ὀρθῶς καὶ προσηκόντως τὸν παῖδα τουτονὶ εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱόν. Primum leve est corrigere: *οἱ ἄρισ' ἂν εἰδότες·* sed quid est hoc quod Macartatus dicitur egisse ut *οἱ φράτερες* peierarent. Quantum novi, nemo hucusque expedire potuit illa: *αὐτοὺς δ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν.* Audiamus G. H. Schäferum: „Amarus sarcasmus. Periurii terriculamento Macartatus volebat pervincere ut phratores puero ne suffragarentur." Speciem hoc haberet, nisi Macartatus ipse periurium nihil veritus, suffragio suo confirmasset idem quod reliqui omnes: diserta verba sunt § 82 p. 1078: *οὑτοσὶ δὲ Μακάρτατος φανερᾷ τῇ ψήφῳ ἐψηφίσατο ὀρθῶς εἰσάγεσθαι Εὐβουλίδῃ υἱὸν τὸν παῖδα.* Commendare ausim: *οἱ φράτερες .... ὁρῶντες αὐτὸν .... οὐ θέλοντα κινδυνεύειν, ... οὐδ' ἀξιοῦντα ἐπιορκεῖν,* Macartati exemplum secuti sunt.

§ 28 p. 1058. Aliquid excidit: *τοῦτο γάρ ἐςιν ᾧ (πρότερον) παρεκρούσατο ὁ τουτουὶ πατήρ.*

§ 67 p. 1073. Notabilis est constructio: *πολὺν χρόνον ἐχόντων ἑαυτῶν τὸν κλῆρον νυνὶ ἀγωνίζονται.* Hic equidem quid statuam omnino non habeo.

§ 69 p. 1073: *ὃ γὰρ ἦν πλείςου ἄξιον ἐν τοῖς χωρίοις τοῖς Ἁγνίου, ... αἱ ἐλᾶαι, ταύτας ἐξώρυττον καὶ ἐξεπρέμνιζον, πλεῖν ἢ χίλια ςελέχη, ὅθεν ἔλαιον πολὺ ἐγίγνετο, ταύτας οὗτοι ἀπέδοντο ἐκπρεμνίσαντες καὶ ἀργύριον ὑπέρπολυ ἔλαβον.* Elumbis oratio est et verbum *ἐκπρεμνίζειν* nimis brevi intervallo inutiliter iteratur. Est locus in *Anecd. Bk.* p. 293. 21: *πρεμνίζειν τὸ καταβάλλειν τὰ πρέμνα, τουτέςι τὰ ςελέχη καὶ τὰ μεγάλα ξύλα,* cuius ope poterimus Photium corrigere apud quem in v. minus bene legitur: *τουτέςι τὰ παχέα καὶ μεγάλα ξύλα.* Sed magis ad rem pertinet Harpocrationis glossa: *ἐξεπρέμνιζον· ἀντὶ τοῦ κατέβαλλον τὰ πρέμνα, τουτέςι μέχρι ῥιζῶν τὰ ςελέχη.* Consequitur Harpocrationem eandem in suo codice habuisse lectionem quam nos quoque habemus, nec tamen quid-

quam impedit, quominus spuria credamus esse verba: ταύτας ἐξώρυττον καὶ ἐξεπρέμνιζον· sententia sic multo aptius decurret.

§ 72 p. 1074: ὑμῶν, πόλεως τηλικαυτησί, κατεφρόνησαν. Supplendum: (οὑτωσὶ) κατεφρόνησαν, uti mox et § 78 p. 1077.

§ 72 p. 1075. Itidem aliquid excidit: ὁ δὲ νόμος ἀπαγορεύει μηδὲν τούτων ποιεῖν, (ἀλλὰ) πολύ γε αὐτοῖς μέλει.

§ 73 p. 1075: ἐπιμέλειαν ἐποιησάμην τοῦ οἴκου τοῦ Ἀγνίου [ὅπως μὴ ἐξερημωθήσεται]. Uncinis inclusi, quae ex proxime praecedentibus perperam iterata sunt.

§ 78 p. 1077: πῶς ἂν (οὖν) γένοιντο τούτων ἄνθρωποι παρανομώτεροι; Reiskius particulam rectissime inseruit; esse miror qui dubitent.

ΠΡΟΣ ΛΕΩΧΑΡΗ.

§ 4 p. 1081. Leocharis pater praeco est: διατελεῖ γὰρ ἐν Πειραιεῖ κηρύττων· τοῦτο δ' ἐστὶν οὐ μόνον ἀπορίας ἀνθρωπίνης τεκμήριον, ἀλλὰ καὶ ἀσχολίας τῆς εἰς τὸ πραγματεύεσθαι. Deinde additur: ἀνάγκη γὰρ ἡμερεύειν ἐν τἀγορᾷ τὸν τοιοῦτον. Est haec fortasse lectoris inutilis adnotatiuncula, sed, utut hoc est, praestare dixerim: διημερεύειν, quod a codicibus aliquid commendationis videtur habere.

§ 6 p. 1082: κατὰ τὴν ἀγχιστείαν γνήσιοι ὄντες δικαίως ἂν οὐσίας κληρονομοῖεν. Sine sensu ita editur: scripserim: γένει προσήκοντες vel simile quid.

§ 21 p. 1087: οὐδ' ἐνταῦθ' οὐδέπω ἡμεῖς οὐδὲν τῶν πραγμάτων περὶ τὸν κλῆρον ἐκινοῦμεν. Reiskius requirebat: τῶν πραγμάτων (τῶν) περί, Blassius autem deletum mavult id quod est πραγμάτων. Equidem scribam: οὐδὲν τὸ παράπαν περὶ τὸν κλῆρον ἐκινοῦμεν.

§ 27 p. 1089: *τί σὺ ἐλαττοῖ τοῦ μηδενὸς ἡμῶν κληρονομησάντων*. Praefero: *κληρονομησόντων*. Similiter Timoth. § 46 p. 1198: *ὁπότε παρὰ τούτου κομιεῖσθαι ἔμελλεν εὐπορήσαντος* et § 64 p. 1203: *ἡγεῖτο παρὰ σοῦ λήψεσθαι εὐπορήσαντος*, futurum placet.

§ 29 p. 1089: *τοῦ τελευταίου ἐγκαταλειφθέντος τούτου ἄπαιδος τετελευτηκότος*. Immo *τρίτου* legendum est et cf. § 61 p. 1098.

§ 31 p. 1090: *τὸ ἁπλοῦν (καὶ) δίκαιον περὶ τῆς κληρονομίας οὕτως ἔχει*. Coniunctionem inserui coll. Steph. I § 45 p. 1115.

§ 38 p. 1092: *τοῦτον οὐκ (ἂν) οἴεσθε τοῦ κλήρου παρὰ τοὺς νόμους ἀμφισβητεῖν*; In vulgata particula deest, quam addidi. Similiter Steph. I § 13 p. 1105: *ἐθελήσαντος μὲν γὰρ ὑπεύθυνον (ἂν) ἐλάμβανον, εἰ δ' ἔφευγε, πάλιν (ἂν) αὐτὸ τοῦθ' ἱκανὸν τεκμήριον ἦν*.

§ 66 p. 1100: *δικαίως γὰρ ὁ νομοθέτης ὥσπερ καὶ τὰς ἀτυχίας τῶν οἰκείων καὶ ἐκδόσεις τῶν γυναικῶν τοῖς ἐγγυτάτω γένους προσέταττε ποιεῖσθαι, οὕτως καὶ τὰς κληρονομίας καὶ τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν τοῖς αὐτοῖς ἀποδέδωκεν*. Haec atra nocte premuntur, sed clara lux oborietur, si mecum correxeris: *πρὸς τὰς ἀτυχίας* et notum *καὶ* et *πρός* sexcenties confundi. Minime mihi persuasit Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 350.

ΚΑΤΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ Α.

§ 4 p. 1102: *οὐ γὰρ ἦσαν ἐν τῷ τότε καιρῷ δίκαι, ἀλλ' (ἀεὶ) ἀνεβάλλεσθε ὑμεῖς διὰ τὸν κίνδυνον*. Vides quid exciderit.

§ 8 p. 1103: *λαβὲ δ' αὐτὴν τὴν μαρτυρίαν καὶ ἀνάγνωθί μοι, ἵν' ἐξ αὐτῆς ἐπιδεικνύω. λέγε· σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ*. Hoc quidem vitiose dictum est; corrige: *ἵν' ἐξ αὐτῆς ἐπιδεικνύω ἃ λέγω· σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ*.

§ 21 p. 1107: *κληρονόμος ὢν καὶ ταύτης* (scil. *τῆς διαθήκης*), *εἴπερ ἦν τοὐμοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων πατρῴων ὁμοίως*. Incommode hoc dictum est; coniicio: *ὡς τῶν ἄλλων πατρῴων* et sic *ὁμοίως* sponte excidet.

§ 61 p. 1119: *οὐκ ἄδηλον ἦν ὅτι τοῦτ' ἔμελλον ποιήσειν προθύμως* [*ἐξομεῖσθαι*]. Est in paucis manifesta interpolatio.

§ 74 p. 1124: *ἢ τὰ καταχύσματα αὐτοῦ κατέχεε* [*τόθ' ἡνίκ' ἐωνήθη*]. De eo more haud pauca Valckenaerius congessit ad Ammonium p. 124; sed quo ille mos notior est, eo evidentius inutile emblema poterimus eiicere.

§ 74 p. 1124: *χωρὶς ὧν οὗτος ἐγκρατὴς γέγονε* [*πολλῶν χρημάτων*]. Sed totus locus considerandus est.

§ 78 p. 1125: *λῃτουργεῖν ὡς οἱ νόμοι προστάττουσι*. L.: *ὅσ' οἱ νόμοι*.

§ 79 p. 115: *οὐχὶ τοῦ τάφου μνημεῖον ἐςαι τὸ οἰκοδόμημα τοιοῦτον ὄν*. Insane magnum erat monumentum, cui Phormio duo talenta impenderat; itaque malo: *τοσοῦτον*.

§ 83 p. 1126: *τάχα τοίνυν ἂν ἴσως καὶ τοῦτό τις αὐτῶν εἴποι*. Abundat *αὐτῶν*· latet *ἀντείποι*.

§ 84 p. 1127: *ἐγὼ γὰρ ὁμομήτριον μὲν ἀδελφὸν ἐμαυτοῦ Πασικλέα νομίζω, ὁμοπάτριον δ' οὐκ* [*οἶδα*]. Ultimum vocabulum valde molestum est.

ΚΑΤΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ Β.

§ 6 p. 1130: *οἱ δὲ νόμοι οὐ ταῦτα λέγουσιν ἀλλὰ ... ταῦτα μαρτυρεῖν* [*κελεύουσιν*] *ἐν γραμματείῳ γεγραμμένα*. Est hoc solemne vitium.

§ 16 p. 1133. Hic locus mire me torsit et dubitationes meas exscribam non ut doceam, sed ut lectorum iudicia eliciam. Sermo est de iure testamentum faciendi: *οὐδ' ἂν ἄπαις τις ᾖ*,

κύριός ἐστι τὰ αὑτοῦ διαθέσθαι, ἐὰν μὴ εὖ φρονῇ· νοσοῦντα δὲ ἢ φαρμακῶντα ἢ γυναικὶ πειθόμενον ἢ ὑπὸ γήρως ἢ ὑπὸ μανιῶν ἢ ὑπ' ἀνάγκης τινὸς καταληφθέντα ἄκυρον κελεύουσιν εἶναι οἱ νόμοι. Hic primum coepi mirari pluralem numerum eius quod est μανία, nam quamvis crebro inveniatur apud poetas, de quo usu Leeuwenius dixit ad Arist. Nub. 832, dixerim in soluta oratione unice locum esse numero singulari. Deinde contuli ipsa verba legis quae § 14 afferuntur, quibus conceditur testamenti factio quomodo quisque voluerit, ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄρρενες, ἂν μὴ μανιῶν ἢ γήρως ἢ φαρμάκων ἢ νόσου ἕνεκα ἢ γυναικὶ πειθόμενος, ὑπὸ τούτων του παρανοῶν ἢ ὑπ' ἀνάγκης ἢ ὑπὸ δεσμοῦ καταληφθείς. Hic quum in ipsa oratione habeamus participium φαρμακῶντα, dixeris itidem in lege mutato accentu scribendum esse φαρμακῶν. Grammatici verbum interpretantur et ante omnes Harpocration: Φαρμακῶντα· Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Στεφάνου· ἔστι δὲ φαρμακῶν ὁ ὑπὸ φαρμάκων βεβλαμμένος, ὡς καὶ Θεόφραστος ἐν ιε' Νόμων ὑποσημαίνει. Usurpavit Lucianus Lexiphan. 4: τὰ ὄμματά μου φαρμακᾷ et Plutarchus Moral. p. 1016 E: τοιαῦτα γὰρ ἄντικρυς φαρμακῶντός ἐστιν et p. 1123 F: οὐ κραιπαλῶντες οὐδὲ φαρμακῶντες ἄνθρωποι καὶ παρακόπτοντες. Etiam Reiskius in lege malebat φαρμακῶν scribere. Verum hoc neutiquam probare poterimus, nisi itidem corrigamus γηρῶν vel fortasse formam γηράς pro γήρως. Satis raro invenitur verbum γηρᾶν, sed certum usum habet, veluti Xen. Cyrop. IV. 1. § 15 et quod ad priscam ac poeticam formam γηράναι attinet, satis est ad Cobetum provocare in *Mnem.* 1862 p. 124. Verum pergamus considerare ipsius legis verba: ἂν μὴ μανιῶν ἢ γηρῶν ἢ φαρμακῶν, nunc necessario μανιῶν participium factum est. Exstatne autem verbum μανιᾶν? Exstat; vide modo Ioseph. Bell. Iudaic. I § 150: τὰ περὶ τὸ τεῖχος ἔνιοι μανιῶντες ἐν ταῖς ἀμηχανίαις ὑπέπρησαν. Iam Aristotelem conferamus ἐν τῇ 'Αθηναίων πολιτείᾳ col. XVI: περὶ τοῦ δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ ᾧ ἂν ἐθέλῃ κύριον ποιήσαντες καθάπαξ, τὰς δὲ προσούσας δυσκολίας εαν μη μανιων η γηρων η γυναικι πιθομενος ἀφεῖλον. Sit hic locus lacunosus et vitiosus, quemadmum Batavi editores cum multis aliis asseverant; equidem hoc nunc mitto quaerere; illud tantum notabimus in vetusta papyro γηρων legi non γηρως et vix poterimus dubitare quin

secundum Aristotelem legitima verba fuerint: *ἐὰν μὴ μανιῶν ἢ γηρῶν ἢ γυναικὶ πιθόμενος*, nam non opus habuit integra verba praestare, quae partim certe nobis servata sunt in lege apud Demosthenem. Ipsius oratoris verba graviter corrupta sunt et fieri sane potest ut ipse in interpretando erraverit, sicuti etiam Hyperidem suspicor erravisse Athenog. 17.

ΚΑΤ' ΕΥΕΡΓΟΥ ΚΑΙ ΜΝΗΣΙΒΟΥΛΟΥ.

§ 1 p. 1139: *ἐπισκηψάμενος ταῖς μαρτυρίαις ὁ ἀδικηθεὶς* [*καὶ*] *εἰσελθών*. Vulgaris hic error est.

§ 4 p. 1140: *μάλιϛα μὲν οὖν ἂν ἠβουλόμην μὴ ἔχειν πράγματα*· hoc recte, deinde sequitur: *εἰ δ' οὖν ἀναγκάζοι τις, πρὸς τοιούτους ἡδύ ἐϛιν εἰσιέναι*. Nullus hic locus particulae *οὖν*· dicendum fuit: *εἰ δ' ἄρα ἀναγκάζοι*, cf. v. c. Olympiod. § 30 p. 1175: *ἐὰν δ' ἄρα ἀποτύχῃ*, § 58 p. 1183: *ἐὰν δ' ἄρα μὴ θέλῃ πείθεσθαι*, Callipp. § 10 p. 1239: *εἰ δ' ἄρα ἀπείληφε*, alibi. Videor meminisse me etiam alibi eandem videre illarum particularum confusionem.

§ 5 p. 1140: *οὐκ ἠθελήκασι παραδιδόναι τὴν ἄνθρωπον, ἣν μεμαρτυρήκασι προσκαλέσασθαι πρὸς τῷ διαιτητῇ παραδιδόναι* [*ἕτοιμον εἶναι*] *Θεόφημον*. Duo vocabula supervacanea esse, multi loci ostendere poterunt, v. c. § 6 p. 1140: *Θεόφημος δὲ προυκαλέσατο παραδοῦναι* vel § 35 p. 1149: *ταύτην ἣν μεμαρτυρήκασιν οὗτοι προκαλέσασθαι Θεόφημον παραδοῦναι*. Infinitae sunt in hac oratione repetitiones idemque alio modo dictum est § 47 p. 1153: *ἐμαρτύρησαν ἐθέλειν παραδιδόναι τὸν Θεόφημον τὴν ἄνθρωπον* et § 78 p. 1163: *ἐμαρτύρησαν ὡς οὗτος ἤθελε παραδιδόναι*. Item § 17 p. 1144: *ἔδει αὐτὸν μάρτυρας ποιεῖσθαι ὡς ἕτοιμός ἐϛι παραδιδόναι*. Hinc § 11 p. 1142: *προκαλεσαμένῳ* [*καὶ ἀξιοῦντι*] *παραλαβεῖν τὴν ἄνθρωπον οὐδεὶς παρεδίδου*, expungenda sunt verba quae notavi et in iis quae brevi post sequuntur molesta coniunctio abundat: *εἴπερ ἀληθῆ ἦν ἅ φασι προκαλέσασθαι τὸν Θεόφημον* [*καὶ*] *παραδιδόναι τὸ σῶμα τῆς ἀνθρώπου*. Contuli quoque Zenothem. § 18 p. 887: *προὐκαλεῖτο ὁ Πρῶτος αὐτὸν καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τὴν τῶν Συρακοσίων, κἂν μὲν ἐωνημένος τὸν σῖτον ἐκεῖνος φαίνηται, ... τοῦτον πονηρὸν ὄντα* [*ἠξιοῦμεν*] *ζημιοῦσθαι, εἰ*

δὲ μὴ καὶ τὰ διάφορα ἀπολαβεῖν, ubi vides quid suadeam. Deinde Nicostr. § 22 p. 1253: οὗτοι μὲν γάρ με προὐκαλέσαντο [φάσκοντες ἕτοιμοι εἶναι] παραδιδόναι ἐμοὶ αὐτῷ τἀνδράποδα βασανίσαι, dele insiticia verba et praeterea corrige: αὐτὰ τἀνδράποδα.

§ 16 p. 1144: ἔστιν ὅπου τὴν ἄνθρωπον εἰσήγαγες πρὸς τὸ δικαστήριον; Immo restituenda est praepositio εἰς.

§ 20 p. 1145: ἔτυχεν ἐκπλεουσῶν τριήρων καὶ βοήθεια ἀποστελλομένη διὰ τάχους. Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 352 coniunctionem delere voluit; equidem malo: προσβοήθεια. Alia de hoc loco Cobetus observavit *Mnem.* 1856 p. 383.

§ 28 p. 1147: οὐδ' ἀπεγράψατο διαδικασίαν πρὸς οὐδένα [εἴ (τίς) τινά φησιν ἕτερον ἔχειν τὰ σκεύη καὶ μὴ προσήκειν αὐτῷ ἀποδοῦναι]. Insere τις et dele lectoris inutilem adnotatiunculam.

§ 31 p. 1148: δεινὴ γὰρ ἡ πλεονεξία τοῦ τρόπου. In fine supplendum αὐτοῦ. Item § 33 p. 1149: ἀκούων τὸν Θεόφημον τῶν πεπλησιακότων (αὐτῷ) οἷος εἴη.

§ 43 p. 1152: δεομένων τούτων ἁπάντων καὶ ἱκετευόντων καὶ τίν' οὐ προσπεμπόντων. Lege: εἰσπεμπόντων.

§ 73 p. 1161: εἰ εὖ ᾔδειν ὅτι αἱρήσομαι αὐτούς. Iam Reiskius et post Reiskium Cobetus *Mnem.* 1856 p. 414 correxerunt αἱρήσοιμι. Nondum correctum fuit Boeot. de nom. § 1 p. 995: ἀναγκαῖον ἦν ἐκ τῶν συμβησομένων εἰ μὴ τοῦτο διορθώσομαι, ubi necessarium est διορθώσοιμι.

ΚΑΤ' ΟΛΥΜΠΙΟΔΩΡΟΥ.

§ 1 p. 1167: ἄλλως τε καὶ ὑφ' ὧν ἥκιστα προσήκει [ἀδικεῖσθαι]. Vide modo Cobetum *Mnem.* 1858 p. 45.

§ 4 p. 1168. Incredibile dictu quoties in hac oratione Olympiodori nomen prorsus inutiliter adscriptum sit. Recte, omisso

proprio nomine, semel tantum editur § 24 p. 1174: *αὕτη καλλίστη ἀναβολὴ δημοσίᾳ τούτου ἀποδημοῦντος στρατευομένου*· deleas modo postremum vocabulum.

§ 10 p. 1170: *εἰ δή τις ἄλλος ἠβούλετ' ἀμφισβητεῖν (ὃν) οὐκ ἐνῆν ἡμῖν κωλύειν.* Relege totum locum et senties quam sit necessarium intercalare pronomen relativum.

§ 12 p. 1170. Memorantur *ἀνδράποδα οἱ σακχυφάνται* et seq. § 13: *οὗτος εἵλετο τοὺς φαρμακοτρίβας καὶ τὴν οἰκίσκην· ἐγὼ δ' ἔλαβον τοὺς σακχυφάντας καὶ τὴν οἰκίαν.* Hic primum quaeritur quinam illi sint et Photius respondebit v. *Σακυφάνται* (sed codex habet *σακηφάνται*)· *οἱ πλέκοντες τοὺς γυργάθους καὶ τῶν λινοῦφων οἱ τοὺς σάκους ὑφαίνοντες.* Convenit locus in *Anecd. Bk.* p. 302. 23 praeterquam quod Codex *σάκους* habet, non *σάκκους*, eamque formam in Attica utique dialecto commendat Phrynichus Ecl. p. 257. Qui sint *οἱ σακυφάνται* Pollux dicet X 192, cui iidem sunt qui etiam *κεκρυφαλοπλόκοι* dicuntur: *ὅταν Δημοσθένης*, inquit, *εἴπῃ σακυφάντας, τοὺς πλέκοντας ταῖς γυναιξὶ τοὺς κεκρυφάλους ἀκούουσιν* et Critias ap. Polluc. VII 179 *κεκρυφαλοπλόκον* appellavit. Blümnero *Technolog.* p. 291 sunt *die Kopfnetze und ähnlichen Frauenputz flechten.* Tantum non semper *σάκκος* scribitur, sed forma *σάκος* etiam poetarum testimonio confirmatur, veluti Aristophanis Acharn. 822. Est etiam interdum in bonis codicibus aliquid praesidii, veluti Xen. Anab. IV 5. 36: *διδάσκει ὁ κωμάρχης περὶ τοὺς πόδας τῶν ἵππων καὶ τῶν ὑποζυγίων σακία περιειλεῖν, ὅταν διὰ τῆς χιόνος ἄγωσιν· ἄνευ γὰρ τῶν σακίων κατεδύοντο μέχρι τῆς γαστρός.* Itaque genus discrimen faciebat inter *τὸ σάκος scutum* et *τὸν σάκον, saccum* et *σακυφάνται* rectius dicuntur quam *σακχυφάνται*, sed plane inaudita forma est *σαχυφάνται.* Soli Dorienses *σάκκον* nominabant, cf. Phrynichum et Anon. Pythagoreum in Galei *Opusc. Mythol.* p. 725, ubi primum componuntur *Γλαῦκος* et *γλαυκός*, *Ξάνθος* et *ξανθός*, *Ξοῦθος* et *ξουθός*, deinde pergit: *ταῦτα μὲν τὰν ἁρμονίαν ἀλλάξαντα διήνεικαν. τὰ δὲ μακρῶς καὶ βραχυτέρως ῥηθέντα Τύρος καὶ τυρός, σάκκος καὶ σάκος.* Hic igitur solus docere videtur Dorienses saccum *τὸν σᾶκον* appellavisse, sed perparum id nostra interest scire.

§ 24 p. 1174: ᾤχετο μετὰ τῶν ἄλλων στρατευόμενος. Repono: στρατευσόμενος.

§ 32 p. 1176: καὶ αἱ συνθῆκαι αὗται ἔτι καὶ νυνὶ κεῖνται παρὰ τῷ Ἀνδροκλείδῃ, καὶ μεμαρτύρηκεν αὐτὸς πρὸς ὑμᾶς. Lege: ὡς μεμαρτύρηκεν. Frequens hoc vitium est.

§ 44 p. 1179: οὐδ' ἤκουσέ μου φωνὴν οὐδεὶς ἀνθρώπων ὅτε οὗτος ἠγωνίζετο, οὔτε μικρὰν οὔτε μεγάλην, ἀλλὰ προσωμολόγουν ἀληθῆ εἶναι πάντα ὅσα οὗτος ἠβούλετο. Hiccine licebit severum studium relaxare et aliquando exporrigere frontem? Licebit, uti spero. Tota hac oratione perlecta, postquam fraudes intellexit quibus uterque est usus et petitor et is unde petitur, Hieronymus Wolfius ad Orationis Argumentum indignabundus exclamat: „O miram impudentiam hominis, qui suam improbitatem confiteri non erubescat, et dissolutionem iudicum, si talia scelera ulti non sunt." Amamus et diligimus Wolfii candorem, qui dum multiplices illas fraudes expendebat, excanduit ira et indignatione; sed quid G. H. Schäfero facias, qui rei turpitudinem ita excusat: „Non laudandum facinus, sed cui prisci illi homines δόλους καὶ ἀπάτας alio quam nos modulo metientes veniam facile darent." Si veterum literarum osores haec curarent legere, nae illi inde peterent haud contemnendum argumentum ut demonstrarent, quod saepe in ore habent, his studiis adulescentium ingenia corrumpi et perire sensum eius quod decet. Sed hac conditione nos imbecilli mortales nati sumus: sunt philologi quos τὰ πολλὰ γράμματα εἰς μανίαν περιέτρεψε. — Πολλὰ τὰ κοῦφα κοὐδὲν ἀνθρώπων κουφότερον πέλει.

§ 54 p. 1182: ἃ μὲν ὡμολόγησε καὶ συνέθετο ἑκὼν πρὸς ἑκόντα [καὶ ὤμοσε]. Haud raro confunduntur ὁμολογῆσαι et ὀμόσαι.

ΠΡΟΣ ΤΙΜΟΘΕΟΝ.

§ 1 p. 1185: ἐπειδὰν ὑμᾶς ἀναμνήσω .... τὰ συμβάντα τούτῳ ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ [καὶ] εἰς ὅσην ἀπορίαν κατέστη [οὗτος]. Res in oculos incurrit. De Timotheo cf. Bakius *Schol. Hypom.* III p. 93.

§ 3 p. 1185. Pasion *ᾤετο οὐ μόνον τὰ ἑαυτοῦ κομιεῖσθαι ἀλλὰ καὶ ἄλλου εἴ του δέοιτο πρὸς Τιμόθεον πρᾶξαι ὑπάρξειν αὐτῷ.* Malo: *ἄλλου ὅτου δέοιτο.*

§ 13 p. 1188: *οὐ γὰρ ἀγνοεῖτε τὰ λεγόμενα.* Prorsus requiritur *τὰ γενόμενα.*

§ 15. p. 1189. Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 353 expunxit quod me quoque adverterat: *ὃς ἐπέπλει ταμιεύων Φιλίππῳ τῷ ναυκλήρῳ·* sed quod Blassius scribit Herwerdenum *iure suo* scriptorem correxisse, plane non intelligo quo aculeate dictum pertineat: nostro enim iure librarios corrigimus, volumus id certe, non ipsos scriptores. Sed in hac oratione interpolationes et repetitiones pullulant.

§ 19 p. 1190: *προσκληθεὶς ἀπὸ τῆς οἰκίας (οὐ γὰρ ἦν φανερός) ἔλιπε τὴν μαρτυρίαν πεισθεὶς ὑπὸ τούτου.* Mire hoc mihi dictum videtur; quidni sic: *προσκληθεὶς ἀπὸ τῆς οἰκίας (οὐ γὰρ παρῆν) φανερῶς ἔλιπε τὴν μαρτυρίαν.*

§ 30 p. 1193. Una literula excidit: *οὗτος γὰρ ἦν ὁ δεηθεὶς τοῦ πατρὸς παρασχεῖν τὸ ναῦλον τῶν ξύλων (ἃ) καὶ τούτου ἦν.*

§ 30 p. 1193: *καὶ ἐγράψατο μὲν ὀφείλοντα Τιμόθεον, ὑπόμνημα δ' ἀπεγράψατο τήν τε χρείαν εἰς ἣν ἐλήφθη τὸ ἀργύριον καὶ τὸ ὄνομα τοῦ λαβόντος.* Nonne *παρεγράψατο* hic melius debebit placere? Itidem § 8 p. 1186: *ἐγράψατο μὲν ὀφείλοντα τὸν κελεύσαντα χρῆσαι Τιμόθεον, ὑπόμνημα δ' ἐγράψατο, ᾧ τε οὗτος ἐκέλευσε δοῦναι, κτέ.* pariter in eadem re eodem composito verbo opus est. Cf. Callipp. § 4 p. 1237.

§ 39 p. 1195: *αὐτὸς μὲν γὰρ ὁμολογεῖται ἀποδημεῖν παρὰ βασιλεῖ, τὸν δὲ Φιλώνδαν [ὃν ἔπεμψεν ἐπὶ τὰ ξύλα καὶ συνέςησε τῷ πατρὶ τῷ ἐμῷ] τεθνηκότα κατέλαβες ἥκων παρὰ βασιλέως.* Arguit secunda persona *κατέλαβες* etiam pro *ὁμολογεῖται* restituendam esse secundam personam: *ὁμολογεῖ,* quo facto verba uncinis inclusa ultro excident; cf. § 26 p. 1192. Etiam § 64 p. 1203 restituenda erit secunda persona *φήσεις.*

§ 67 p. 1204: τοὺς θεοὺς οὓς *ἐπιώρκησε*. Imo legendum: ἐπιώρκηκε· vide modo praecedentem paragraphum.

ΠΡΟΣ ΠΟΛΥΚΛΕΑ.

§ 6 p. 1208: ὁρῶντες ἐν τῷ Πειραιεῖ τὸν σῖτον *ἐπιτιμώμενον* καὶ οὐκ ὄντα ἄφθονον ὠνεῖσθαι. Coll. Anecd. Bk. p. 255. 6: ἐπιτετιμημένον· τὸ τίμησιν (lege ἐπιτίμησιν) καὶ ἐπίτασιν ἐν τῇ τιμῇ λαβόν, illic quoque corrigendum duco perfectum *ἐπιτετιμημένον*.

§ 6 p. 1208: ἐψηφίσασθε τάς τε ναῦς καθέλκειν τοὺς τριηράρχους καὶ *παρακομίζειν* ἐπὶ τὸ χῶμα. Quid sit χῶμα legimus in Argum. Orat. de Coron. Trier.: τὸ χῶμα δ' ἦν οἰκοδόμημα ἐν τῷ λιμένι προβεβλημένον προσορμίσεως ἕνεκα καὶ ἀγορᾶς τῶν ναυτῶν. Habuimus autem verbum παρακομίζειν Lacrit. § 32 p. 933: τὸ τάριχος ἀνθρώπῳ τινὶ γεωργῷ παρεκομίζετο, sed sensu, uti vides, longe diverso ab eo quem hic locus requirit. Proprium verbum est in ea re περιορμίζειν· Coron. trierarch. § 4 p. 1229: ὃς ἂν μὴ πρὸ τῆς ἕνης καὶ νέας *ἐπὶ* χῶμα τὴν ναῦν περιορμίσῃ et § 7 p. 1230: τοῦ μὲν μὴ περιορμίσαι τὴν ναῦν τὸν μεμισθωμένον αἰτιᾶσθαι. Praeterea Pollux I § 122 ex Demosthene laudat περιορμίζειν τὴν ναῦν περὶ τὸ χῶμα indeque Polycl. § 6 p. 1208 scribam: καθέλκειν τοὺς τριηράρχους καὶ *περιορμίζειν περὶ* τὸ χῶμα et Coron. Trier. § 4 p. 1229: ὃς ἂν μὴ .... *περὶ* χῶμα τὴν ναῦν περιορμίσῃ.

§ 7 p. 1208: ἔτι δὲ σκεύεσιν ἰδίοις τὴν ναῦν ἅπασι κατεσκεύασα καὶ τῶν δημοσίων ἔλαβον οὐδὲν *καὶ κόσμῳ* ὡς οἷόν τ' ἦν κάλλιστα καὶ διαπρεπέστατα τῶν τριηράρχων. Ad rem cf. § 34 p. 1217: ὑπερπέπαικας πλούτῳ τοὺς ἄλλους, ὥστε καὶ σκεύη ἴδια ἔχειν καὶ *κόσμον χρυσόπαστον μόνος* τῶν τριηράρχων, sed ad sententiae integritatem aliquid deest. Reiskio non successit emendatio; scripserim equidem: *κατακοσμῶν* ὡς οἷόν τε ἦν κάλλιστα.

§ 8 p. 1208: δόξαν γὰρ ὑμῖν ὑπὲρ τῶν δημοτῶν τοὺς βουλευτὰς ἀπενεγκεῖν τοὺς προεισοίσοντας τῶν τε δημοτῶν καὶ τῶν ἐγκεκτημένων, *προσαπηνέχθη* μου τοὔνομα ἐν τριττοῖς δήμοις. Unius-

cuiusque est corrigere: *π ρ ο α π η ν έ χ θ η* et sequenti paragrapho nota *τὰς προεισΦοράς*. Vide *περὶ τῶν προκαταβλημάτων* Cobetum *Miscell.* p. 552 ad Timocr. § 97 p. 731. De verbo *προεισευπορεῖν* nuper quaedam collegi ad Dionys. Halic. VIII 68 p. 1672; nec multum tribuendum censeo dubitationibus Arnoldi Schäferi *Vit. Demosth.* I p. 379.

§ 11 p. 1210: *ὥϛε π ο λ υ τ ε λ ε ϛ έ ρ α ν μοι γενέσθαι τὴν τριηραρχίαν*. Corrigo: *π ο λ υ τ ε λ ε ϛ ά τ η ν*. Contra pro superlativo reponendus comparativus Neaer. § 111 p. 1383.

§ 17 p. 1211: *τοῦ ϛρατηγοῦ ἅμα* [*Τ ι μ ο μ ά χ ο υ*] *προστάξαντος πλεῖν*. Nunc certe interpolatio arguitur incommodo verborum ordine.

§ 23 p. 1214. Aliquid supplendum est: *ἀλλ' (ἀ ε ὶ) ἐμισθούμην ναύτας ἀντὶ τῶν ἀπολιπόντων δανειζόμενος ἀργύριον*.

§ 28 p. 1215: *ἀποδόντες Θρασυλόχῳ (τ ὰ ς) τριάκοντα μνᾶς*. Insere articulum.

§ 30 p. 1216: *οὕτω γάρ μοι ἀκριβῶς ἐγέγραπτο, ὥϛ' οὐ μόνον αὐτά μοι τἀναλώματα ἐ γ έ γ ρ α π τ ο, ἀλλὰ καὶ ὅποι ἀνηλώθη καὶ τί ποιούντων*. Parum eleganter; malim: *αὐτά μοι τἀναλώματα ἐ λ ε λ ό γ ι ϛ ο*.

§ 49 p. 1222: *οἱ γὰρ νόμοι οὐκ ἐῶσιν ὑποδέχεσθαι τῶν Φευγόντων οὐδένα ἢ ἐν τοῖς αὐτοῖς* [*κ ε λ ε ύ ο υ σ ι ν*] *ἐνέχεσθαι τὸν ὑποδεχόμενον (καὶ) τοὺς Φεύγοντας*. Vides quid suspicer.

§ 50 p. 1222: *κελεύοντος πλεῖν* [*ε ἰ ς τ ὴ ν Μ α κ ε δ ο ν ί α ν*] *οἷ προσέταξεν ὁ ϛρατηγός*. Item odoror interpolationem in iis quae continuo sequuntur: *πλεύσοιτο οἷ ἐγὼ κελεύω* [*ε ἰ ς Θ ά σ ο ν ὡ ς τ ὸ ν ϛ ρ α τ η γ ό ν*]. Sed est, fateor, in hac oratione *ῥημάτων ποταμός*.

§ 53 p. 1223: *οἵ τε ϛρατιῶται εἶχον οὐδὲν ὅτου* [*ἂ ν*] *ἐπισιτίσαιντο, ἄσιτοι δ' οὐκ* [*ἂ ν*] *ἠδύναντο ἐλαύνειν*. Bis dele particulam.

§ 54 p. 1223: ἤθελον αὐτῷ παραδιδόναι τὴν ναῦν [φιλοτιμούμενος] ἵνα καταπλεύσαιμι οἴκαδε. Inutile emblema.

§ 56 p. 1224: διὰ γὰρ τὸ Πασίωνος εἶναι οὐκ ἠπόρουν. Diceres inserendum esse id quod est υἱός, sed cf. Nicostr. § 18 p. 1252: ἐγὼ Πασίωνος ὤν. Etiam Dobraeus p. 440 assensum cohibuit. Adde Hyper. c. Dem. col. XXXI v. 17.

§ 56 p. 1224: οὐκ ἠπόρουν ὅπου δεηθείην δανείσασθαι. Malim: ὁπότε δεηθείην et utar eadem correctione § 65 p. 1226: ὅσον ἕκαςος ἔχων ἀργύριον ἀπέδρα καὶ ὁπότε.

§ 60 p. 1225: πολλάκις δὲ πρότερον μετεπέμπετό με. Nonne verius est μετεπέπεμπτό με?

§ 62 p. 1225: τοῦ ἕνεκ' ἄν τις εὔξαιτο τούτων ςερηθεὶς ζῆν; Immo δέξαιτο legendum est. Cf. Callipp. § 33 p. 1245: ἐγὼ ὑμᾶς ἂν δεξαίμην ἅπαντα τὰ ἐμαυτοῦ λαβεῖν et alia exempla quae ad Lucianum dedi *Mnem.* 1901 p. 17.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΤΗΣ ΤΡΙΗΡΑΡΧΙΑΣ.

§ 5 p. 1229: καὶ μὴν οὐδ' ἂν ἐκεῖνό γ' ἔχοιεν εἰπεῖν, ὡς ἀνεπειρῶντ' ἐμοῦ πρότερον. Quid enim? πρὶν γὰρ ἦφθαι μόνον τῆς τριήρους τούτους, ἐπεπλήρωτό μοι καὶ πάντες ἑωρᾶθ' ὑμεῖς ἀναπειρωμένην τὴν ναῦν. Apparet verum esse ἀναπειρώμενον.

ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΠΠΟΝ.

§ 4 p. 1237: εἰώθασι .... ἐὰν μὲν γιγνώσκωσι τὴν ὄψιν τοῦ ἀνθρώπου ᾧ ἂν δέῃ ἀποδοῦναι, τοσοῦτο μόνον [ποιεῖν] γράψαι ᾧ δεῖ ἀποδοῦναι. Otiose additum est id quod est ποιεῖν.

§ 5 p. 1237: ἔρχεται .... οὑτοσὶ εὐθὺς ἐρωτῶν, Λύκωνα Ἡρακλεώτην εἰ γιγνώσκοιεν, ἀποκριναμένου δὲ Φορμίωνος ὅτι γιγνώσκοιεν. Facillima est correctio γιγνώσκοιμεν et γιγνώσκομεν.

§ 12 p. 1239. Inserendum pronomen: ἤθελον τούτῳ ταύτην ἥτις ἐςὶ μεγίςη πίςις δοῦναι ἦ μὴν ἐγὼ τοῦ πατρὸς (αὐτὸς) ἀκούειν.

§ 19 p. 1241: τὸν δὲ ΚηΦισιάδην δεῖξαι αὐτῷ τὸν Ἀρχεβιάδην. Omnino legendum est δείξειν, sed longum est hoc demonstrare; relege totum locum et videbis.

§ 30 p. 1244: οὐ γὰρ οὕτω μοι δοκεῖ δύνασθαι ὥς' εὐκαταΦρόνητος εἶναι. Legam: τοσοῦτον.

ΠΡΟΣ ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΝ.

§ 3 p. 1247: τὰ μὲν οὖν μέγιςα καὶ περιΦανῆ τῶν ἀδικημάτων. Lege: τὰ μὲν μάλιςα περιΦανῆ.

§ 4 p. 1247: ἐπειδὴ δ' ἐτελεύτησεν ὁ πατὴρ καὶ ἐγὼ ἐν ἀγρῷ κατῴκουν. Quis ita loquitur? Lege: μετῴκουν οὗπερ καὶ νῦν οἰκῶ et ultro excidet illud ἐν ἀγρῷ. Iam supra dixerat Apollodorus se ruri habitare.

§ 4 p. 1247: μᾶλλον ἀλλήλοις ἤδη ἐχρώμεθα διὰ τὸ γείτονες εἶναι καὶ ἡλικιῶται· χρόνου δὲ προβαίνοντος καὶ πάνυ οἰκείως διεκείμεθα. Primo obtutu hoc videtur recte dictum esse, sed quum statim sequatur: καὶ ἐγώ θ' οὕτως οἰκείως διεκείμην πρὸς αὐτὸν ὥςε κτέ., nullo negotio intelligimus delenda esse verba οἰκείως διεκείμεθα.

§ 7 p. 1248: εἰσενεγκεῖν αὐτῷ τι ἐκέλευέ με εἰς τὰ λύτρα. Commendo: συνεισενεγκεῖν.

§ 8 p. 1249. Nicostratus aliquando vinctus abreptus in servitutem ab Apollodoro redemtus fuerat, hinc etiam hodie habet in suris cicatrices vulnerum: ἐὰν κελεύσητ' αὐτὸν δεῖξαι, οὐ μὴ ἐθελήσει. Recusabit? Curnam? Respondet Wolfius: „Scomma est quo ei servitutem obiicit tanquam mancipio." Sed aliud quid latere certum est; cogitavi de: οὐ μελλήσει.

§ 25 p. 1254: *ὅτι τὸ χωρίον .... οὐδεὶς ἐθέλοι οὔτε πρίασθαι οὔτε τίθεσθαι.* Nonne *θέσθαι* praestat?

§ 25. p. 1254: *οὐκ ἂν ἔφασαν τῇ ἀρχῇ παραδοῦναι, οὐδ' εἰς τὴν βουλὴν ἤθελον ἀκολουθεῖν.* Facile obtinebo legendum esse *τὴν ἀρχὴν* i. e. *omnino* negarunt. De ea locutione *τὴν ἀρχὴν οὐδέ* = *omnino non*, cum alii plurimi egerunt tum Lennepius ad Epist. Phalar. p. 82 et Hermannus ad Vigerum p. 723. Usurpavit Thucydides I 93 et V 27, Plato Apol. 29 C, Gorg. 478 C, Lysid. 215 B, Theaet. 185 D, Phileb. 63 E et Axioch. 365 D. Apud Demosthenem legitur Aristocr. § 2 p. 622: *εἰ μὲν γὰρ ἦν ἀκούσασιν εὐθὺς εἰδέναι τὰ κεκακουργημένα, τὴν ἀρχὴν ἴσως ἂν οὐκ ἐξηπάτησθε.* Ceterum § 24 p. 1254: *ἡγούμην τε δεῖν τὴν ἀρχὴν ἢ τοὺς ἠρημένους ὑπὸ τῆς βουλῆς γράφεσθαι* et in iis quae proxime sequuntur: *οἱ δ' ἄρχοντες οἱ ᾑρημένοι ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐβασάνιζον ἄν,* video quidem aliquid fuisse turbatum ab iis qui vim illius locutionis *τὴν ἀρχὴν οὐδέ* non caperent, sed satis certam medicinam mihi non contigit reperire.

ΚΑΤΑ ΚΟΝΩΝΟΣ.

§ 4 p. 1257. Nunc tirones mihi cognoscant quam lubrica res sit spuria ex textu eliminare et quam circumspecto iudicio opus sit, etiamsi sciamus nostros codices ineptis supplementis scatere. Verba Demosthenis sunt: *ἐπαρῴνουν οὗτοι τὰ μὲν πολλὰ εἰς τοὺς παῖδας ἡμῶν τοὺς ἀκολούθους.* Totam pericopen transscripsit Dionysius de Adm. Vi Dic. c. 12 cum notabili lectionis varietate: *εἰς τοὺς ἀκολούθους ἡμῶν.* Diceres eam scripturam longe praestare; vide tamen Eupolin ap. Athen. VI p. 236 E:

ἀλλ' ἀκούσαθ' ὡς ἐσμὲν ἅπαντα κομψοὶ
ἄνδρες, ὅτοισι πρῶτα μὲν παῖς ἀκόλουθός ἐςιν
ἀλλότριος τὰ πολλά, μικρὸν δέ τι κἀμὸν αὐτοῦ.

Item apud Oratorem ipsum pr. Phorm. § 45 p. 958: *τρεῖς παῖδας ἀκολούθους περιάγει* et Steph. I § 61 p. 1120: *Ἀπολλόδωρος προὐκαλεῖτο Στέφανον παραδοῦναι τὸν παῖδα τὸν ἀκόλουθον εἰς βάσανον.* Sic quoque Hyperides fr. 70 apud Blassium.

§ 4 p. 1257: *ὁρῶντες δ' ἡμεῖς ταῦτα καὶ λυπούμενοι τὸ μὲν πρῶτον ἀπεπεμψάμεθα.* Haec scriptura cum nihili esset, Hirschigius proposuit: *ἐμεμψάμεθα*, quod Blassius in textum intulit; mihi praeplacet compositum *κατεμεμψάμεθα* et notum est confundi solere praepositiones *ἀπό* et *κατά*.

§ 7 p. 1258: *διαλεχθείς τι πρὸς αὐτόν .... ὥςε μὴ μαθεῖν ὅτι λέγοι.* Supple: *ὥςε (με) μὴ μαθεῖν.* Item § 12 p. 1260: *νῦν δὲ τοῦτ' ἔσωσε τὸ αἷμα ἀποχωρῆσαν.* Lege: *ἔσωσέ (με).*

§ 8 p. 1259: *ὑβρίζοντες ὥςε τὸ μὲν χεῖλος διακόψαι, τοὺς δ' ὀφθαλμοὺς συγκλεῖσαι.* Proximus cognatus mortui oculos *condit* et *συγκλείει*. Moribundi *συγκλείουσι τοὺς ὀφθαλμούς*, unde est *τὸ κωμῳδούμενον ἐν Σοφοκλέους Φινεῖ* apud Polluc. VII 193:

βλέφαρα κέκληταί γ' ὡς καπηλείου θύρα.,

sed ad nostrum locum hoc nihil pertinet. Etiam Reiskio interpretatio non successit: „Tantum enim coeni", inquit, „eius oculis ingesserunt et pugnis ita contuderunt, ut tumor non pateretur oculos aperiri". Hoc quidem verum est et § 11 p. 1260, quod minime miramur, *τὰ οἰδήματα τὰ ἐν τῷ προσώπῳ* revera memorantur. Ita est; sed quod Aristoni accidit id quomodo dicendum est? Constat certe *συγκλείειν τοὺς ὀφθαλμούς* alio modo usurpari. *Sugillare* est et *ὑπωπιάζειν* et neutrum verbum *κυλοιδιᾶν*· sed nihil horum ad correctionem adhiberi poterit. Est tamen emendatio ante pedes posita: *ὥςε τὸ μὲν χεῖλος διακόψαι, τοὺς δ' ὀφθαλμοὺς συγκλάσαι* vel quod Leeuwenius fere malebat: *συνθλάσαι*. Coll. § 35 p. 1267 et § 41 p. 1269 videbis non magis ad literam hoc esse interpretandum quam si quis dicatur *κατεαγέναι τὴν κεφαλήν*. — Peculiaris est significatio *τοῦ κατακλᾶν τὸν ὀφθαλμόν*, quod Phrynichus apud Bekkerum p. 45. 26 ita interpretatur: *οἷον ἐνθρύπτεσθαι διὰ τὸν ὀφθαλμόν, ὅπερ ποιοῦσι ταῖς ἐρωμέναις οἱ ἐραςαί, τὸν ἕτερον ἐκκλίνοντες ὀφθαλμόν*, ubi omnino legendum: *τὸν ἕτερον κλείοντες ὀφθαλμόν*. Ad hunc usque diem lascivi homines idem faciunt. Sed de ipsa glossa oritur dubitatio sitne recte tradita.

§ 9 p. 1259. Sequitur narratio miro modo impedita, unde me extricare non potui. Quodsi verba: *ὡς δ' ἐπὶ τὴν θύραν ἦλ-*

θον, κραυγὴ καὶ βοὴ τῆς μητρὸς καὶ τῶν θεραπαινίδων ἦν, καὶ μόγις ποτ' εἰς βαλανεῖον ἐνεγκόντες με καὶ περιπλύναντες ἔδειξαν τοῖς ἰατροῖς — removeris in sequentem paragraphum post vocabulum *παραγενέσθαι*, paulo quidem aptius narratio decurret et tamen aliquid difficultatis remanebit.

§ 11 p. 1260. Iacet in lectulo male mulcatus homo; *πυρετοὶ δὲ παρηκολούθουν μοι συνεχεῖς καὶ ἀλγήματα, ὅλου μὲν τοῦ σώματος πάνυ σφοδρὰ καὶ δεινά, μάλιστα δὲ τῶν πλευρῶν καὶ τοῦ ἤτρου.* Deinde quid tum? *καὶ τῶν σιτίων ἀπεκεκλείμην.* Medicus non sum, sed novi tamen quam sit incredibile febricitantem hominem esurire, quum alimenta sibi a circumstantibus denegentur; et quam perverse hoc dictum est *τῶν σιτίων ἀποκλείεσθαι*. Ludere iuvat: *καὶ πνευστιῶν κατεκείμην* (*πνευ*ΣΤΙΩΝ — ΣΙΤΙΩΝ). Retractabo si quid verisimilius reperire potueris. Quod brevi post sequitur: *κάθαρσις αἵματος αὐτομάτη μοι πάνυ πολλὴ συνέβη περιωδύνῳ τ' ὄντι καὶ ἀπορουμένῳ ἤδη*, non praeferam sane quod Blassius hiatus odio per coniecturam in textum intulit: *ἀπορουμένων*.

§ 25 p. 1264: *εἰ γὰρ οἱ παρόντες τοὺς ἐξαμαρτάνειν ἐπιχειροῦντας αὐτοὶ παροξυνοῦσιν, οὐδεμί' ἐστὶν ἐλπὶς σωτηρίας.* Lege: *προσπαροξυνοῦσιν* et *ἔσται*.

§ 34 p. 1267: *τὸν Χαιρέτιμον τὸν ἐπιπόλιον τουτονί.* Quod Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 355 acute coniecit: *ὑποπόλιον*, id non intelligo cur Blassius cum plurimis aliis ne mentione quidem dignum iudicaverit.

§ 39 p. 1269: *Βάκχιόν τινα, ὃς παρ' ὑμῖν ἀπέθανε.* Hic utar eadem correctione qua supra subvenire conatus sum Mid. § 161 p. 566 et scribam *ὃς πέρυσιν ἀπέθανε*. Recte legitur Halonn. § 20 p. 81: *ηὐδοκίμησεν ὁ Πύθων παρ' ὑμῖν ἐν τῇ δημηγορίᾳ*, sed sensu diverso.

§ 39 p. 1269: *τοὺς ὄρχεις τοὺς ἐκ τῶν χοίρων οἷς καθαίρουσιν ὅταν εἰσιέναι μέλλωσιν.* Hunc locum qui in Codicibus corruptus est, cum non *ὄρχεις* habeant, sed *ὄρνεις*, egregie expedivit Hemsterhusius Lucian. II p. 398 Ed. Bip. Prytanes sunt

qui hoc faciunt, quorum nomen non abesse debet, sed apparet cur vocabulum propter simillimos literarum ductus interciderit: *οἷς καθαίρουσιν* (*οἱ πρυτάνεις*) *ὅταν εἰσιέναι μέλλωσιν* (ΟΙΠΡΥΤΑΝΕΙΣ — ΟΤΑΝΕΙΣ*ιέναι*).

§ 44 p. 1270. Supple: *πόλλ' ἂν* (*ἔτι*) *εἰπεῖν ἔχοιμι.*

ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΚΛΕΑ.

§ 3 p. 1272: *ἓν μὲν οὖν πρὸς ἅπαντας τοὺς τούτων λόγους παρέχομαι δίκαιον.* Est vetus nonnullorum librorum lectio *ὑπάρχει μοι*, quae lectio secundum Blassium non deterior est, mihi autem longe melior videtur esse.

§ 3 p. 1272: *οὔτ' ἐγκαλῶν οὐδεὶς πώποτ' ἦλθεν οὔτε μεμφόμενος.* Immo: *μεμψόμενος.* Quid opus est dicere etiam *ἐγκαλῶν* esse participium futuri temporis?

§ 5 p. 1273: *εἰ δ' ὠλιγώρησε καὶ συνέβη τι τοιοῦτον.* Malo: *κᾆτα.*

§ 9 p. 1274: *τοῖς εἰδόσιν ἐπιτρέπειν ἐβουλόμην τοῖς ἴσοις* (*καὶ κοινοῖς*). Supplendum hoc est ex § 35 p. 1281.

§ 10 p. 1274: *ὅρους περιέχοντος κύκλῳ τοῖς χωρίοις.* Hic haesit Reiskius et G. H. Schäferus ne nihil dixisse videretur, dativum incommodi esse pronunciavit. Ut in incerta re, fere dixerim verum esse (*περὶ*) *τοῖς χωρίοις.*

§ 15 p. 1275. Pro testimonio dictum fuit *τὸ χωρίον εἶναι δένδρων μεςὸν καὶ μνήματ' ἔχειν τινά.* Supple *παλαιά* ex praec. paragr.

§ 15 p. 1275: *ἀμφισβητούντων δὲ οὔτε τούτων οὔτε ἄλλου τῶν γειτόνων οὐδενός.* Hic quoque aliquid deest: *ἀμφισβητούντων δὲ* (*τότε*).

§ 19 p. 1277: *εἰ μὲν γὰρ ἦν χαράδρα πάλιν ὑποδεχομένη.*

Immo: (ὕδωρ) ὑποδεχομένη. Bastius dicet quo compendiolo ὕδωρ scribi soleat; inde vitium repetendum. Cf. praeterea Aelian. Epist. 6, qui hanc orationem ante oculos habuit.

§ 20 p. 1277: Καλλικλῆς μὲν εἰς τὸ χωρίον εἰσπεσόντος τοῦ ὕδατος ἁμαξιαίους λίθους προσκομίσας ἀποικοδομεῖ. Nonne verius videtur προσκυλίσας? Ex Novo Testamento huius verbi usus omnibus notus est.

§ 24 p. 1278. Hic locus valde memorabilis est. Tisiae vidua, quae et mater eius qui hic loquitur, venit aliquando ad Calliclis matrem, nam per complures annos vicinae fuerant et familiares. Illic anus omnia rescivit de iactura quam in agro Calliclis vis aquarum intulerat, et quae audiverat, statim filio narravit. Graeca verba sunt: ἦ μὴν ὁρᾶν καὶ τῆς τούτων μητρὸς ἀκούειν ἔφη, κριθῶν μὲν βρεχθῆναι καὶ ξηραινομένους ἰδεῖν αὐτὴν τρεῖς μεδίμνους, ἀλεύρων δὲ ὡς ἡμιμέδιμνον· ἐλαίου δὲ ἀποκλιθῆναι μὲν κεράμιον, οὐ μέντοι παθεῖν γ' οὐδέν. Primum leve est reponere: ἰδεῖν αὐτή, quod etiam Blassius maluit; deinde videndum quid substitui debeat pro absurdis verbis: οὐ μέντοι παθεῖν γ' οὐδέν. Sed hoc quidem non nimis arduum est existimare. Narraverat mater Calliclis hordei vix tres medimnos humefactos esse et farinae tres modios, periisse autem amphoram olei; hanc solam exiguam jacturam fuisse factam, nam de sensu corruptorum verborum nemo facile anceps haerebit. Quin igitur reponimus: οὐ μέντοι πλέον γε οὐδέν, eaque lenis in paucis mutatio est (ΠΑΘΕΙΝ — ΠΛΕΟΝ). Restat illud ἀποκλιθῆναι quae Bekkeri scriptura est, nam antiquitus edebatur ἀποκλινθῆναι, pro qua lectione Wolfius commendavit ἀποκλυσθῆναι vel ἀποκυλισθῆναι. Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 355 satis habet rescribere Atticam formam ἀποκλινῆναι, sed praeterea negat quidquam mutandum esse. Ad eum finem provocat ad Andocid. de Myst. § 125, ubi Ischomachi filia ἀπαρχομένη μεταξὺ κατεκλίθη καὶ ἐπειδὴ ἀνεβίω ἀποδρᾶσα ἐκ τῆς οἰκίας ᾤχετο. Equidem non perspicio quid hic locus faciat ad veterem apud Demosthenem lectionem tutandam; deinde illud κατεκλίθη omnibus interpretibus offensioni fuit, nam Sluiterus κατεκωλύθη coniecit, Dobraeus κατελήφθη, Baiterus denique quem etiam Lipsius secutus est, κατελύθη. Nec

multo plus praesidii est in altero loco, quem Herwerdenus attulit: Plut. Galb. 27: *τὸν δὲ Γάλβαν ἀποκλιθέντος τοῦ Φορείου περὶ τὸν Κουρτίου καλούμενον λάκκον ἐκκυλισθέντα κτέ.* Tantae molis fuit reperire quod ante pedes erat positum. In ipso illo optimo Parisino Codice non *ἀποκλιθῆναι* legitur, sed *ἀποκληθῆναι·* unde extricandum: *ἐλαίου δὲ ἀποβληθῆναι μὲν κεράμιον Φάσκειν· οὐ μέντοι πλέον γ' οὐδέν.* Scilicet nostri oculi interdum *κρατοῦνται τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι τἀληθές.*

§ 24 p. 1278. Restat supplendum in eadem paragrapho: *καὶ (εἰ) λέγω μὲν ἅπερ ἤκουσα τῆς μητρός, οὕτω μοι πόλλ' ἀγαθὰ γένοιτο.*

§ 29 p. 1280: *καὶ νῦν ὑμεῖς ἐμὲ ἀδικεῖτε περιοικοδομοῦντες οὕτως.* Malo: *ὡσαύτως.*

§ 30 p. 1280: *δῆλον γὰρ ὅτι μεγάλοις λίθοις ἀποικοδομηθέντος πάλιν τὸ ὕδωρ εἰς τὸ ἐμὸν ἥξει χωρίον.* Hic Dobraeus p. 515 iam vidit *ἀποικοδομηθέν* verum esse, sed nemo ei aurem praebuit. Simili correctione utendum Polycl. § 17 p. 1211.

§ 30 p. 1280: *πονηρότατόν τ' εἶναι καὶ διεΦθαρμένον ὑπὸ νόσου νομίζω.* Scribam: *ὁπωσοῦν.* Vide eam particulam v. c. Lept. § 158 p. 505, alibi et *ὁπωςινοῦν* Lacrit. § 6 p. 924.

ΚΑΤΑ ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΟΥ.

§ 15 p. 1287: *τὴν συγγραΦὴν ἐν ᾗ τὴν ὑπὲρ τῶν δικαίων βοήθειαν ἔχομεν.* In fine supplendum *μόνην.* Calamitosum est adiectivum *μόνος*, nec latet causa. Nausimach. § 2 p. 955: *ὃ μὲν γὰρ ὑμεῖς ἐπὶ τῇ δίκῃ τίμημ' ἀκηκόατε, τριάκοντ' εἰσὶ μναῖ, ὧν δὲ Φεύγομεν χρημάτων τέτταρα τάλαντα.* Insere: (*μόναι*) *μναῖ*, sicuti recte legitur Phaen. § 22 p. 1045; *ὁ μὲν ἐμὸς πατὴρ πέντε καὶ τετταράκοντα μνῶν μόνων τὴν οὐσίαν κατέλιπεν, ἀΦ' ἧς ζῆν οὐ ῥᾴδιόν ἐςιν,* et Coron. Trier. § 11 p. 1231: *τριάκοντα δραχμὰς ἕκαςος ἔχει μόνας.* Item Neaer. § 99 p. 1379 lege: *εἶδον πολλοὺς ὄντας τοὺς Θηβαίους ἀλλὰ τοὺς πρώτους αὐτῶν εἰσεληλυθότας (μόνους).*

§ 16 p. 1288: *ἀπολαμβάνοντες ἃ οὗτος ἐπέταττεν.* Minutum est *ὅσα* rescribere; vide paragraphi initium.

§ 22 p. 1289: *ἀκούσατε ἃ λέγομεν δίκαια.* Immo: *ἔχομεν.*

§ 24 p. 1290: *οὐ ταῦτ' ἀπέστελλον πάντα δεῦρο ἀλλ' ἐκλεγόμενοι τίνων αἱ τιμαὶ ἐπετέταντο.* Bene, credo, G. H. Schäferus correxit: *(εἴ) τινων.*

§ 25 p. 1290: *τὸν σῖτον αὐτοῦ [ἐν τῇ 'Ρόδῳ] κατελίπετε.* Aperta res est.

§ 26 p. 1290. Hic permirum est in Parisino libro barbaram legi formam *σεσυγχωρηκέναι* pro *συγκεχωρηκέναι*, quamquam ille codex ceteroquin non soleat hoc modo vitiatas formas exhibere, nec tamen propterea § 30 p. 1292 cum Herwerdeno *Mnem.* 1875 p. 356 pro *προσκεκερδήκασι* restituere ausim: *προσκεκερδάγκασι.* Non solum hoc verbum in *-αίνειν* est, quod aliquot formas mutuatur ab cognata forma contracta; sic supra in Midiana habuimus verbum *ἀσελγαίνειν* et *τὰ ἠσελγημένα*, quam formam cum aliis quibusdam contulit Cobetus *ἐν τῷ 'Ερμῇ λογίῳ* p. 282. Ipse de verbo *ἀγριαίνεσθαι* et de perfecto *ἠγριῶσθαι* adnotavi ad Dion. Halic. X. 12 p, 2016. Legitur praeterea apud Herodotum futurum *κερδήσεσθαι* et aoristus *ἐκέρδησαν*, licet inveniam VIII 60 § 3: *κερδανέομεν.* Sed etiamsi illud *προσκεκερδήκασι* tuear, non tamen feram in hac oratione verbum *παρασυγγραφεῖν* § 28 p. 1291: *διὰ ταῦτ' οὐδὲν ἀδικεῖς ἡμᾶς οὓς παρασυγγεγράφηκας εἰς 'Ρόδον καταγαγὼν τὴν ναῦν*; et § 34 p. 1293: *ἄφεσιν οἴονται δεῖν εὑρίσκεσθαι τῶν τόκων παρασυγγεγραφηκότες.* Ecquid latet? Num forte *παρασεσυκοφάντηκας* et *παρασεσυκοφαντηκότες*? Cf. Plut. Moral. p. 73 B: *ἑτέρου δὲ μικρολογουμένου περὶ πάντα καὶ παρασυκοφαντοῦντος.* Sed alii videant.

§ 29 p. 1291: *οἱ γὰρ ἐκ τῆς Αἰγύπτου δανείσαντες τούτοις ἑτερόπλουν [τἀργύριον] εἰς 'Αθήνας.* Vitiose abundat *τἀργύριον.*

ΠΡΟΣ ΕΥΒΟΥΛΙΔΗΝ.

§ 4 p. 1300: *ὅπου γὰρ εἰδέναι τινὲς ἤδη φήσαντες ψευδεῖς ἐφάνησαν, πῶς ἅ γε μηδ' αὐτὸς οἶδεν ὁ λέγων προσήκει πιστεύεσθαι;* Haec quidem sine sensu ita scripta sunt; prorsus requiro *ἰδεῖν* et *εἶδεν*. Frequens est ea confusio; luculenta exempla Mehlerus meus dedit *Mnem.* 1852 p. 405 sq.

§ 8 p. 1301. Supplendum est: *ἐν ἐκείνῳ τῷ ἀγῶνι (ἐκείνῃ μὲν) τὰ δίκαια, τούτῳ δὲ τἀναντία ἐμαρτύρησα.*

§ 9 p. 1302: *καὶ γὰρ ἦν περὶ ἑξηκοστόν.* Quid hoc significare debeat, non obscurum est: iam sexaginta cives pluresve fortasse vocati fuerant et nunc de Euxitheo in suffragium ibitur. Iam quaesivi de hoc loco *Mnem.* 1873 p. 168. Apud Phrynichum in *Anecd. Bk.* p. 67. 20 recensentur adiectiva: *ὑπερθεμιστοκλῆς, ὑπερσωκράτης, ὑπερευρύβατος.* Adiectivum est *ὑπεράνθρωπος* quod reddendum erit Heliodoro qui p. 394. 2 Did. *κάλλος ὑπὲρ ἄνθρωπον* appellavisse creditur. Scribit Xenophon Ephesius p. 390. 6 Herch.: *τέχνας σωφροσύνης ὑπὲρ γυναῖκας εὑρίσκω,* quod *ὑπεργυναίκους* scriptum oportuit. Apud Isaeum de Philoctemonis hereditate § 14: *τῇ μὲν γὰρ στρατιᾷ, ἀφ' οὗ ἐξέπλευσεν εἰς Σικελίαν, ἤδη ἐστὶ δύο καὶ πεντήκοντ' ἔτη, τῷ δὲ πρεσβυτέρῳ τούτων οὔπω ὑπὲρ εἴκοσιν ἔτη,* commendare ausim: *ὑπερείκοσιν ἔτη,* sicuti in oratione adv. Neaeram § 89 p. 1375 recte scribitur ab omnibus: *ἐὰν μὴ ὑπερεξακισχίλιοι Ἀθηναίων ψηφίσωνται.* Itaque eodem modo in oratione adv. Eubulidem mihi persuasi verum esse: *καὶ γὰρ ἦν ὑπερεξηκοστός·* h. e. de paulo pluribus quam sexaginta ante me iam pronunciatum fuerat.

§ 10 p. 1302: *τῶν πλείστων ἐκεῖ οἰκούντων.* Hinc efficere poteris, quod haud satis scio an nondum observatum fuerit, nisi omnes bonam certe civium partem habitavisse in iisdam pagis quibus patres olim adscripti erant. De Cimone Miltiadis filio res non est dubia.

§ 56 p. 1316: *τῶν ἀποψηφισαμένων* [*Ἁλιμουσίων*] *ἐμοῦ.* Nomen proprium in marginem abeat.

§ 63 p. 1318: *τοῦτ' ἔχω δεικνύναι τεκμήριον ὡς συνέςησαν.* Lege: *συνέςασαν*, cf. § 59 et 60 p. 1317.

ΚΑΤΑ ΘΕΟΚΡΙΝΟΥ.

§ 22 p. 1328: *οὐ γὰρ δὴ προσδοκᾶν γε δεῖ Θεοκρίνην ὁμολογήσειν ὀφείλειν καὶ δικαίως ἐνδεδεῖχθαι φήσειν.* Ultimum vocabulum interpolatum est.

§ 22 p. 1328: *ἐρεῖν. . . . . ὡς καταστασιάζεται, ὡς διὰ τὰς τῶν παρανόμων γραφὰς εἰς ταῦθ' ἥκει.* Lege: *καὶ διὰ τάς.* Quod saepe vidimus, solemnis est illarum particularum confusio.

§ 24 p. 1329: *ἀκούω . . . . ὡς ἄρα προσῆκόν ἐςιν ὅλως μὲν μηδενὶ μηδεμίαν συγγνώμην ὑπάρχειν παραβαίνοντι τοὺς νόμους, εἰ δὲ ἄρα δεῖ μὴ τοῖς συνεχῶς οὖσι πονηροῖς, κτέ.* Necessarium esse iudico: *εἰ δ' ἄρα, δεῖν.*

§ 29 p. 1331: *προσκαλεῖσθαι, ἕως διελύσατο.* Ecce, hic Blassius recte servavit *ἕως*, etiamsi diphthongus praecedat, cum alibi haud raro miro iudicii errore pro *ἕως* ultro *τέως* in textum intulerit, v. c. Olynth. I § 20 p. 15, Olynth. II § 21 p. 24, Philipp. IV § 74 p. 151, Symmor. § 36 p. 188, Fals. Leg. § 326 p. 445; Lept. § 91 p. 484, Spud. § 5 p. 1029 et Dionysod. § 14 p. 1287. Miror doctum editorem in tam simplici re titubare potuisse. Exclamat orator in prima Olynthiaca: *ἕως ἐςὶ καιρός, ἀντιλάβεσθε τῶν πραγμάτων.* Blassius *τέως* edidit: cur tandem? Omnes libri *ἕως* habent, sed „compositionis numerorumque ratio *τέως* flagitare vide*ban*tur." Credideris eam „compositionis numerorumque rationem" non minus esse certam quam ipsae sunt de re metrica leges apud poetas? at ipse Blassius ad hunc usque diem semper pergit easdem quaestiones tractare et quae modo tractavit retractat et quae retractavit emendat et quae emendavit evertit, ut nihil in ea doctrina satis stabile sit et praeposterum videatur tam levi de causa

Graeci sermonis sinceritatem corrumpere. Mirificus error est credere veteres, veteres inquam, pro ἕως usurpare potuisse τέως· non minus hoc est incredibile quam si quis contenderet pro ὅςις interdum οὗτος posse usurpari. Apparet etiam unde ille pertinax error haeserit. Est perdocta Boethi adnotatio in Schol. Plat. Hipparch. p. 229 D, qui tamen se decipi passus est duobus locis, quibus credebat τέως ἀντὶ τοῦ ἕως esse positum: Arist. Pac. 32 et Dem. Fals. Leg. § 326 p. 446. Sed ipsi lectores iudices sunto; equidem Blassio non magis persuadere potero quam Blassius mihi. Alia vide apud Voemelium Dem. Cont. p. 148.

§ 29 p. 1331. Aliquid excidit: (ὡ ς δ ὲ) χρηςός γ' ἐςὶ καὶ πιςὸς καὶ κρείττων χρημάτων οὐδ' ἂν αὐτὸς φήσειεν.

§ 42 p. 1335: τὸ δ' αἴτιόν ἐςιν .... τοῦτον κ α ὶ τὸν ἄρτι καλούμενον διαλελύσθαι. Malo: π ρ ὸ ς τὸν ἄρτι καλ. Hanc quoque confusionem iam supra aliquoties notavimus.

§ 50 p. 1338. Supple: περὶ δὲ τῶν μὴ ἐγγεγραμμένων (μ ὲ ν) ὀφειλόντων δέ.

§ 67 p. 1343. Quod supra suscepi demonstrare Demosthenem historiam patriam negligenter didicisse, id valet de reliquis, ut opinor, oratoribus omnibus, dummodo Isocratem exceperis. Etiam orator cui debemus orationem adversus Theocrinem, sibi cavere non potuit ab turpi errore, nam, ut mittam verosimiliter eum ignoravisse quo fato Aristocrates perierit, qui tamen unus fuit ex ducibus qui apud Arginusas adversus Spartanos pugnaverunt, id tamen certo certius constat eum confudisse quadringentum imperium cum trigintavirum dominatione. Aristocrates est qui κατέσκαψε τὴν Ἠετιώνειαν εἰς ἣν Λακεδαιμονίους ἔμελλον ο ἱ π ε ρ ὶ Κ ρ ι τ ί α ν ὑποδέχεσθαι. Sed taedet plura describere neque opus est.

§ 68 p. 1343: βελτίους ὄντας τούτου καὶ δ ί κ α ι α λέγοντας. Nonne corrigendum δ ι κ α ι ό τ ε ρ α?

ΚΑΤΑ ΝΕΑΙΡΑΣ.

§ 2 p. 1345. Et hic et in sequentibus plus semel memorantur Apollodori *οἱ παῖδες*. Est hoc quod miremur, nam quantum constat ex Oratione contra Stephanum I, habebat tantum duas filias, quarum altera nupsit Theomnesto.

§ 4 p. 1346. Hic mihi cognoscat quis librariorum inconsiderantiam. Satis nota res est de qua nunc sermo fit, nempe *περὶ τῶν θεωρικῶν*. Scribit Ulpianus ad primam Olynthiacam: *ἰϛέον δέ, ὅτι τὰ χρήματα ταῦτα τὰ δημόσια θεωρικὰ ἐποίησεν ἐξ ἀρχῆς Περικλῆς — εἶτα ἐπιχειρήσαντος Ἀπολλοδώρου τινὸς πάλιν αὐτὰ ποιῆσαι ϛρατιωτικά, βουλόμενος Εὔβουλος ὁ πολιτευόμενος δημαγωγὸς ὢν πλείονα εὔνοιαν ἐπισπάσασθαι τοῦ δήμου πρὸς ἑαυτὸν ἔγραψε νόμον τὸν κελεύοντα θανάτῳ ζημιοῦσθαι, εἴ τις ἐπιχειροίη μεταποιεῖν τὰ θεωρικὰ ϛρατιωτικά.* Haec verba obscuri nihil habent, sed nunc conferamus orationem contra Neaeram: *ἔγραψε ψήφισμα ἐν τῇ βουλῇ Ἀπολλόδωρος βουλεύων καὶ ἐξήνεγκε προβούλευμα εἰς τὸν δῆμον, λέγον διαχειροτονῆσαι τὸν δῆμον εἴτε δοκεῖ τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως ϛρατιωτικὰ εἶναι εἴτε θεωρικά.* Haec quoque aperta sunt, sed continuo sequitur: *κελευόντων μὲν τῶν νόμων, ὅταν πόλεμος ᾖ, τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως ϛ ρ α τ ι ω τ ι κ ὰ εἶναι, κύριον δ' ἡγούμενος δεῖν τὸν δῆμον εἶναι περὶ τῶν αὑτοῦ ὅ τι ἂν βούληται πρᾶξαι.* Hoc si verum est, nihil fuit cur Eubulus Apollodori psephisma impugnaret; sed delirare hominem dixeris, nam pergit orator: *ὁμωμοκὼς δὲ τὰ βέλτιϛα βουλεύειν τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων, ὡς ὑμεῖς πάντες ἐμαρτυρήσατε ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ.* Quidnam enim ille tulit, qui optime de patria meritus est? *γενομένης γὰρ τῆς διαχειροτονίας, οὐδεὶς ἀντεχειροτόνησεν ὡς οὐ δεῖ τοῖς χρήμασι τούτοις ϛ ρ α τ ι ω τ ι κ ο ῖ ς χρῆσθαι, ἀλλὰ καὶ νῦν ἔτι, ἂν που λόγος γένηται, παρὰ πάντων ὁμολογεῖται, ὡς τὰ βέλτιϛα εἰπὼν ἄδικα πάθοι.* Itaque satis colligimus quodnam fuerit Apollodori consilium. Vetusta lex erat, inde ab Periclis temporibus, ut homines credebant, repetenda, qua cautum erat ut praeter omnia necessaria ad bellum gerendum subsidia, si quid in aerario pecuniae superesset, id omne impenderetur *εἰς τὰ θεωρικά.* Tulit Apollodorus ut quotannis liberum foret populo statuere quid ea pecunia fieri

placeret. Optima lex erat, quam Stephanus *παρανόμων ἐγράψατο* et Apollodorus condemnatus fuit. Itaque quod dicebam, nisi credas oratorem delirare, scribendum est: *κελευόντων μὲν τῶν νόμων ὅταν πόλεμος ᾖ, τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως θ ε ω ρ ι κ ὰ εἶναι*. Nimirum orator utitur verbis quam maxime invidiosis, ut omnibus appareat quam absurda fuerit ea lex quam Apollodorus abrogare voluerit, sed Eubulus confirmarit. Fieri tamen potest ut nonnemini temerarium videatur esse pro *ϛρατιωτικά* reponere *θεωρικά* et nigrum pro albo, sed vide consimile vitium Olynth. I § 19 p. 14, de quo loco Cobetus disputavit *Miscell.* p. 14.

§ 7 p. 1347. Condemnatus fuit Apollodorus et Stephanus litem aestimavit quindecim talentis, *ἵνα ἀτιμώσειεν αὐτὸν καὶ παῖδας τοὺς ἐκείνου καὶ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν* — Apollodori uxorem — *καὶ ἡμᾶς ἅπαντας εἰς τὴν ἐσχάτην ἀπορίαν καταϛήσειε καὶ ἔνδειαν ἁ π ά ν τ ω ν. ἔτι δὲ καὶ ἡ ἑτέρα θυγάτηρ ἀνέκδοτος ἔμελλεν ἔσεσθαι, κτἑ.* Deinde pergit Theomnestus narrare Apollodoro iudicum suffragiis irrogatam fuisse mulctam unius talenti. Sed post *ἁ π ά ν τ ω ν* longa fuit inserta adnotatio, quam equidem libenter in marginem relegaverim: *μὴ ἐκτισθέντος δὲ τοῦ ὀφλήματος ἐπὶ τῆς ἐνάτης πρυτανείας διπλοῦν ἔμελλεν ἔσεσθαι τὸ ὄφλημα καὶ ἐγγραφήσεσθαι Ἀπολλόδωρος τριάκοντα τάλαντα ὀφείλων τῷ δημοσίῳ. ἐγγεγραμμένου δὲ τῷ δημοσίῳ ἀπογραφήσεσθαι ἔμελλεν ἡ ὑπάρχουσα οὐσία Ἀπολλοδώρῳ δημοσία εἶναι, πραθείσης δ' αὐτῆς εἰς τὴν ἐσχάτην ἀπορίαν καταϛήσεσθαι αὐτὸς καὶ παῖδες οἱ ἐκείνου καὶ γυνὴ καὶ ἡμεῖς ἅπαντες.* Emblema est in paucis inficetum.

§ 9 p. 1348: *ἀφικόμενος ἐπὶ δραπέτην αὐτοῦ [ζ η τ ῶ ν].* Ultimum vocabulum eiecit Dobraeus p. 519, eiecit Cobetus *Mnem.* 1855 p. 250; multi loci eam suspicionem confirmant, veluti in vicinia Nicostr. § 6 et 7 p. 1258; tamen Blassius hanc quoque rem ne verbo quidem memoravit, quum haud ita raro incertas suspiciunculas adscripserit.

§ 9 p. 1348: *παρασκευασάμενος ἀνθρώπους δούλους καὶ κατασκευάσας ὡς Κ υ ρ η ν α ῖ ο ι ε ἴ η σ α ν, προεῖπεν αὐτῷ ἐπὶ Παλλαδίῳ*

φόνου. Impedita constructio; facilis correctio est: κατασκευάσας ὡς Κυρηναίους, εἶτα πρ. Quod Blassius coniunxit: ἐπενέγκας γὰρ αὐτῷ αἰτίαν .... παρασκευασάμενοι ἀνθρώπους .... προεῖπον, id sane non laudo.

§ 22 p. 1352: νεωτέρα δὲ οὖσα διὰ τὸ μήπω τὴν ἡλικίαν αὐτῇ παρεῖναι. Hic veteres interpretes, Iurinum dico, Toupium, G. H. Schäferum nihil attulerunt quod sit operae pretium describere. Herwerdenus *Mnem.* 1875 p. 357 una litura sanare voluit quod offensioni erat, Blassius commendavit: ἀφανεστέρα δὲ οὖσα, quae correctio nimis violenta est. Tenendum est autem quod Reiskius rectissime vidit ἡλικίαν iustam dici corporis staturam et proceritatem. Neaera iam corpore quaestum faciebat, necdum adulta erat. Scribam: ἐργαζομένη μὲν ἤδη τῷ σώματι, νεωτέρα δὲ δοκοῦσα διὰ τὸ μήπω τὴν ἡλικίαν αὐτῇ παρεῖναι. Cf. Boeot. de dote § 56 p. 1024, ubi pater de filia: τὴν δ' ἡλικίαν αὐτῆς εἰ ἴδοιτε, οὐκ ἂν θυγατέρα μου ἀλλ' ἀδελφὴν εἶναι αὐτὴν νομίσαιτε.

§ 39 p. 1358: ὡς ἐξ ἀτελείας τε ἔξων καλὴν ἑταίραν καὶ [τἀπιτήδεια] ταύτην ἐργασομένην καὶ θρέψουσαν τὴν οἰκίαν. Qui locum interpolavit, verbum ἐργάζεσθαι non rectissime intellexit.

§ 55 p. 1364: ψυχαγωγούμενος ἐν τῇ ἀσθενείᾳ [τῇ θεραπείᾳ] ὑπὸ τῆς Νεαίρας. Inutile additamentum. Itidem § 59 p. 1365 et § 72 p. 1369 plane supervacanea verba sunt: τὴν τῆς Νεαίρας θυγατέρα.

§ 62 p. 1366: Στέφανον τουτονὶ, τὸν ἔχοντα ταύτην νυνί. Proclive est restituere: ταυτηνί.

§ 65 p. 1367: μεταπεμψάμενος εἰς ἀγρὸν ὡς θύων. Dicendum utique hoc fuit: ὡς θύσων.

§ 66 p. 1367: ἐὰν τις ἀδίκως εἵρξῃ ὡς μοιχόν, γράψασθαι πρὸς τοὺς θεσμοθέτας [ἀδίκως εἱρχθῆναι]. Hoc quoque apertum.

§ 73 p. 1370: οὐδεὶς ἄλλος Ἀθηναίων τοσούτων ὄντων εἰσέρχεται ἀλλ' ἢ ἡ τοῦ βασιλέως γυνή. In fine supple: μόνη.

§ 73 p. 1370: ἐξεδόθη δὲ τῷ Διονύσῳ γυνή, coll. § 76 p. 1371 et § 110 p. 1383. Hos locos adscribere debueram, cum de Messalinae nuptiis agebam *Mnem.* 1892 p. 410.

§ 84 p. 1373. Qui dicitur Θεογένης Ἐρχιεύς, idem § 72 p. 1369 fuerat Κοθωκίδης· cf. Kirchner. *Mus. Rhen.* XL 1885 p. 385.

§ 85 p. 1373. Prorsus sunt inutilia verba: τοῦ ὁρᾶν καὶ θύειν καὶ ποιεῖν τι τῶν νομιζομένων ὑπὲρ τῆς πόλεως πατρίων.

§ 85 p. 1374: οὐκ ἔξεστιν αὐτῷ ἐλθεῖν εἰς οὐδὲν τῶν ἱερῶν τῶν δημοτελῶν, εἰς ἃ καὶ τὴν ξένην καὶ τὴν δούλην ἐλθεῖν ἐξουσίαν ἔδοσαν οἱ νόμοι καὶ θεασομένην καὶ ἱκετεύσουσαν εἰσιέναι. Ultimum vocabulum indicio est, bis corrigendum esse εἰσελθεῖν.

§ 92 p. 1376: ἕτερός ἐστιν ἐφ' ἅπασι τούτοις κυριώτατος νόμος κείμενος. Satis est scribere κύριος.

§ 94 p. 1377: καὶ ἔτι καὶ νῦν τῆς ἀνδραγαθίας αὐτῶν ὑπομνήματα ἡ ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ γραφὴ δεδήλωκεν. Singularem numerum requiro: ὑπόμνημα et in fine verbum δεδήλωκεν mire abundat.

§ 99 p. 1379: ὕδωρ γὰρ γενόμενον τῆς νυκτός. Dicitur hoc perpetuo ἐπιγενόμενον.

§ 103 p. 1380: ἁλούσης τῆς πόλεως κατὰ κράτος. De Plataeis hic sermo fit; sed prorsus discrepat id quod Thucydides tradidit III 52.

§ 108 p. 1382: εἶτα τὴν τοιαύτην καὶ περιφανῶς ἐγνωσμένην ὑπὸ πάντων γῆς περίοδον εἰργασμένην ψηφιεῖσθε ἀστὴν εἶναι; Non praesto lectionis sinceritatem, sed si orator ita scripsit, G. H. Schäfero assentior respici locutionem περίοδον νικᾶν, de

qua Casaubonus egit Animm. ad Athenaeum p. 708, unde etiam dicti *περιοδονῖκαι*. Deinde Blassius recte contulit Hermogenis locum p. 308 Walzii: *τοιοῦτόν ἐςι καὶ τὸ ἐν τῷ κατὰ Νεαίρας ὠβελισμένον ὑπό τινων, τὸ ἀπὸ τριῶν τρυπημάτων τὴν ἐργασίαν πεποιῆσθαι*. Satis verosimilis mihi scriptura videtur: *ἐγνωσμένην ὑπὸ πάντων (ἀπὸ τριῶν τρυπημάτων) γῆς περίοδον εἰργασμένην*. Similiter de Theodora Procopius.

§ 109 p. 1382. Particula excidit: *καί(τοι) τί καλὸν φήσετε διαπεπρᾶχθαι;*

§ 113 p. 1383: *προπηλακισθέντος δὲ τοῦ νόμου ὑφ' ὑμῶν ἀποφυγούσης ταύτης*. Admodum languet quod adhaeret: *καὶ ἀκύρου γενομένου*.

§ 113 p. 1384: *ἡ τῶν πορνῶν ἐργασία ἥξει εἰς τὰς τῶν πολιτῶν θυγατέρας, [δι' ἀπορίαν] ὅσαι ἂν μὴ δύνωνται ἐκδοθῆναι*. Etiam hic interpolatio incommoda sede arguitur.

§ 115 p. 1384: *ἐνθυμεῖσθε τοῦτο μόνον, εἰ Νέαιρα οὖσα ταῦτα διαπέπρακται*. Nemo, credo, ita loquitur: reponam: *ἐνθυμεῖσθε τοῦτο μόνον ὅτι ἑταίρα οὖσα ταῦτα διαπέπρακται*. De Neaera modo sermo fuerat.

§ 122 p. 1386: *τὸ γὰρ συνοικεῖν τοῦτ' ἔςιν ὃς ἂν παιδοποιῆται καὶ εἰσάγῃ εἴς τε τοὺς φράτερας καὶ δημότας τοὺς υἱεῖς, καὶ τὰς θυγατέρας ἐκδιδῷ ὡς αὐτοῦ οὔσας τοῖς ἀνδράσι. τὰς μὲν γὰρ ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ' ἔχομεν, τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος, τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιςὴν ἔχειν*. Scio quidem haec verba ab Athenaeo laudari XIII p. 573 B, nec tamen mihi persuadeo tam elumbem adnotatiunculam oratori debere tribui. Nihil mirum talia ex margine migravisse in textum.

DE LEPIDA QUADAM APUD POLLUCEM FABULA IN INTEGRUM RESTITUENDA.

Sacrificii apud Boeotos, quod *pomis* fiebat, originem explicat Pollux (I, 30 sq. Bekk.) suavissima narratiuncula, sed vitia quaedam eam adeo perturbant ut ne intelligi quidem possit. Haec tamen nullo negotio tolli possunt, quo facto suus ioco nitor redditur.

ἐνειστήκει μὲν γὰρ ἡ πανήγυρις τοῦ θεοῦ, καὶ κατήπειγε τοῦ θύειν ὁ καιρός, τὸ δὲ ἱερεῖον ἄρα κριὸς ἦν. καὶ οἱ μὲν ἄγοντες ἄκοντες ἐβράδυνον (ὁ γὰρ Ἀσωπὸς ποταμὸς οὐκ ἦν διαβατός, μέγας ἄφνω ῥυείς), οἱ δ' ἀμφὶ τὸ ἱερὸν παῖδες ὁμοῦ παίζοντες ἀπεπλήρουν τῆς ἱερουργίας τὸν νόμον· λαβόντες γὰρ μῆλον ὡραῖον κάρφη μὲν ὑπέθεσαν αὐτῷ τέτταρα, δῆθεν τοὺς πόδας, δύο δ' ἐπέθεσαν ἅμα (τὰ δ' ἦν τὰ κέρατα) καὶ κατὰ τοὺς ποιητὰς ἀποθύειν ἔφασαν τὸ μῆλον ὡς πρόβατον.

Hic Bekkerus *ἅμα* omittit, et profecto inepte ea vox abundat, sed sananda est, non recidenda. Adest autem certa lenisque medicina: *κάρφη* quatuor supposuerunt, duo *alia* capiti imposuerunt. Lege ergo *ἄλλα*. Sed hoc levius. Graviori morbo ultima laborant. Qui poetae illi sint qui aut ipsi pomum tamquam ovem immolarint, aut ab aliis factum illud narrarint nemo unquam inveniet. Solita terminationum confusione *τοὺς ποιητὰς* natum est e *τὸν ποιητήν*, totusque locus sic refingendus: *καὶ κατὰ τὸν ποιητὴν ἀποθύειν ἔφασαν [τὸ] μῆλον [ὡς πρόβατον]*. Cum crura cornuaque pomo suo addidissent pueri, laeti: „en" exclamarunt „iam offerimus deo id quod Homerus *μῆλον* appellat". Non est quod miremur his a Polluce addi: *ἡσθῆναί τε λέγεται τῇ θυσίᾳ τὸν Ἡρακλέα.*

J. J. Hartman.

DE MERCURIO, QUI ΨΥΧΟΠΟΜΠΟΣ DICITUR.

SCRIPSIT

J. VAN WAGENINGEN.

(AD VERG. AEN. IV 242—246).

Cum Mercurius Iovis patris dictis parens talaribus iam pedibus subnexis iter Carthaginem ad Aeneam cohortandum parat, poeta haec de eo addit (Aen. IV 242 sqq.):

tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco
pallentes, alias sub Tartara tristia mittit,
dat somnos adimitque et lumina morte resignat.
illa fretus agit ventos et turbida tranat
nubila.

Quid vv. 242 sq. sibi velint, perspicuum est. Mercurius enim tamquam animarum custos sive ταμίας τῶν ψυχῶν [1]), ut Pythagorei eum appellant, non modo umbras hominum mortuorum virga sua sive ῥάβδῳ [2]) ad inferos ducere dicitur, sed etiam Orco evocare animas eorum, qui mox in terra reviviscent. Tangit poeta hoc loco Pythagoreorum de animarum migratione (μετεμψυχώσει) doctrinam [3]), quam ipse Anchisam pluribus verbis exponentem facit, VI 748 sqq.:

---

1) Diog. Laert. VIII 31.

2) Nonnumquam virga haec a caduceo distinguitur, velut in ampulla quadam Attica, ubi Mercurius fictus est laeva τὸ κηρύκειον, dextra τὴν ῥάβδον tenens; cf. Preller-Robert I⁴ p. 404, A. 2.

3) Corssen, Mus. Rhen. 41, 244—245.

has (sc. manes) omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium *deus* evocat agmine magno,
scilicet immemores supera ut convexa revisant
rursus et incipiant in corpora velle reverti,

quo loco sine ulla dubitatione per „deum" illum divus caducifer significatur.

Idem munus „animas sub Tartara mittendi easdemque evocandi" ei tribuitur a Petronio, Sat. 140: „Mercurius enim qui animas ducere et reducere solet", nec mirum est, quem deum iam antiqui sibi finxerant et χθόνιον et ψυχοπομπόν, eidem a Pythagoreis hoc officium animas in vitam reducendi impositum esse. Recte enim Corssenus l.l. animadvertit poetam non cogitasse de Mercurio *per occasionem* animas ex Orco ciente (velut artifices eum Proserpinam et Eurydicen [1]) ab Acherunte reducentem finxerunt), neque de deo quem vulgo implorare solerent, ut animas ab inferis excitaret [2]), sed de *perpetuo* quodam munere eius, quo certis temporibus terrestrem vitam mortuis redderet, sicut eosdem antea „laetis sedibus reposuisset" [3]).

Neque tamen omittendum est apud Homerum plerumque manes nondum ope dei uti, ut ad inferos descendant, sed nullo duce ipsos sponte sua post mortem domum Ditis petere [4]). Poeta demum ille, qui ultimum Odysseae librum composuit, umbris procorum Penelopae Mercurium comitem adiunxit, sive hoc ipse excogitavit, sive veterem opinionem aliquam popularem ex regione quadam Graeciae primus in Homeri carmina introduxit [5]), Od. 24, 1—5:

Ἑρμῆς δὲ ψυχὰς Κυλλήνιος ἐξεκαλεῖτο
ἀνδρῶν μνηστήρων· ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶν
καλὴν χρυσείην, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,
ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει·
τῇ ῥ' ἄγε κινήσας, ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο.

Itaque Mercurius procorum animas domo Ulixis evocat (ἐξεκα-

---

1) Cf. Preller-Robert 1⁴ p. 405.
2) Aesch. Pers. 628.
3) Hor. C. I 10, 17.
4) Hom. Il. 22, 362; 23, 100; Od. 10, 560.
5) Rohde, Psyche 9—10.

λεῖτο), non eas ex corporibus protrahit [1]), nam anima non est pars quaedam corporis, sed imago toti corpori, ex quo discessit, simillima [2]); tantum caret sensu, voce humana — dicitur enim stridere (τρίζειν) — carne, ossibus, nervis, praecordiis, sed acies oculorum ei non deest, nam Mercurium ducem videre et sequi, quin etiam sanguine hostiae poto [3]) hominem vivum manes excitantem agnoscere potest.

Quae verba deinde in proximis versibus de vi virgae sequuntur, τῇ τ' ὄμματα θέλγει, ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει, Mercurium, deum somni, inducunt tribuuntque ei potestatem diversam ab ea, propter quam ψυχοπομπὸς dicitur. Nam ubi eadem verba apud Homerum leguntur [4]), non de morte sed de somno sermo est, id quod imprimis apparet ex Hom. Il. 24, 445, quo loco a Mercurio, qui paulo ante (vs. 343) virgam manu tenens profectus esse dicitur ad Priamum intra castra Graeca ducendum, vigiles Graecorum sopiri facit poeta:

τοῖσι δ' ἐφ' ὕπνον ἔχευε διάκτορος Ἀργεϊφόντης.

Neque dubium esse opinor, quin Vergilius per illud (vs. 244):

dat somnos adimitque

verba Homeri expresserit, neque facile mihi persuadeat Corssenus, qui „somnos" hoc loco non proprie dictum accipit, sed de somno mortis intellegit, provocans et ad verba sequentia „et lumina morte resignat" et ad locum Hymni Orphici [5]) in Mercurii χθονίου honorem compositi, qui mirum in modum cum Vergilio consentit. Corssenum ut refellam, fieri non poterit, antequam primum sententiam meam de verbis „et lumina morte resignat" exposuero. Quaeritur, quid significet h. l. verbum resignandi, qua de re viri docti inter se dissentiunt. Alii,

---

1) Preller-Robert I⁴ 407: „alle Seelen der Verstorbenen ... *aus* ihren Leibern abhole" (sc. Hermes).

2) Rohde, Psyche 9—10.

3) Hom. Od. 11, 143 et 153.

4) Od. 5, 47; Il. 24, 343.

5) Orph. Hymn. LVII 5 sqq.:

ὃς παρὰ Περσεφόνης ἱερὸν δόμον ἀμφιπολεύεις,
αἰνομόροις ψυχαῖς πομπὸς κατὰ γαῖαν ὑπάρχων·
ἃς κατάγεις, ὁπόταν μοίρης χρόνος εἰσαφίκηται,
εὐιέρῳ ῥάβδῳ θέλγων ὑπνοδώτιδι πάντα
καὶ πάλιν ὑπνώοντας ἐγείρεις.

ut Ladevigius et Bellingius, putant idem posse valere resignare atque signare = „verzegelen", quod prorsus nego, neque opus esse existimo huic verbo aliam sententiam atque vulgarem obtrudi et Vergilium verborum novatorem haberi, si significatio, quam verbum vulgo habet, in hunc quoque locum quadret. Alii, quorum est recentissimus Aeneidos editor Deuticcius, iure sensum usitatum verbi retinentes, locum ita interpretantur, ut „morte" ablativus separativus sit vertuntque „er entsiegelt, d. h. öffnet die Augen, denen der Tod gleichsam sein Siegel aufgedrückt hatte" [1]). Haec explicatio si vera est, altera oritur quaestio, cur Mercurius oculos mortuorum aperiat. Respondent interpretes: „quod vitam fugientem revocet vel quod mortuos resuscitet". Sed qui ita ratiocinantur, statuere coguntur hoc versu (244) eadem dici et iterari, quae iam supra (242 sq. „animas evocat Orco") dicta sint, Mercurium scilicet mortuos ab inferis excitare. Cum tamen huic interpretationi obstent et molesta sint verba intercedentia „dat somnos adimitque", si ea de hominibus dormientibus intellegantur, pars interpretum, ut Corssenus, „somnos" per translationem de morte [2]) usurpatum esse putat, pars, ut Deuticcius, inclinat in eandem sententiam, retinetur tamen loco Statii [3]), qui Vergilium imitatus „somnos" proprie dictum accepit. Sed mihi non veri simile esse videtur Vergilium rem ita simplicem et perspicuam, quemadmodum Mercurii munus evocandi animas et ad inferos ducendi (vs. 242 sq.) dico, verbis obscuris et multis ambagibus iteraturum fuisse, nec satis causae est, cur uno loco Hymni Orphici [4]) permoti, verba „dat somnos adimitque" de morte intellegamus, cum et verba Graeca Homeri [5]), ad quorum exemplum Latini versus pacti sunt, ad dormientem pertineant, nec Statius locum Vergilianum aliter interpretatus esse videatur. Itaque mea quidem sententia

1) Alii, ut v. d. Vliet, intellegunt „morte" de somno et immobilitate oculorum, ita ut „lumina morte resignat" idem significet quod „adimit somnos", quae interpretatio haud veri similis mihi videtur.

2) Cf. p. 44.

3) Theb. I 306 sqq.: „tum dextrae virgam inseruit, qua pellere dulces aut suadere iterum somnos, qua nigra subire Tartara et exsangues animare adsueverat umbras".

4) Cf. p. 44, 5.

5) Cf. p. 43.

nondum vera loci explicatio reperta est latetque aliquid in verbis „lumina morte resignat", quod nos adhuc fugit, idque aliam viam ingressus scrutari atque eruere conatus sum.

Exstat autem apud Plinium Nat. Hist. XI 150 hic locus: „morientibus illos (sc. oculos) operire rursusque *in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum est*, ita more condito ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit et caelo non ostendi nefas". Nulla causa esse videtur, quamobrem dubitemus, verene hic usus a Plinio traditus sit; tantum licet id ambigi, num recte perspexerit, quid Quirites sibi propositum haberent, cum mortuis oculos in rogo patefacerent. De eiusmodi iustis funebribus et exsequiarum consuetudinibus nuper egit v. d. W. Caland [1]), qui Frazerum [2]) suspicantem: „the Romans and apparently the Siamese opened the dead mans eyes at the funeral pyre, just as we should unbandage the eyes of an enemy after conducting him to his destination", oppugnans ipse hanc probat sententiam: „in Anschluss an das oben Dargelegte [3]) könnte man eher zur der Meinung geneigt sein, dass dem Todten jetzt die Augen geöffnet werden (bzw. die Bedeckung von den Augen weggenommen wird), *damit er im Jenseits richtig den Weg erkennen könne*". Calandius rem acu tetigisse mihi videtur. Itaque statuere ausim hanc ob causam oculos mortuis in rogo iacentibus aperire Romanos solitos esse, ut defunctorum animae (quas, ut supra demonstravimus, ipsas sine ullo duce Ditis domum petere Graeci olim credebant) descendentes ad inferos viam invenire possent. Quoniam vero vel poeta ultimi Odysseae libri vel vulgaris populi opinio umbris hominum Mercurium ducem comitemque inferni itineris addidit atque quem deum iam antiqui sibi finxerant χθόνιον, idem ψυχοπομπὸς sive ψυχαγωγὸς factus est, non mirandum est, si poeta Romanus, cum cives suos hac vetere consuetudine oculos mortuorum

1) Museum, 1902, n°. 2, Parallelen zu den Altindischen Bestattungsgebräuchen, 37.

2) Journ. Anthr. Inst. XV, p. 71.

3) Sc. Museum, l. l. 36: „In Irland glaubte man früher, dass: „if the corpse be buried with the feet tied, the spirit will be hindered in its movement in the next world". Dies alles spricht deutlich: der Verstorbene wird gefesselt, damit er nicht heimkehre und den Ueberlebenden schade; ehe er jedoch die Reise ins Jenseits antritt, werden ihm die Bände abgenommen, damit der Geist sich frei bewege".

in pyra iacentium aperiendi uti videret, novum munus „lumina morte resignandi" huic deo caducifero tribuit. Aliquid tale, ut deo videlicet alicui a poëta tribuatur quod proprie hominis est, factum esse mihi videtur, ubi Vergilius (Aen. IV 696 sqq.) Irim inducit „dextra crinem Elissae morientis secantem, ut hunc Diti consecret animamque reginae corpore solvat". Nam sicut sacerdotes bovem immolantes pilos aliquot inter cornua eius abscidere et in ignem imponere consueverant [1]), ita hic mos antiquorum [2]) videtur fuisse, ut morientibus unus ex propinquis adstantibus crines aliquot desecaret, quibus desectis mortui victimis similes, dis infernis devoti putarentur [3]). Cuius moris Vergilius, veterum rituum peritissimus poëta, memoriam revocavit [4]), sed ita eum mutavit, ut plerumque Proserpinae, nonnumquam Iridi, siquidem mors voluntaria est, eas desecandi partes agendas daret. Similiter igitur Mercurio nova quaedam potestas a Vergilio delata est, ita ut vis virgae eius triplex sit. Ea enim èt animas e vita migrantium ducit reducitque èt somnos dat adimitque èt oculos mortuorum in rogo aperit. Ita locus (Aen. IV 242 sqq.) ab omni parte recte se habere videtur.

1) Cf. Aen. VI 245.

2) De Graecis cf. Eur. Alc. 74 sqq., ubi *Θάνατος* eodem munere fungitur.

3) F. Wieseler, Philol. IX 712: „sein oder das Haar hingeben bedeutet sein oder das Haupt als Opfer darbringen, sich oder ein anderes Wesen dem Tode weihen; das Haarabschneiden, in sofern es von oder an Menschen geschieht, vertritt die Stelle des Menschenopfers". Cf. p. 714 et praesertim Plin. ep. VII 27, 12 sqq.: „reis moris est summittere capillum".

4) Macr. Sat. V 19, 4 sqq.

AD PLUTARCHUM.

Flamin. c. 5 (Sint.). Graeci quotquot Flamininum conspexerant, *τὰς πόλεις ἀπιόντες ἀνεπίμπλασαν ἐννοίας τῆς πρὸς αὐτὸν ὡς ἐχούσας ἡγεμόνα τῆς ἐλευθερίας*. Urbes, quo Flam. *nondum venerat*, dici non possunt *habere* (*ἐχούσας*) eum. Legendum puto: *ἐχούσης*. Sic enim fere illi homines loquebantur: „Graeciae libertas nacta est ducem qui pro ea pugnet". J. J. H.

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e Vol. XXXI pag.* 407.)

XVIII.

AD SEX PRIORES ANNALIUM LIBROS ANNOTATIONES VARIAE.

Dicta iam antea (Vol. XXXI p. 134 sqq.) hic repetam sed novis stabilita argumentis:

A. I, 1. „Tiberii Gaiique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt."

Haec ego nunquam concoquere potui, sed quotiescunque Annales legere incipio in his verbis haereo. Atque revera molesti aliquid inesse, quod frustra removere sit conatus, ultro indicat Nipperdeius hac annotatione: „*florentibus* . . . *falsae* ist Apposition zu *res*, und *falsae* („verfälscht", obwohl es das Adjektiv ist) steht in keiner Verbindung mit *compositae sunt*." Quid ais vir praestantissime? *Nullane ratio* intercedit inter vocabula quae sunt *falsae* et *compositae sunt*? Immo vero, nisi hic, quocunque tandem modo, *compositae* eandem nanciscitur vim, quam *falsae* habet (Gr. *κατεψευσμέναι*), nulla arte sanus ex hoc loco sensus extorqueri poterit. Egregie hanc opinionem confirmat Iosephus, qui (XX, 154 Nab.) prorsus eandem sententiam sua amplificat ubertate: *πολλοὶ γὰρ τὴν περὶ Νέρωνα συντετάχασιν ἱστορίαν, ὧν οἱ μὲν διὰ χάριν, εὖ πεπονθότες ὑπ' αὐτοῦ, τῆς ἀληθείας ἠμέλησαν, οἱ δὲ διὰ μῖσος καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀπέχθειαν οὕτως ἀναιδῶς ἐνεπαρῴνησαν τοῖς ψεύσμασιν ὡς ἀξίους αὐτοὺς εἶναι καταγνώσεως.* Vides eundem in Iosephi verbis tenere locum vehementem illam

mendacii significationem *ἀναιδῶς ἐνεπαρῴνησαν τοῖς ψεύσμασιν*, quem apud Tacitum occupet lene istud et omni reprehensione vacuum *compositae sunt*: atqui, si in *compositae* nulla inest reprehensio, Taciti sententia prorsus omni vi atque sensu caret. Dixeris inde participium *compositae* reprehensionis satis obtinere, quod ablativus *recentibus odiis* accedat: „cum odio enim res componere" esse „in componendo veritatem nihili facere." At sic *recentibus odiis* ablativus fit *modi*, qui dicitur: id autem voluisse Tacitum pertinaciter nego. Si cum scriptore, aequabilitatis studioso, nobis res esset, haec haberemus: „viventibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, ob recentia odia compositae sunt" aut: „viventibus ipsis metu falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt." Tum vero nemo tam traditae esset tenax lectionis, qui non in *compositae* latere vitium agnosceret. Tacitus autem aequabilitatem vitat; scribit ergo: *ob metum — odiis*, sed sententia prorsus eadem est ac si *metu — odiis* vel *ob metum — ob odia* scripsisset. Ergo nunc apud Tacitum latere vitium, et pro *compositae* requiri *corruptae* vel eius modi aliquid erit confitendum.

A. I, 6. „Agrippae mortem ab ipso Augusto iussam Tiberius simulavit" Tacitus ait, tum sic pergit:

„Multa sine dubio saevaque Augustus de moribus adulescentis questus, ut exilium eius senatusconsulto sanciretur perfecerat: ceterum in nullius unquam suorum necem duravit, neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat."

Ultimum vocabulum *erat* corruptum esse mihi constat; sanum crederem, si hic referrentur argumenta, quibus ducti *senatores* Tiberii de patris iussis mendacio fidem non habuerint. At nunc *ipse secum* disputat Tacitus et primum quidem *concedit* aliquid, quo ad patrem insimulandum uti potuerit Tiberius (*concedendi* enim vim illud „sine dubio" habet), deinde ipse idem illud infirmat hac observatione: „ceterum in nullius unquam necem duravit." Postremo quo ipse deliberatione illa ducatur sic exponit: „propius vero Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis suspecti et invisi iuvenis caedem festinavisse." Satis, ut opinor, nunc apparet *erat* aut omittendum aut pro eo *est* legendum esse.

A. I, 7. Ut appareat astute callide fraudulenter egisse mendaciisque usum Tiberium, cum omnia sic ageret loqueretur que tamquam si de se imperatore neque cogitaret ipse neque omnino cogitari posset, haec profert Tacitus:

„Ceterum defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat." *Defuncto Augusto*: ergone cetera omnia, quae hic narrantur, quibusque una haec res *opponitur*, vivo etiamtum validoque Augusto facta sunt? Immo vero ad idem tempus cuncta pertinent, cum aut iam exspiravisset Augustus aut in articulo mortis esset. De iis, quae proxime praecedunt, vel manifestissimum illud est: „de honoribus parentis consulturum, neque abscedere *a corpore*, idque unum ex publicis muneribus usurpare." Post illam *corporis* commemorationem *continuo* sic pergere; „sed *defuncto* Augusto e. q. s." quam sit ineptum vix iam dicere opus. Sed in integrum restituitur locus, si ante *defuncto* vocula *vix*, aliave in eandem sententiam inseritur.

A. I, 22. Discordes Pannoniae milites iam et alia turbulenta fecerunt multa et carcere effracto desertores rerumque capitalium damnatos liberaverunt. Inde eorum unus, ante Blaesi legati tribunal allevatus umeris, sic declamare incipit:

„Vos quidem his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis; sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat."

Potestne hic verbi *iugulavit* omitti subiectum? Non opinor, sed ut omnia sint perspicua, utque id quod sequitur: „responde, Blaese, ubi cadaver abieceris," et quo referatur habeat et suam sibi obtineat acerbitatem, legendum censeo *iugulavit iste*. Facile excidere pronomen illud potuit. Nam ad quem locum vulgo hic provocatur, eum ego *integrum* hic afferam: plerumque enim id omittitur unde appareat .... praesidii in eo nihil esse (A. II, 70):

„*Simul missi a Pisone incusabantur*, ut valitudinis adversa rimantes. Ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta. Si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae coniugi, quid infantibus

liberis eventurum? Lenta videri veneficia, festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat."

Neque hoc negligendum eum, qui popellum alloquatur, digito monstrare homines quos accusat, longe aliam esse eius orationem, qui solus secum de adversariis suis cogitat.

A. I, 32. In Germania ardente militum seditione:

„Cassius Chaerea, mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros adeptus, tum iuvenis et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit."

Ut illud *tum iuvenis* habeat quod recte opponatur, pro *adeptus* legendum est *adepturus*.

A. I, 34. „Sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti *seque proximos et* Belgarum civitates in verba eius adegit."

Sic est in codice. Nipperdeius: „Sequanos proximas et e. q. s." quae coniectura nihil habet quo se commendet. Hoc requiritur: „Germanicus, ut quantocius Tiberium imperatorem a se agnosci ostenderet, et ipse statim in nomen eius dedit iusiurandum, et quoscunque in vicinia habebat milites in idem sacramentum adegit." Sed ipsa verba non praesto. Deinde sic narrare pergit Tacitus:

„Dehinc audito legionum tumultu raptim profectus obvias extra castra habuit, deiectisque in terram oculis velut paenitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere; et quidam *prensa manu eius* per speciem exosculandi *inseruerunt digitos* e. q. s." Hic quoque de sensu constat, dubitationem enim eximunt quae statim sequuntur: „ut vacua dentibus ora contingeret." Sed quibus verbis usus sit Tacitus frustra quaero; iis usum quae tradita sint confidenter nego. Salva enim Latinitate ista: „prensa manu eius inseruerunt digitos" aliud nihil quam hoc significare possunt: „milites Germanici manum prehenderunt atque huic manui suos digitos inseruerunt." Quod est absurdissimum.

A. I, 61. Ad saltum Teutoburgensem, in quo Varianarum legionum reliquiae insepultae dicebantur, Germanicus pervenit, cupidoque eum invadit militibus ducique iusta solvendi:

„incedunt maestos locos visuque ac memoria deformis. Prima

Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant."

Obsecro num agri mensoribus castrorumque metatoribus opus est ut intelligas castra quaedam, iam vacua et relicta, olim ingentem capere potuisse militum numerum, videasque tantum in iis ponendis insumptum fuisse laboris ut perfici nisi a tribus legionibus non potuerint? Apage ineptias, sed ut sanus existat sensus beneque cohaereant verba, certissima emendatione lege: *immensis principiis*. Omnino in deliciis Tacito adiectivum *immensus*, cf. II, 14: immensa scuta; II, 12: immensum agmen.

A. I, 74. Multis criminibus accusatur Granius Marcellus, quorum unum eiusmodi est ut gravissima in reum ira exardescat Tiberius; sed lepidissima eum interrogatione unus senatorum confutat:

„Permotus his, quantoque incautius efferverat, paenitentia patiens tulit absolvi reum criminibus maiestatis."

Sanum esse nequit *paenitentia patiens*, non propter adiectivi positivum gradum, sed quia *patiens*, sic nude positum, sensu vacuum est. Soni autem similitudo quaedam, quae est in vocabulis *penitentia* et *patiens*, efficit ut admodum credibile videatur hoc e librarii natum errore. Requiritur fere *paenitentiae propior*: quo incautius efferverat eo citius ad paenitentiam veniebat.

A. II, 69. Ut bene teneatur cur mihi hic pauca quaedam vocabula suspecta sint, accurate totius narrationis decursus est observandus. Iam inimicitiae inter Germanicum et Pisonem ortae sunt gravesque contumelias provocarunt. Piso abire e provincia statuit, sed retinet eum adversa Germanici valetudo. Reficitur Germanicus, exsultat gaudio Antiochensium plebs, quam iratus per lictores Piso disturbat. Tum (i. e. post priorem illum Germanici morbum, quo — si vera sunt quae hic narrantur — iam excitatam aliquam de Pisonis nefariis consiliis suspicionem consentaneum est) Piso:

„Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem, quae rursum Germanico acciderat."

Hactenus omnia optime procedunt: sequentia videamus:

„Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti."

Hoccine bene ad ceteram narrationem quadrat, vel — nam hoc primum videamus — ipsi rei, de qua agitur, naturae respondet? Non opinor. Si quis aeger pro certo credit venenum sibi datum, aliamve ob causam persuasum sibi habet de se actum esse, irriti sunt medicorum conatus, aut, si iam recreatur aeger, multo lentius illud fit difficiliusque quam si optima quaeque de eorum arte sperat. Sed *vis* morbi tristi illa opinione non augetur, nam sicubi illa vox legitur, praesertim addito adiectivo *saeva,* de *primo* morbi *impetu* cogitamus. Praeterea prius edocere legentes saevam vim morbi fuisse, tum addere quid eam auxerit etiam, praestat quam duas hasce res in unam contrahere sententiolam. Non ergo sine causa suspicio mihi nata est scripsisse Tacitum: „saeva vis morbi augebat persuasionem veneni a Pisone accepti." Hoc multo melius cum praecedentibus concinit: iam antea venenum sibi a Pisone datum et ipse crediderat Germanicus et amicis dixerat; tum vero ipsa morbi ea erat vehementia ut opinio ista, quae paulo antea, recreato iam Germanico, in praesentia elanguerat, nova vi resurgeret. Et vide quam egregie nunc sequentia annectantur, quae, si tradita retinetur lectio, vix quidquam quo referantur habent: „et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones e. q. s." i. e. iamque adeo invaluerat illa persuasio ut certa sceleris conquirerentur indicia, moxque revera inventa ea sunt.

A. III, 67. C. Silanus, pro consule Asiae repetundarum accusatur; ingens est accusatorum numerus, quorum vel maximam habent auctoritatem ipse Silani quaestor et legatus; quin nocens esset reus dubitari non poterat:

„Sed multa adgerebantur etiam insontibus periculosa ... non temperante Tiberio quin premeret voce vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere aut eludere dabatur."

Quis, quaeso, prohibebat quominus Silanus refelleret aut eluderet interrogantem? Ipse, ut opinor, qui interrogabat. Tam crebrae erant eius quaestiones ut verbum interponere reus non posset, ita enuntiabantur ut brevi simplicique opus esset responso: eludendi facultatem reo plane adimebat Tiberius. Lenissima ergo emendatione pro *dabatur* lege *dabat*: nulla est in codicibus

confusio frequentior quam illa formarum activarum passivarumque. Et ne dubites quin necessaria emendatio sit, adspice quae continuo sequuntur: „ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra *quaesivisset*": si iam aliqua quaestio ita a Tiberio enuntiabatur ut eludendi facultas quaedam esset, uti tamen illa reus non poterat, quin — id quod maxime vitandum — ridiculum redderet interrogantem.

A. IV, 6. Primos Tiberii annos et aliis nominibus laudat Tacitus et hoc quod:

„Mandabat honores nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse."

Ultima non intelligo; intelligerem vel: *ut constet* ... *fuisse* vel *ut constaret* ... *esse*. Quid enim rei est? Coniunctio *ut* hic non habet vim Graecae *ἵνα*, sed idem valet quod *ὥστε*. Non licet Taciti verba sic interpretari ut hic evadat sensus: „hoc Tiberius spectabat ut aequales scirent nullos potiores fuisse, quibus honores mandaret"; nam si quis ita verteret, uno vocabulo *satis* eum facile erroris convinceremus. Hoc enim cum addiderit Tacitus, diserte declarat se *suam* proferre opinionem, ad quam post aliquam deliberationem pervenerit. Quapropter pro *constaret* legendum censeo *constet*, ut hoc dicat Tacitus: „hac re considerata pro certo *affirmare ausim* non alios potiores fuisse."

Simili vitio hic locus (IV, 74) laborat. Commemorata abiecta illa adulatione qua senatus Tiberium Seianumque, cum relicta sua insula aliquanto propius ad urbem accederent, sit prosecutus, haec adduntur:

„Satis constabat auctam ei arrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti."

Non, ut opinor, Romanorum qui Tiberii Seianique tempore vixerunt, hic iudicium quoddam refertur; iure enim nostro rogaremus, quomodo illorum hominum communis ista opinio Tacito innotescere potuerit, certe ab eo nunc rem aliquam narratum iri exspectaremus, quae documento esset iam olim eam fere civium fuisse sententiam. Sed, nisi omnia me fallunt, quid ipse censeat Tacitus hic exponit, vel potius quid apud *plerosque*

historicos, quorum libros de hac aetate inspexit, invenerit. Ergo *satis constat* legendum.

A. IV, 11. Ut ineptam fabellam de veneno ab ipso Tiberio Druso filio tradito refutet (Seiani nempe fraude non solum pellectum Lygdum libertum ut venenum Druso pararet sed etiam Tiberio persuasum filium ei nefarias struere insidias, Tiberium ergo poculum, quod ut vitaret monitus esset, oblatum accepisse ipsique filio ebibendum dedisse, rumor ferebat) et aliis utitur argumentis Tacitus et hoc:

„Quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur?"

Utique post *compertum* inserendum est *filium*. Sic demum *extraneos* habebit quod recte opponatur, et *unicum* dicere pro *unicum filium* ne Latinum quidem videtur.

A. IV, 12. In funere Drusi populus gaudium suum vix dissimulabat quod illius iuvenis morte spes esset renata e Germanici liberis aliquem fore imperatorem. Hoc ipsum et illis et matri Agrippinae funestum fuit:

„Nam Seianus, ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum et quia prima provenerant, volutare secum quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio."

Sana haec esse nequeunt: *ferox animi* quid sit novi et *ferox linguae* et similia, sed e vocibus *ferox scelerum* nullo modo aptus extundi sensus poterit. Ne si sermonis legibus vim facimus immanem quidem, dicimusque eodem redire *ferox scelerum* et *ferox sceleribus*, quidquam proficimus, quoniam verba *ferox sceleribus* hominem designant ipsis sceleribus audacem factum i. e. hominem qui propter priorum scelerum successum nihil iam reformidat: quod prorsus idem est atque illud quod continuo sequitur: *quia prima provenerant*. At non una sed duae causae hic afferuntur, quibus ad novum facinus adductus sit Seianus. Eae autem sunt: successus priorum scelerum et .... quid putas? Ipsius, ut opinor, ingenium: huius utique facienda hic mentio, haec sola causa cum altera illa recte iungi potest.

Habebimus hoc, si lenissima emendatione pro *ferox* legerimus *ferax*: scelerum ferax erat Seianus, comparari poterat cum agro, in quo omne herbarum nocentium genus sponte proveniat.

A. IV, 35. Cremutius Cordus, accusatus quod in libris suis Brutum Cassiumque laudasset, vitam abstinentia finivit. Libros eius cremandos censuerunt: frustra, nam etiam nunc vulgo leguntur:

„Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas; neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere."

„Intelligi haec nequeunt, nisi aliquo modo efficitur ut externi reges imperatoribus Romanorum crudelibus *opponantur*. Fiet illud si *aut* delebitur: externi reges qui eadem saevitia usi sunt, eadem scilicet saevitia, cuius nunc documentum dedit Tiberius et postea daturi erant et alii imperatores et prae ceteris Domitianus: nam de hoc praesertim cogitat Tacitus, cum eorum irridet socordiam, qui praesenti potentia sequentis aevi memoriam extingui posse crediderunt. Post imperatorum Romanorum, quorum agmen claudit Domitianus, commemorationem, transeundum est ad tyrannos extraneos, non iterum redeundum ad domesticos reges; quod fit, si *aut* retinetur.

A. IV, 39. Livillam sibi uxorem a Tiberio petit Seianus et aliis argumentis usus et hoc:

„Quoniam audiverit Augustum in conlocanda filia non nihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum."

Quis unquam vidit inter se respondere coniunctiones *quoniam* et *ita*? Tam incredibile mihi illud videtur ut quin corruptus sit locus non dubitem. Et facillime corrumpi potuit. Scripsit enim me iudice Tacitus non *quoniam* verum *quomodo*, et nullus est error proclivior quam quo in q̄m̄ (quoniam) abit q̊m̊ (quomodo). Conferatur A. VI, 6, ubi nunc recte editur: „quid scribam vobis, patres conscripti, aut *quomodo* scribam, aut quid

omnino non scribam e. q. s.", at in codice pro *quomodo* legitur *quando*.

A. IV, 45. In Hispania agrestis quidam:

„praetorem provinciae L. Pisonem, pace incuriosum, ex improviso in itinere adortus uno vulnere in mortem affecit."

In mortem affecit: quae unquam barbaries tam scabram protulit orationem? Quantocius Tacitum hac purgemus macula, pro *affecit* legendo *afflixit*. Omnem tibi eximet scrupulum hic locus ex eodem libro (c. 62): „illi, quos principium stragis in mortem *adflixerat*."

A. IV, 52. Ob periculum Claudiae Pulchrae, sobrinae suae, intentatum vehementius cum Tiberio expostulat Agrippina:

„Audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere; correptamque Graeco versu admonuit non ideo laedi, quia non regnaret."

Frustra hinc ullum sensum elicere coneris, sed nihil facilius quam aptissimum restituere sensum. Pro *non ideo* legendum est *ideo non*: „quid te laedi et iniuria affici quereris?" Tiberius ait „non potes laedi, nam non regnas." Tyrannidis hic primariam pronuntiat legem Tiberius: „praeter ipsum tyrannum unusquisque quidquid sibi eveniat aequi bonique consulere debet; errat si se *laedi*, vel *iniuria affici* dicit: eiusmodi vocabula non conveniunt in homines ad parendum natos." In mentem mihi hic pulcherrimi venit loci Euripidei, ubi eadem loquendi adhibetur ratio. Clamanti Polynici:

καί σε δεύτερόν γ' ἀπαιτῶ σκῆπτρα καὶ μέρη χθονός

respondet Eteocles:

οὐκ ἀπαιτούμεσθ', ἐγὼ γὰρ τὸν ἐμὸν οἰκήσω δόμον

i. e. „istud verbum ἀπαιτεῖσθαι in me non convenit, a me nemo quidquam *reposcere* i. e. *suo iure poscere* potest, nam mea haec domus est." Et voluisse id Tiberium, quod ego dicebam, testis Suetonius, qui sic principis verba refert: „Si non dominaris, filiola, iniuriam te accipere existimas?" ubi rectissime interrogandi signum posuit Rothius: istud enim nisi additur, sensu cassus locus est. Nunc Tiberius rogat non, quod quosdam opinari video: „iniuriamne vocas quod non rerum hic domina es" (nam, etiamsi verba eam admitterent interpretationem, quod

nego, ad Agrippinam confutandam minime apta illa esset) sed: „qui potes tu, quae non domina es, sed civis alieno subiecta imperio, iniuriam te accipere ullam putare?" Graecus versiculus, quo usus est Tiberius, periit, sed fuit huiuscemodi:

εἰ μὴ τυραννεῖς, ἀδικίαν λέγεις τίνα;

A. IV, 58. Proficiscente in Campaniam Tiberio, mathematici nunquam eum rediturum vaticinabantur. Inde mox moriturum eum quidam artis imperiti credebant et contendebant etiam, quae res ipsis fuit exitio. Hic facultatem nanciscitur de divinatione disputandi Tacitus; quae autem dicit huc fere redeunt ut omnino arti illi se fidem habere declaret; portendere enim quaedam deos certis hominibus, caelestium aliorumque signorum peritis; sed de suo affingere multa vulgus imperitorum et sic totam artem suspectam reddere plerisque. Iam ipsa Taciti de praesenti negotio verba consideremus:

„Mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam obscuris tegerentur. Nam in urbem non regressurum haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore et saepe moenia urbis adsidens extremam senectam compleverit."

In urbem non regressurum Tiberium dixerant .... qui? Mathematici, ut opinor, et veraces eos esse apparuit: eventum enim istud vaticinium habuit (haud forte dictum). Sed praeterea nihil declaraverant: *ceterorum* ergo *nescii* recte dici non possunt: vaticinii sui accuratam interpretationem non dederant, ergo nequaquam constabat utrum ipsi veram eius vim intelligerent necne, neque referebat. At alii de suo interpretationem erant commenti, veri quidem similem (quis enim providebat per tot annos Tiberium extra urbem moraturum?) sed tamen falsam: sic patuit *breve confinium artis et falsi.* Ergo res huc redit: quod effati erant mathematici verum fuit et eventum habuit, quod alii addiderunt homines ex fraude vel ex inscitia natum erat. Itaque non *ceterorum* sed *ceteri* legendum: in urbem non regressurum haud forte dictum (i. e. vera erant locuti mathematici), ceteri nescii egere (et finxerunt quae scire non possent). Haec, ut opinor, recte inter se opponuntur.

„equites in necem Pisonis mittit. Illi raptim vecti, obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis inrumpunt."

Docere huiuscemodi loci editorem poterant ubi recte *irrumpendi* verbum ponatur, ubi nullo modo ferri possit.

A. V, 6. Refertur oratio quaedam, quam post Seiani interitum, aliquis ex eius amicis, iam et ipse in supremum adductus discrimen, domi ad amicos habuit. Eius orationis tantummodo ultima pars superest, in qua et alia et haec leguntur:

„Versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum adsciverat (sc. Seianum), sibi ignoscit; ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur."

Quo iure et quo sensu Tiberius hic *sibi ignoscere* dicatur frustra quaero, neque intelligo quo modo nunc Tiberius et ceteri inter se opponantur. De ceteris autem illis quid dicitur? Graviter incusantur quod mortuo Seiano insultent in iudicia adducentes familiares eius cognatosque, cum ipsi quoque aliquando Seiani gratia floruerint. De his ergo ab homine iamiam morituro gravis pronuntiatur sententia. De Tiberio vero, omnis illius perfidiae auctore, quid dicitur, vel quid recte in tali contextu dici potest? Nihil, ut opinor, nisi hoc: „gravius esse eius scelus quam quod verbis notari possit." De Tiberio ergo silet, non quod timeat eum, ad mortem enim est paratus, sed quia intelligit hic omni oratione silentium disertius esse. De ceteris iudicat ipse, Tiberium suis ipsum cogitationibus suaeque conscientiae damnandum relinquit. Hoc habebimus, si pro *ignoscit* legerimus *ignoscat*: „Tiberius de se ipse viderit, factum suum consideret et quomodo defendi illud excusarique possit quaerat: non inveniet."

A. VI, 9. Vistilius praetorius levem et fortasse fictam ob causam:

„Convictu principis prohibitus, cum senili manu ferrum temptavisset, obligat venas; precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit."

Obligat *venas* . . , , *venas* resolvit. Sicine unquam ullum scriptorem Latinum, ne dicam Tacitum, nugatum esse credamus? Puerorum elementa discentium sermo iste est. Et *precandi* ver-

dixi, vehementerque illam emendationem probavit Vlietius meus, quem morte nobis ereptum lugemus quotquot candidum eius pectus amavimus et ingenii acumen admirati sumus. Postea in Ritteri editione vidi iam Nevio idem venisse in mentem. Haud temere ergo illud *poscebant* etiamnunc defendo, cum praesertim quae contra sunt allata infirmissima videantur. Primo aspectu traditae lectioni auxilium ferre videtur quod apud Plinium Ep. VI, 20 legitur, ubi in similis cladis narratione haec habes: „alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant vocibus noscitabant", sed ibi *requirebant* eius verbi implet partes, quod apud Tacitum est reponendum (*poscebant*) et *vocibus noscitare* recte dicitur, at *ululatibus et gemitu noscebant* absurdum est eritque semper. Quodsi quis eo confugiat ut dicat etiam eorum, qui dira clade audita accurrerunt, ululatus et gemitus exstitisse, quam durum ingratumque illud sit observet quod in sententia ita structa, ut haec est, alia est ratio primi ablativi *visu*, alia insequentium *ululatibus et gemitu*.

A. IV c. 67 sic incipit:

„At Caesar dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuisset, ne quis quietem eius inrumperet, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur e. q. s."

Pro *inrumperet* Heraeus legendum esse vidit *interrumperet*, necessariamque eam esse emendationem patet. Nam quae ad vulgatam lectionem defendendam affert Furneaux insigni demonstrant exemplo quam ridicule aliquis specie decipi possit. Sunt enim haec:

H. I, 82 (de praetorianis agitur nimis pro Othone suo sollicitis):

„Militum impetus ne foribus quidem Palatii coercitus, quominus convivium inrumperet."

De militibus accurrentibus, impetum facientibus, aegre extra Palatii fores coercitis ne potuit quidem aliud poni verbum quam *irrumpendi* illud. Ergone etiam *otium* alicuius recte *irrumpi* dicitur?

H. IV, 50. Festus legionis in Africa legatus, dudum perniciem Pisoni molitus, ubi tandem facultatem facinoris perpetrandi nactus est:

„equites in necem Pisonis mittit. Illi raptim vecti, obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis inrumpunt."

Docere huiuscemodi loci editorem poterant ubi recte *irrumpendi* verbum ponatur, ubi nullo modo ferri possit.

A. V, 6. Refertur oratio quaedam, quam post Seiani interitum, aliquis ex eius amicis, iam et ipse in supremum adductus discrimen, domi ad amicos habuit. Eius orationis tantummodo ultima pars superest, in qua et alia et haec leguntur:

„Versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum adsciverat (sc. Seianum), sibi ignoscit; ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur."

Quo iure et quo sensu Tiberius hic *sibi ignoscere* dicatur frustra quaero, neque intelligo quo modo nunc Tiberius et ceteri inter se opponantur. De ceteris autem illis quid dicitur? Graviter incusantur quod mortuo Seiano insultent in iudicia adducentes familiares eius cognatosque, cum ipsi quoque aliquando Seiani gratia floruerint. De his ergo ab homine iamiam morituro gravis pronuntiatur sententia. De Tiberio vero, omnis illius perfidiae auctore, quid dicitur, vel quid recte in tali contextu dici potest? Nihil, ut opinor, nisi hoc: „gravius esse eius scelus quam quod verbis notari possit." De Tiberio ergo silet, non quod timeat eum, ad mortem enim est paratus, sed quia intelligit hic omni oratione silentium disertius esse. De ceteris iudicat ipse, Tiberium suis ipsum cogitationibus suaeque conscientiae damnandum relinquit. Hoc habebimus, si pro *ignoscit* legerimus *ignoscat*: „Tiberius de se ipse viderit, factum suum consideret et quomodo defendi illud excusarique possit quaerat: non inveniet."

A. VI, 9. Vistilius praetorius levem et fortasse fictam ob causam:

„Convictu principis prohibitus, cum senili manu ferrum temptavisset, obligat venas; precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit."

Obligat *venas* . . , , *venas* resolvit. Sicine unquam ullum scriptorem Latinum, ne dicam Tacitum, nugatum esse credamus? Puerorum elementa discentium sermo iste est. Et *precandi* ver-

bum, nullo obiecto addito, cum nihil sit in vicinia quod obiecti vice fungi possit, num quidquam significare potest quod hic requiratur? Ut locus simul ét lacer ét inepta laborans abundantia, sanaretur, iam ante septem annos (Mnem. 1894) hanc proposui lectionem:

„.... obligat venas, precatusque per codicillos *veniam*, immiti responso resolvit"

neque nunc me eius poenitet.

A. VI, 15. Tiberius neptibus suis maritos legit L. Cassium et M. Vinicium, quorum hic, utpote nobili genere ortus et Calibus, in municipio florentissimo et elegantiarum pleno, natus, *mitis* erat *ingenio* et comptae facundiae. Cassius nobis sic describitur:

„Cassius, plebeii Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus, facilitate saepius quam industria commendabatur."

In vocabulo *saepius* haeret Nipperdeius, quod recte pro *plus* poni posse non credit. At hoc quidem facile fero, sed tota sententia vehementer mihi displicet. Quis enim de adolescente, quem modo legerit *severe* educatum, paulo post commemoratum iri exspectet *facilitate* eum commendatum esse? Mirum ergo paterna severitas effectum habuit! Quid quod *opponitur* ei adolescens, cuius plane diversae fuerint origo educatioque, quem ergo plane aliter fuisse moratum sit consentaneum. At hic fuit *mitis ingenio*. Ergo hic inter se *opponuntur* „mite ingenium" et .... „facilitas", quae vox prorsus idem significat. Credamusne unquam Tacitum in componendo disponendoque tam fuisse vel negligentem vel infelicem? Equidem crediderim potius eum alteri adolescenti de suo adfinxisse mores, dummodo sic nancisceretur quae recte eleganterque inter se opponerentur, quam in hunc incidisse vitiosae orationis scopulum. Ergo tantum abest ut cum Nipperdeio *plus* pro *saepius* reponendum censeam, ut contrarium exspectem. Non tamen *rarius* vel eiusmodi aliquid pro *saepius* legendum coniicio; leniore medicina restitui posse opinor, quod ab omni parte probandum, Tacitoque dignissimum sit. Vocabula enim *facilitate* et *industria* sedem inter se iubere iubeo: „industria saepius quam facilitate commendabatur." Hoc

est quod unice in hunc locum conveniat: alter ille non erat quidem tam eleganter educatus, non tam mitis, lenis, urbanus erat; immo vero simplicitate sua plebeia identidem peccabat offendebatque; sed illud vitium industria, saepe probata, facile compensabat. Nunc recte omnia disposita et inter se opposita sunt. Praeterea nunc denique *saepius* non solum ferri potest, sed quidquid pro eo reposueris, totum locum corruperis.

A. VI, 16. Creditorum avaritiae et crudelitati quomodo obviam ierit Tiberius narraturus, sic Tacitus incipit:

„Sane vetus urbi faenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus."

Ut aliquis his insit sensus, *cohibebatur*, id quod vetant sermonis leges, ita est accipiendum ut pro *cohibendum erat* sit positum, et ne sic quidem sententia nascitur eleganter diserteque enuntiata. Hanc habebis, si pro *eoque* legeris *aegreque* vel aliud adverbium in eandem sententiam: moribus quoque antiquis arduum erat negotium foenoris incommoda coercere, tam inveteratum illud malum erat.

A. VI, 18. „Etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur, cuius maritum Argolicum, socerum Laconem, e primoribus Achaeorum, Caesar afflixerat: pater quoque, inlustris eques Romanus, ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere. Datum erat crimini, quod Theophanem Mytilenaeum, proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodqne defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat."

Habuisset . . . tribuerat. Hanccine feramus modorum varietatem cum de duabus agatur rebus, quae aeque certae sint utraque? Immo *tribueret* lege, sic et sermonis puritati et historiae veritati consultum erit. An credamus Graecos iam tum desiisse in magno habere illum Theophanem honore, qui ante centum fere annos ipsorum prospexisset libertati?

A. VI, 22. Satis longam de divinatione disputationem, quam narrationi de Thrasyllo eiusque vaticiniis annectit, sic Tacitus claudit:

„Quippe a filio eiusdem Thrasylli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim."

Illud *ne abierim* non potest aliter defendi quam sic ut sit idem quod *ne abiisse censear.* Sed ne sic accipiamus obstat adverbium *nunc*: sive enim iusto longius a proposito discessisse, sive in digrediendo iustum observasse modum Tacitus censebitur, eventum iam ea res habet neque mutari potest etiamsi quam primum digrediendi finem faciat. Neque in hunc locum quadrat illud: „in tempore" ait „illud de Nerone commemorabitur" i. e. nunc illam rem differo, quam si hic addere vellem iusto longius hoc fieret ἐπεισόδιον; id autem nolo: „nolo *nunc* ab incepto longius *abire.*" Requiritur ergo non *abierim* verum *abeam*, sed, quoniam hoc traditae lectioni parum simile est, leniore emendatione legendum censeo *aberrem.*

XIX.

AD SEX ANNALIUM LIBROS POSTERIORES ANNOTATIONES VARIAE.

A. XI, 10. Morte Vardanis turbae inter Parthos de successore eius ortae sunt:

„Multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Meherdatem, prolem Phraatis, obsidio nobis datum. Dein praevaluit Gotarzes; potitusque regiam, per saevitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdatem patrium ad fastigium orabant."

In voce quae est *permitti* equidem haereo; nam sive eam sic accipimus ut sit: *ipsis permitti* i. e. dari, tradi, sive de eo dictum intelligimus, cui aliqua via ire conceditur (διιέναι), neutra significatio huc quadrat. Quid autem *obside* aliquo fieri amici eius cupere debent? Nempe *remitti* eum. Meherdatis vero amicos postulare ut *ad paternum fastigium* i. e. ad occupandum Parthorum solium *remittatur* ille quam maxime consentaneum est.

A. XI, 33. Comprehensis iam et in vincula coniectis plerisque, qui aliquo modo „matrimonii" Silii Messalinaeque conscii

fuerant, tamen nondum in aula Claudii securae erant mentes, praesertim quia in Geta, praetorii praefecto, haud satis praesidii esse putabatur:

„Ergo Narcissus adsumptis, quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret; seque offert suscepturum."

Quis imperium militare, quod nunc penes Getam, suspectum hominem, est, ad libertorum aliquem transferet, si consilio Narcissi obtemperabitur? Nempe Claudius. Et cui hoc dat consilium — nam consilium aliquod in verbis eius inesse, non meram opinionem, quis negabit? — Narcissus? Nempe Claudio. Et de *cuius* libertis hic sermo est? Claudii ut opinor. Confidenter ergo pro *Caesaris* repono *Caesari*, qua coniectura simul sermonis consulitur integritati. Nam neque isto *Caesari* carere hic possimus et „non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat" duritiae est non ferendae. „Non est alia incolumitatis spes" sic Claudium Narcissus alloquitur „quam si hoc uno die imperium praetorianorum in libertorum tuorum aliquem transferes." De *sua* esse sermonem incolumitate sponte, ut opinor, intellexit pavidus princeps.

A. XI, 31. De importunitate uxoris edoctus Claudius, comitibus Vitellio et Largo Caecina in urbem revehitur. In quo itinere Vitellius identidem „o facinus, o scelus" neque quidquam ultra clamabat:

„Instabat quidem Narcissus aperiret ambages, et veri copiam faceret [1]); sed non ideo pervicit, quin suspensa et, quo ducerentur inclinatura responderet exemploque eius Largus Caecina uteretur."

Multo rectius hic pro *uteretur* legemus *utebatur*. Solum *Vitellium* ut ambages suas aperiret Narcissus hortabatur: illius enim fuerant exclamationes istae. Deinde aliquid de altero comite Claudii scriptor addit.

A. XII, 64. Portenta et alia referuntur et hoc:

---

1) Recte *aperiret — faceret* Madvigius reponi iussit pro *aperire — facere*. Quis sit in tali re *aperiendi* verbi usus docere possunt hi loci ex Historiis: L. II, 53 et 78.

„Suis fetus editus, cui accipitrum ungues inessent.”

Si me audis, *accipitris* leges. An non satis absurdum videtur portentum, nisi aut de pluribus porcellis narretur, aut de uno porcello, qui aliquot accipitrum habuerit ungues?

A. XII, 66. Veneno de medio tollere Claudium Agrippina decernit:

„Deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita.”

Verum est Locustam huic sceleri diu fuisse superstitem: Galbae enim imperatoris iussu poenas dedit. Sed quis unquam audivit adverbio *diu* cum participio perfecti iuncto tempus venturum designari? — Ergone hic praeteritum tempus verbis „diu inter instrumenta regni habita” significatur? Hoc pertinaciter nego: *nuper* enim veneficii damnata est Locusta, atque ipso demum, ut opinor, iudicio patuit quam esset nefariae artis perita illa. Hoc ergo narratum esse suspicor a Tacito: ipsam damnationem hunc habuisse effectum ut aulicae veneficae munus Locustae mandaretur. Certe, ubi damnatum aliquem capitali crimine legimus, quid deinde eo factum sit cognoscere iure nostro poscimus. Quod hic desideratur. Ordine tota procedet narratio, si pro *diu* legemus *inde*, aliudve adverbium causam originemque significans.

A. XIII, 1. Inter causas cur Iunio Silano necem moliretur Agrippina erat et

„crebra vulgi fama anteponendum esse vixdum pueritiam egresso Neroni et imperium per scelus adepto virum aetate composita, insontem, nobilem, et quod tunc spectaretur, e Caesaris posteris.”

Ipsum, ut opinor, vulgus, quod Neronis tempore vivebat, scire nequibat aliquando futurum tempus, quo in imperatore elegendo *non* spectaretur illud, essetne aliquis e Caesaris posteris an non esset. Ineptum ergo illi vulgo tribuere argumentum, quod in isto „quod *tunc* spectaretur” inest. Sed ipse Tacitus, cui ét suum tempus ét praeteritum cognita erant, illud suorum aequalium causa adiecit. Legendum ergo non *spectaretur*, verum *spectabatur*.

A. XIII, 15. Territus matris verbis Britannicum se ad imperium vocaturam minitantis, Nero et alia animo volvit et recentem quandam rem, e qua ingenium eius perspexerat. Quae cuiusmodi fuerit sic narrare Tacitus incipit:

„Festis Saturno diebus inter alia aequalium ludicra regnum lusu sortientium evenerat ea sors Neroni."

Scabrosam hanc orationem appellare non dubito; sed non Taciti culpa talem eam evasisse credo, nescio qua attractione participium illud ad praecedens *aequalium* referentis, sed librarii, quem genitivus ille in errorem induxerit. Ablativo temporis, qui „absolutus" dicitur, opus hic est, non opus est autem addito aliquo nomine substantivo, sed sufficit participium. Legendum ergo *sortientibus,* quod quam facile hic in *sortientium* corrumpi potuerit sponte apparet.

A. XIII, 17. Cum in campo Martio Britannicus sepeliebatur tam vehementes ceciderunt imbres:

„Ut vulgus iram deorum portendi crediderit adversus facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant."

Quam absurde istud *etiam* positum hic sit vel maxime e Nipperdei, qui defendit, apparet annotatione. Iam quod ait *plerique* hic non esse i. q. *οἱ πλεῖστοι* sed *admodum multos* ea voce significari, verum est. Sed quae addit quam maxime contorta videntur. „Ignoscebant" ait „isti sceleri multi homines, cum tamen homines de aliis hominibus severe iudicare solent; quo magis consentaneum est, deos, quibus nihil est reconditum ex iis rebus, quae mortalium facta excusant, ad ignoscendum fuisse paratos." Sequitur ergo ut verisimile *non* sit deorum iram istis imbribus significatam fuisse. Et revera illud Furneaux Nipperdeii explicationi, quam probat, addit. Sed neque omnino eiusmodi de portentis opiniones, quales hic vulgo tribuuntur, refutare solet Tacitus (est enim et ipse satis *δεισιδαίμων*), et hic vulgi interpretationem iis verbis narrationi suae annectit („adeo turbidis imbribus ut") ut appareat minime spernendam ipsi videri. Denique aut legentes labyrinthis includere studet Tacitus, aut deos et homines *inter se opponit*: ut sic hunc accipiamus locum tota eius suadet dispositio: „homines huic facinori ignoscebant, non ignovisse deos e tempestate illa efficiebat vulgus . . . idque

haud temere." Atque ut illud dicat Tacitus lenissima emendatione effici potest, qua simul efficitur ut duo illius sententiae membra, qua hic opus est, aptissime inter se iungantur. Quae enim hic coniunctio requiritur pro inepto illo *etiam*? Ut opinor: *iam*, atque hanc, praesertim praecedente litera *e*, facile in *etiam* corrumpi potuisse quisque intelligit. „Quod facinus, quemadmodum vulgus haud temere e portentis efficiebat, gravissimam deorum iram provocabat, ei *iam* multi mortales ignoscebant." Aptissime nunc sequitur: „antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes." In deos immortales „eiusmodi aestimationes" non convenire res ipsa loquitur.

A. XIII, 43. Suillius famosus ille imperante Claudio delator tandem aliquando, quia Senecae iram acerbis dictis moverat accusatur, damnatur:

„in insulas Baleares pellitur, non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo; ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse."

Post mortem Suillii de victu, quem exul egerit, sermones nullos fuisse opinor, sed potuerunt quaedam de ea re tradere scriptores, quibus auctoribus usus est Tacitus. Fortasse etiam unus et alter, qui publice ad sedes exulum inspiciendas missus erat, de Suillii victu molli nuntium referebat. Ergo aut *fertur* ... *toleravisse* legendum est, aut, quod magis etiam placet: *ferebatur* ... *tolerare*.

A. XIII, 57. Ignibus, terra editis, tam vehementer Ubiorum vastabatur terra, ut neque in imbribus neque in fluviis quidquam esset subsidii:

„donec inopia remedii et ira cladis agrestes quidam eminus saxa iacere, dein resistentibus flammis propius suggressi ictu fustium aliisque verberibus ut feras absterrebant."

Si flammae *resistunt* apparet irritos fuisse conatus lapides iacientium: *resistere* enim est „loco se suo non movere" cf. XIII, 6: „diffugiunt imprudentes: at quibus altior intellectus, resistunt defixi." Neque opposita inter se sunt *resistere* et *progredi*, sed *resistere* et ea verba, quae „retroversum ire" significant. Et nisi illud ipsum fecissent flammae, ut retroversum

irent, nunquam propius accedere potuissent agricolae, sed ardorem vitantes semper eodem mansissent intervallo. Prorsus contrarium ergo hic requiritur quam quod est traditum, legendumque *recedentibus* vel *residentibus*.

A. XIV, 6. Agrippina insidias sibi a filio structas evadit, uno tamen accepto vulnere (nam se pro illa interfici a nautis passa est Acerronia) atque in villam suam infertur:

„ibi reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam ... observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens, solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur; misitque libertum Agerinum e. q. s."

Hiare huius loci structuram dudum est intellectum; ergo post *intellegerentur* (vel post *esse*) alii alia inseruerunt (putavit", „vidit", „sensit"). Equidem particulam *que*, verbo quod est *misit* adhaerentem deleverim et post *intellegerentur* inseruerim *rata*: sic demum sermo Taciteus restitui videtur.

A. XIV, 9. A percussoribus, quos Nero immisit, Agrippina occiditur:

„Cremata est nocte eadem, convivali lecto et exequiis vilibus; neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta aut clausa humus. Mox domesticorum cura levem tumulum accepit, viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris."

Ad illud *viam Miseni propter* viri docti annotant: *litora Calabriae contra* (III, 1) et *cubiculum Caesaris iuxta*, sed *viam Miseni* non esse nihili locutionem docere neglexerunt. Equidem autem illud non concoquo, sed lenissima repono emendatione: „Miseni viam propter", ut *Miseni* sit locativus.

A. XIV, 11. Mortua Agrippina Nero epistolam ad senatum mittit, qua omnes eius insidias machinationes importunitates, quas ipse iam princeps expertus sit, enumerat:

„Temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens. Namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur, ut crederet?"

Male duae hae sententiae inter se cohaerent, inepto enim

vinculo iunctae sunt. An ullus hic coniunctioni *namque* locus? Non opinor: neque enim ratio hic redditur neque praeteritio, quae dicitur, fit. Sed pro *namque* lege *iamque*, egregie procedet oratio. Hoc enim fere dicet Tacitus: „quin etiam ad eam est progressus impudentiam ut naufragium narraret."

A. XIV, 20. Cum Nero ludos quinquennales institueret more Graeco, vehementer eam rem improbabant viri antiquitatis tenaces. Totam rem eo spectare affirmant ut:

„quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus ...... An iustitiam augeri et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent."

Totus hic locus in codice vitiosissimus est. Iam egregia emendatione Lipsius *iustitiam augeri* dedit pro absurdo *ius titia augurii*, neque praeterea Madvigiana correctione *auctum iri* opus esse opinor. Tum, recte ut equidem censeo, Seyffertus *expleturas* coniecit pro *expleturos* et ante eam vocem Halmius inseruit *melius*, quod supplementum mihi quidem utique necessarium videtur. Sed nunc ego etiam in isto *perite audissent* haereo. Neque enim significare ea verba possunt: „tamquam callidi de eiusmodi artibus iudices audissent", neque, si possent, de ea re nunc agitur. Universa tamen loci sententia admodum est perspicua: „meliusne" antiquarii illi rogant „homines ex ordine amplissimo splendidissimoque gravibus suis in republica muneribus fungentur, melioresne eos habebimus iurisconsultos et iudices, si *ineunte aetate* istarum rerum, quas nunc in civitatem introducere studet princeps, participes fuerint?" Nam praesertim de iis rebus hic agi cogitarique, quas *tenera aetas* ludorum illorum occasione faciet spectabitque, vel ex iis, quae citavimus: „degeneretque studiis externis iuventus" quam maxime apparet. Ergo non dubito quin pro *perite* legendum sit *pueri*, qua correctione lenissima tandem aliquando totus locus in integrum restitutus videtur.

A. XIV, 29. Qui hactenus in Britannia praefuerant legionibus haud multum profecerant:

„Sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia

militiae et rumore populi, qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens."

Britannos, quos Romani imperio suo subiicere etiam conantur, *perduelles* vocare eius est, qui in antiquitatibus Romanis atque adeo in sermone Latino hospes sit. Iure ergo pro *perduellibus* Halmius coniecit *rebellibus*, sed pro laudabili coniectura egregiam exhibuisset emendationem, si pro *domitis perduellibus* scribi iussisset *perdomitis rebellibus*. Postquam, quod facile fieri poterat et saepe factum est, praepositio *per* in alienam aberravit sedem, *perrebellibus* (vel *perreuellibus*) quin in *perduellibus* transiret vix fieri poterat. Cf. XIV, 60, ubi in codice legitur: „Eucaerus, natione Alexandrinus, canere pertybias doctus." Vulgo editur: „canere tibiis doctus", quae est emendatio admodum audax. Aut me fallunt omnia aut legendum est: *canere tibiis perdoctus*.

A. XIV, 52. Mortuo Burro certatim qui in republica deteriores erant Senecam criminari incipiunt; arrogantiam impotentiamque eius perstringunt; hoc prae ceteris ei vitio dant quod omnium rerum, quibus delectetur Nero, severum agat censorem:

„Nam oblectamentis principis palam iniquum detrectare vim eius equos regentis, illudere voces (rectius Muretus *vocem*) quotiens caneret. Quem ad finem nihil in republica clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur?"

Quamvis fuerint acres hi Senecae vituperatores, tamen credibile non est tantam illos ei obiecisse arrogantiam, ut repertor atque inventor videri vellet omnium bonarum artium, quibus sine famae suae detrimento operam dare posset Nero. Sat grave iam est quod paulo ante Senecae obiiciunt: „eloquentiae laudem uni sibi asciscere et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset", et quam longum inter hoc crimen et illud *repertae* eloquentiae poesisque sit intervallum quisque videt. Quid quod, si tamen nostro loco eiusmodi voluisset aliquid Tacitus, non praesentis temporis (*reperiri*) usus esset infinitivo sed perfecti. Hisce omnibus perpensis pro *reperiri* legendum censeo *probari*, vel aliud quid in eandem sententiam.

A. XV, 8. Paetus, vanus ille Corbulonis aemulus, quo modo

multa agendo nihil egerit, quin etiam in summum discrimen rem adduxerit, his verbis describitur:

„Longinquis itineribus percursando, quae obtineri nequibant, corrupto, qui captus erat, commeatu et instante iam hieme, reduxit exercitum."

Corrumpendi commeatus nulla, ut opinor, causa fuit; quod si aliquo infortunio factum esset ut ipsum illud frumentum, quod milites, huc illuc a Paeto rapti, praedati erant, corrumperetur, boni scriptoris erat quae ea fuerit calamitas narrare. Nam unum illud quod ultro citroque currunt milites frumento parum nocet. Quid quod ne *corrupto* quidem frumento opus fuit ut tamen commeatu vacui in castra redirent milites. Longinquis itineribus sat longum tempus insumpserunt milites, itaque quod rapuerant frumentum comederunt ipsi. Lege ergo *consumpto* pro *corrupto*. Sic simul inepti hominis vanitas salsissime perstringitur: „percursando, quae obtineri nequibant, consumpto, qui captus erat, commeatu reduxit exercitum." Nihil solidi imperio Romano acquisiverat Paetus, et, quod solum rapuerat, frumentum, illud ab ipsis erat consumptum militibus. Vocem autem quae est *consumptus* multis fuisse obnoxiam casibus docet A. XV, 57 (De Epichari crudelissima spernente tormenta narratum est. Quam narrationem sic claudit scriptor):

„Sic primus quaestionis dies contemptus est."

Ut ineptum illud *contemptus* hic scriberet facile adduci potuit librarius: legebat enim de muliere cruciatus spernente et *contemnente*, et praeterea ante oculos habebat vocem admodum illi *contemptus* similem: *consumptus*, quam optimo iure Prammerus restituit. Nullae sunt certiores emendationes, quam quibus appareat corruptelae duas has fuisse causas: ét oculorum ét mentis errorem.

A. XV, 10. Stultis consiliis Paetus vim copiarum, quibus praeest, ultro infringit, nunquam sibi constat, milites dissipat et ita bello inutiles reddit. Sic et filium uxoremque castello quodam abdit:

„data in praesidium cohorte ac disperso milite, qui in uno loco habitus vagum hostem promptius sustentavisset."

Codex in fine sententiae addit etiam particulam *et*. Quam

lectionem sic natam arbitror: in exemplo legebatur: *sustenta* .... *et* suprascripto lacunae supplemento *visset*, quod librarius ita in textum recepit ut istud *et* retineret. Cf. H. III, 20, ubi in codice ineptissime legitur: „et vineis, machinamenti genus ad expugnandos muros in modum turrium factum is aggredienda urbs." Recepto enim in textum post syllabas *vine* interpretamento, quod in exemplo inter lineas legebatur, librarius postea vocem, a correctorę monitus, supplevit, sed vagam syllabam *is* delere neglexit. Nostro vero loco olim scriptum fuisse suspicor non *sustentavisset*, quod huic narrationi parum aptum, verum *sustentare potuisset*.

Paulo antea in eodem capite haec habemus:

„Adventare Vologaesen magno et infenso agmine auditum. Accitur legio duodecima, et unde famam aucti exercitus speraverat, prodita infrequentia. Qua tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset."

Mire, ne absurde dicam, ipsa *infrequentia* utilis esse potuisse dicitur ad resistendum hostibus. Nam quominus mihi respondeatur illa voce *cohortes infrequentes* designari posse ipsa sententia obstat: in „prodita infrequentia" substantivum *conditionem* copiarum significat, neque ergo adiici potest pronomen relativum, quod aliam significationem eiusdem substantivi requirit. Quanto melius omisso *qua* legemus: „tamen retineri castra e. q. s." i. e. tamen, vel sic, quicunque erat status rerum, bene res geri poterat, simodo sibi constitisset Paetus.

A. XV, 16. Castris Romanorum diu obsessis Vologaeses potitur:

„Ceterum obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem inicerent, contraque prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem."

Vix quemquam esse opinor, cui istud *contraque prodiderit* sanum videatur; coniunctivum hic ferri non posse constat. Quidni legamus „contra quam prodidit Corbulo." In promptu mihi nunc alii loci Tacitei non sunt, ubi *contra quam* legatur, neque lubet eius rei causa lexica et indices pervolvere. Fac enim nusquam alibi illud inveniri, eane idonea causa est cur

ne semel quidem Tacitum usum locutione tam bene Latina tamque pervulgata statuamus, idque eo loco ubi vix ullo alio modo id quod requireretur significari potuerit?

A. XV, 38. Ardente urbe in omnes partes diffugiunt cives:

„Et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur, vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant, in eodem casu reperiebant."

Hic equidem desiderari quiddam censeo. In verbo enim *reperiebant* haud dubie inest significatio *τοῦ* „cum propius accessissent": omitti id sine damno poterat quia quivis istud *reperiebant* legens mente erat suppleturus. Ergo *longinqua* habet quod recte ei opponatur (ipsum illud „cum propius accessissent" quod in „reperiebant" inest). Propius autem aggressi locos illos reperiebant „in eodem statu" i. e. ut opinor „etiam ardentes". At nunc in priore sententiae parte deest aliquid quod isti „etiam ardentes" recte opponatur, quod nisi aliquo modo est expressum, pronomen *eodem* nil habet quo referatur. Integra erit sententia, si sic legemus: „etiam quae longinqua *secura* crediderant, in eodem casu reperiebant." Neque male pro *secura* ibi *tuta*, *integra* simm. ponemus, modo hac ratione locum expleamus.

In narratione de eodem incendio porro legitur (A. XV, 40):

„Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, prorutis per immensum aedificiis, ut continuae violentiae campus et velut vacuum caelum occurreret. *Necdum post metus aut rediebat le*[u]*bis ... rursum grassatus ignis.*"

Haec verborum rudera sunt in codice. Haud dubie recte reposita iam sunt haecce: „necdum posito metu redibat haud levius", quorum partem praebent „deteriores", pars a viris doctis est inventa. Tum ego pro *grassatus* legere velim *grassaturus*, ut tota sententia fiat:

„Necdum posito metu redibat haud levius rursum grassaturus ignis."

Egregie nunc paucis verbis comprehenditur quod dein fusius enarratur: „minor quidem peribat hominum numerus sed plura aedificia magna deleta sunt."

A. XV, 55. Indicatus a liberto suo Milicho Scaevinus variis modis singulas res, quibus ab illo in suspicionem adducitur tamquam arcana quaedam et funesta reipublicae molitus, explicare et defendere studet:

„Pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari et instantibus creditoribus testamento diffideret. Enimvero liberales semper epulas struxisse diffideret enim vero vitam amoenam et duris iudicibus parum probatam."

Verba *diffideret enimvero* inepte repetita dudum expunxerunt editores. A *vitam* novam tum incipiunt sententiam. Sed accusativum cum infinitivo *vitam — probatam* male cum praecedentibus cohaerere recte, ut equidem censeo, nonnulli statuerunt. Sed quod *amasse* vel *egisse* inseruerunt (ante vel post *vitam*) parum probabilis ea emendatio videtur. Multo certe leniore medicina sic locus restituitur in integrum:

„enimvero liberales semper epulas struxisse vita amoena et duris iudicibus parum probata"

ut *vita amoena et* ... *probata* sit ablativus absolutus, qua ratio redditur.

A. XV, 59:

„Fuere, qui prodita coniuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scaevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere studiaque militum et populi temptare."

Dum dubitat Scaevinus. Quid his vocibus significatur? Ut opinor conditio, in qua versatur Scaevinus eo tempore quo Milichus interrogatur paulove postea, certe ante illud tempus quo responsis Natalis, cum ipsius non congruentibus (c. 56), *confiteri* cogitur: nam tum certe *dubitare* desiit. Quod autem ad ipsum illud pertinet tempus, quo a Milicho est indicatus: statim tum ad Neronem est adductus (*raptus per milites* c. 55); hic ita loquitur ut e. c. *effugia quaerere* dici possit, non vero *dubitare.* Quem effectum illa effugia habuerint Tacitus verbis *ut labaret indicium* (c. 55 extr.) perspicue declarat; atque nostro loco rem nobis esse cum eo tempore quod fuit postquam labare indicium coepit et antequam Scaevinus Natalisque diversi interrogati totam coniurationem aperuerunt res ipsa clamat. At

in illud tempus *dubitandi* verbum non convenit, neque omnino ullum, quo *facere* aliquid Scaevinus significetur. Ut iam dicebam, requiritur verbum *statum condicionemque* Scaevini indicans. Legendum esse suspicor: „dum dubius Scaevinus": dum nondum certum erat qualem se praebiturus esset Scaevinus, fortiterne interrogationes atque etiam tormenta toleraturus, an confessurus communemque proditurus causam.

A. XV, 63. De Senecae morte et alia et haec legimus: „Novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo."

Istud *eius verbis* cum *edita* iungendum esse monet Nipperdeius, et revera ne potest quidem cum ullo alio iungi verbo, quin plane sit absurdum et cuncta perturbet. Verum quid sibi vult, si iam cum *edita* iunctum est? Plane supervacuum videtur. Annon res ipsa loquitur, quae a „scriptoribus" ex ore Senecae sint excepta, *Senecae verbis* in vulgus edita esse? Quodsi quis tamen addendum eiusmodi aliquid fuisse putat, ut esset quod *τῷ invertere* opponeretur — nonne hic dicendum erat *ipsius verbis*, idque ante *edita* ponendum? His perpensis mihi ne umbra quidem restat dubitationis quin legendum sit: „*meis* verbis invertere supersedeo." Cf. quod c. 67: Subrii Flavii responso tradito additur: „ipsa rettuli verba, quia non, ut Senecae, vulgata erant, nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos", *ipsa retuli verba* i. e. „non meis verbis Flavi responsum inverti."

Statim post illud Flavii responsum adduntur haec (cap. eod.): „Nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi, quae faceret, insolens erat."

In voce q. e. *faceret* coniunctivus probari nequit: sensus enim est: „nunquam Nero facta sua suo nomine appellari audiebat"; imperfectum tempus parum rectum videtur; nam multo magis hic sermo est de iis rebus quas diu ante Nero perpetravit quam de iis in quibus cum maxime versatur. Utrique incommodo lenissima subveniri potest correctione. Duarum enim literularum transpositione pro *faceret* legendum arbitror *fecerat*.

A. XVI, 5. Nerone in theatro artes suas exhibente tanta multitudo aderat ut obtererentur haud pauci; praeterea ipso audiendi spectandique labore in gravem morbum multi inciderunt:

„quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam et pluribus occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coëuntium scrutarentur."

Quod hic vox q. e. *palam* adiectivi vel participii vice fungitur, in eo molestiae est nihil, sed ferendum non videtur quod coniunctio *ut* annectitur sententiae parti, quae verbo plane caret. Ergo pro *ut* legamus *qui*: cum litera *q* aliquo casu evanuisset, quod restaret in *ut* abiisse mirandum non est.

A. XVI, 22. Vehementer in Thraseam invehitur Cossutianus Capito, eumque utique ex civitate tollendum esse senatores docet. Cuius oratio huc fere redit ut demonstret eo iam ventum esse ut otiose inter se confabulantes homines de republica ita loquantur quasi in duo discesserit castra: Neronis et Thraseae. Postquam multa in hanc sententiam declamavit, hoc quoque addit:

„Diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit."

Scio ad istud *non* defendendum e praecedentibus nubem exemplorum excitari posse: principio anni Thrasea *vitat* sollemne iusiurandum; *non* adest nuncupationibus votorum; *nunquam* immolat pro salute aut caelesti voce principis; triennio *non* introiit curiam; *abfuit* cum Silanus et Vetus condemnabantur; *sine* cura ei est salus Neronis, *sine* honore ars, Poppaeam divam *non* credit. Et tamen mire dictum mihi illud *non fecerit* videtur, quotiesque lego, haereo. Certe admodum exile est vixque ad id significandum, quod requiritur, sufficit. Subintelligendum fere est *denuo*, aliudve vocabulum, quod non ita facile mente suppletur. Semper ergo suspicor pro *non* legendam esse vocem, quae fere eosdem literarum habet ductus: „quid Thrasea *novi* fecerit". Tum quoque praesertim de iis rebus esse cogitandum, quas Thrasea facere sit aspernatus, res ipsa loquitur, sed idem nunc demum recte eleganterque est enuntiatum.

XVI, 24. Thrasea, cui certa iam est parata pernicies, ad

Neronem literas mittit quas ille avide arripit aperitque ratus Thraseam supplicibus precibus veniam rogaturum aliaque, quae priori eius vitae afferrent dedecus, facturum dicturumque:

„Quod ubi non evenit vultumque et spiritus et libertatem insontis ultro extimuit, vocari patres iubet."

E splendidissima haud dubie emendatione Rhenani illud *quod ubi non evenit* natum est, nam in codice est *quo dubie non venit*, ita ut ad lectionem suam proferendam ne unam quidem literulam addiderit, dempserit, mutaverit Rhenanus: transposuit tantummodo literas vel aliter distinxit. At quam ego emendationem propono, ea ut una litera eximatur et alio loco una addatur lineola postulat. Legendum enim censeo: „quod ubi non *īvenit* (invenit)." Nam nunc demum recte, et quod ad structuram sententiae et ad verborum pertinet usum, haec annectuntur: „Vultumque et libertatem insontis ultro extimuit": tantum aberat ut quidquam demissi abiectique inveniret ut extimesceret potius: sic illae literae sermonis libertate ei intrepidum insontis vultum ponebant ante oculos. Post verbum impersonale *evenit*, quod Rhenani praebet lectio, satis dure illud *extimuit* infertur.

A. XVI, 28. In senatu ergo primum ipsius Neronis recitatur oratio, qua non Thrasea quidem nominatim arguitur, sed alii reprehenduntur senatores quod illius exemplo curiam vitent. Arripit haec Cossutianus Capito vehementemque in ipsum Thraseam habet orationem, qua et alia et haec declamat:

„Requirere se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iure iurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem palam et hostem Thrasea induisset. Denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret, censeret, quid corrigi aut mutari vellet."

Omnino quid sit *senatorem agere* non admodum perspicuum mihi est, in Thraseae vero causa, cui id ipsum obiicitur quod, quotiescunque senatus habetur, domi suae latet, quid illud sibi velit crimen admirabundus rogo. In errorem inductum librarium, qui toties de senatu senatoribusque legisset, hic quoque *senatorem* scripsisse opinor, cum in exemplo suo haberet vocem, quae ductibus literarum illi admodum similis esset: *censorem*. Hoc est quod tota vita sua loquens tacensque fecerat Thrasea, ut

ageret censorem civiumque, sed praecipue ipsius principis, facta notaret. Et omnino illud *censorem agere* frequentissimum est crimen in homines severiores. Vide nunc quam eleganti verborum lusu idem ille Capito sic pergens inducatur: „*censeret* quid corrigi aut mutari vellet.”

A. XVI, 35. De ipsa Thraseae morte traduntur haec: „Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit, porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens. ... Libamus, inquit, Iovi liberatori.”

Ad *porrectis* Nipperdeius annotat: „einem Diener” atque eodem modo locum accipit Furneaux. At ego „porrigere alicui brachia manusve” quid sit novi, verum „*venas* brachii porrigere” quin sit absurdissimum non dubito. Quid pro *porrectis* legendum sit non definio, credo tamen in — *rectis* latere — *sectis*. Sed utique requiritur verbum eiusmodi ut *effudit* rem significet *consulto* ab ipso Thrasea peractam, quod non fit, si minister aliquis venas aperiendi munere functus esse dicitur. Sed hoc gravissimum quod *venas porrigere* nihili est.

AD PLUTARCHUM.

Coriol. 18. Silentio plebs exspectabat quo modo se Coriolanus adversus tribunorum crimina esset defensurus: *ὡς δ' ἤρξατο πρὸς* [*τοὺς* recte Sint. delet] *ἀνθρώπους δεητικόν τινα λόγον προσδεχομένους οὐ μόνον ἐπαχθεῖ παρρησίᾳ χρῆσθαι καὶ πλείονι κατηγορίᾳ τῆς παρρησίας, ἀλλὰ καὶ τόνῳ φωνῆς καὶ διαθέσει προσώπου τὴν ἐγγὺς ὑπεροψίας καὶ ὀλιγωρίας ἀφοβίαν ἐπιδεικνύμενος, ὁ μὲν δῆμος ἐξετραχύνθη κτἑ.* Ferenda fortasse quae in verbis *χρῆσθαι* et *ἐπιδεικνύμενος* deprehenditur inconcinnitas, non ferendum *τῆς παρρησίας* post *τῇ παρρησίᾳ* non solum ingrate sed cum sententiae pernicie repetitum; pro *τῆς ἀπολογίας* librarius oscitans istud scripsit. J. J. H.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex Vol. XXXI pag.* 233).

XC.

DE LEGE COMMISSORIA.

Lex commissoria conventio est, in quam qui committit, aliquod suum committit, id est, perdit [1]), quo sensu *commissum* dicitur, quodcumque propter vectigal fraudatum fisco cedit [2]). Memoratur autem lex commissoria in emptionibus: „*si ad diem pecunia soluta non sit, ut fundus inemptus sit*", cuius conventionis ea vis est, ut, si non ei pareatur, emptori nihil debeatur, ipse perdat, *quod arrhae vel alio nomine d(ederit)* [3]). Displicuisse legimus commissoriam legem vel Severo vel Caracallae [4]); Neratium quoque iniquitate rei motum, ut emptorem fructibus saltem ditaret, siqui interim ab eo percepti essent [5]). At probavit legem commissoriam Papinianus [6]). Potest respexisse ad aliud genus legis commissoriae, quod usu venit in pignori-

1) At in c. 6 § 8 C. Th. 11. 24 *committere* dicitur, qui patitur ἐπιβολήν.

2) E. g. l. 14 D. 39. 4. — Transiit ea notio in ius feudorum, nam *in commissum cadere* dicuntur dominia, quae ex delicto vasalli ad dominum feudi redeunt (du Cange, in v. *committere*).

3) L. 4 § 1, l. 6 pr., l. 8 D. 18. 3. — Cf. l. 25 pr. D. 5. 3.

4) L. 38 pr. D. 4. 4.

5) L. 4 § 1 D. 18. 3; cf. l. 5 eod.

6) Vat. fr. § 11 (cf. § 4).

bus contrahendis eo fine, *ut pecunia fenoris* [1]) ad diem solvendo praestitutam *non soluta creditor iure empti dominium retineat*, non *iusto pretio tunc aestimand(u)m* [2]), sed tanti, quantum efficiant *sortis et usurarum quantitas* (Vat. fr. 9). Infirmavit hanc legem commissoriam Constantinus c. 3 C. 8. 34 (35), ubi utiliter adnotatur in Basilicis, esse legem commissoriam, *ἐὰν εἴπῃ ὁ δανειστής, ὅτι· εἰ μὴ καταβληθείη μοι τὸ χρέος ἐντὸς τοῦδε τοῦ χρόνου, δεσπότης ἔσομαι τοῦ ἐνεχύρου* [3]), sed supersunt vestigia pacti improbati l. 16 § 9 D. 20. 1 sub ea, quam indicavi, interpolatione [4]). In fiducia quoque contrahenda legi commissoriae erat locus [5]), non tamen eo sensu, quo putat Gradenwitz [6]), ut conveniat fiduciam restitutum iri, si ad diem solvatur: id enim per se fit, quia tam de fiducia quam de pignore verum est *quandoque lui po(sse)* [7]), sed ut conveniat [8]), post diem solvendo praestitutam obligatio fiduciae ut sit finita neve luitio competat [9]). Sic iure Graeco, ubi, quod superiore capite (LXXXIX) vidimus, *ὑποθήκη*, quae dicitur, a fiducia nihil differt, extrinsecus convenire potest *περὶ .... τῆς παγκτησίας* [10]), id est, ne post certum tempus supersit luendi potestas [11]). Loquimur autem de vetere Graecorum iure, recentior enim *ὑποθήκη* a Romanorum

1) Intelligitur sors cum usuris, sicut in Corp. Rain. I pap. XII.

2) Cf. Lenel, Paling. I p. 649[2].

3) Itaque fallit Mitteis, *Reichsrecht und Volksrecht* (1891) p. 441, ubi scribit legem commissoriam esse pignoris in solutum dationem („*Uebernahme des Pfandes an Zahlungsstatt*").

4) Non tantum cum creditore sed etiam cum fideiussore (l. 81 pr. D. 18. 1) talis conventio iniri poterat atque superest eius exemplum papyraceum (Oxyrrh. 270). Cf. praeterea c. 2 C. 8. 34 (35).

5) Cf. interim Lenel, Paling. II p. 619[4]; Herzen, *Orig. de l'hyp.* p. 65[1], Pernice, Lab. III 1 p. 138[1].

6) *Grünhut's Ztschr.* XVIII p. 351—353.

7) Paul. II 13 § 4. — Idem sine teste dicit Dernburg, *Pfandr.* I p. 19[2]. Cf. Francken, *das franz. Pfdr. im MA* (1879) p. 166[3].

8) Pactum vulgare esse dicit Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 263[3], probat autem (*Pfandrecht* I p. 19 not. 35) ex iure Graeco et eo ne intellecto quidem.

9) Pernice, Lab. III 1 p. 138[1]; Warnkönig, *Archiv für die civ. Praxis* XXIV (1841) p. 347, 349.

10) *Inscript. jurid. grecq.* V § 19. Operae pretium fuerit contulisse statuta Goslariensia (ed. Goeschen, 1840) p. 24 lin. 23: *wanne dat al overgan is* = *μετὰ τὴν παγκτησίαν*.

11) Demosth. XXXVII § 5: ..... *τιθέμεθα συνθήκας, ἐν αἷς* ..... *ἦν γεγραμμένη* ..... *λύσις τούτῳ παρ' ἡμῶν ἔν τινι ῥητῷ χρόνῳ.*

hypotheca nihil differt, quod demonstravimus ipsa legis commissoriae formula, quam habeat quum Halicarnasense monumentum [1]) anni circiter ante Chr. 200, quo constituit *ὑποθήκην* Posidonius posteris suis *εἰς θυσίαν*, ut quotannis eo nomine quaterni stateres solvantur a possidente, possideat [2]) autem natu maximus: *ἂν δὲ μὴ ἀποδιδῶι* [3]) .... *εἶναι τὰ ὑποκείμενα κοινά*, tum Delphicum decretum (Michel no. 263) anni circiter 150: (B lin. 21-23) *εἰ δέ κα μὴ ἀποδιδῶντι καθὼς γέγραπται, τὰ ἐνέχυρα αὐτῶν τᾶς πόλιος ἔστω*. Monumento illi Halicarnasensi simile est Theraeum [4]), quo constituit *ὑποθήκην* Epicteta *ἐπὶ τοῖς ὑπάρχουσι (οἱ) αὐτοκτήτοις χωρίοις τοῖς ἐμ Μελαιναῖς*, ut quotannis familiae solvantur a herede vel heredis heredibus drachmae 210: *εἰ δέ κα μὴ ἀποδῷ Ἐπιτέλεια εἶ οἱ κλαρονόμοι αὐτᾶς .... ἔστω ἁ καρπεία τῶν προδεδηλωμένων χωρίων .... τοῦ κοινοῦ τοῦ ἀνδρείου τῶν συγγενῶν ποτὶ* [5]) *τὰς διακοσίας (δέκα) δραχμάς* (*Inscr.* cit. § 7), ubi *καρπεία* non est, quod putat Dareste [6]), antichretica possessio, sed perpetua, sicut in illo Halicarnasensi lapide usurpatur verbum *καρπεύειν*. Quodsi illic *καρπεία* est possessio perpetua [7]), quae heredi relinquatur sub hypothecae condicione, debet profecto hic eadem intelligi, quae ad creditorem vi legis commissoriae transferatur. Quam ideo *καρπείαν*, quo vocabulo solet ususfructus significari [8]), appellavit quum Posidonius, tum Epicteta, quia plenam proprietatem esse nolebant alienatione etiam concessa. Similiter in papyris, quando fit obvia lex commissoria, hac ipsa lege, non, sicut olim fiebat, propter solam pignoris dationem, dominium creditori quaeri existimandum est. Fit autem obvia lex commissoria de rebus soli [9]) in pap. Florent. 1 (*Atene e Roma* 1901 p. 78/9) et pap. Rain. 1444

1) *Inscr. jurid. grecq.* XXV D (= Michel no. 854).

2) *Καρπευέτω*. 3) *Semel*, ni fallor.

4) *Inscr. jurid. grecq.* XXIV A (= Michel no. 1001).

5) Vertere non debuerat Dareste: „*jusqu'à concurrence de*", sed „*à raison des*". Cf. Pap. Genev. 21 lin. 6—8.

6) *Inscriptions* etc. p. 109. Habet quidem *καρπείαν* = antichresin Pap. Berol. 101, 24 (cf. Gradenwitz, *Einführung* etc. I p. 63).

7) *Καρπευέτω ..... ὁ πρεσβύτατος ὢν ἀεί* (XXV D § 3).

8) Corp. Rain. I pap. 24 lin. 17, 35; pap. Oxyrrh. 265 lin. 12, pap. Amherst 71 lin. 13.

9) De rebus mobilibus: Corp. Rain. I pap. 12.

(*Anzeiger* (*Wien*) 1901 XV (*SA*) p. 5/6). Illic enim creditori permittitur, quum sit cessatum, *μὴ προσδεομέν(ῳ) ἀνανεώσεως ἢ διαστολικοῦ* [1]) *ἢ ἑτέρου τινὸς ἁπλῶς, ... ἐπικαταβολὴν* [2]) *ποιῆσαι τοῦ ὑποτεθειμένου*, id est, ni fallor, obligatum praedium sibi addicere proprietatis iure [3]). Altero papyro similiter creditori potestas datur, *τῆς Θαήσιος μὴ ἀποδιδούσης .... ἐμβαδεύσαντι κρατεῖν καὶ κυριεύειν καὶ δεσπόζειν καὶ ἐξουσίαν ἔχειν πᾶσαν οἰκονομίαν* [4]) *κατ' αὐτῶν* [5]) *ἐπιτελεῖν ἀνεμποδίστως, οὐ προσδεομέν(ῳ) τῆς Θαήσιος παρουσίας*. Deest hic clausula *μὴ προσδεομέν(ῳ) ἀνανεώσεως ἢ διαστολικοῦ*. Quam ob rem docet Wessely [6]) iam documentis comprobari *cresc(entem)* illam, cuius meminit Constantinus [7]), commissoriae legis *asperita(tem)*, siquidem olim remittenda fuerit *ἡ ἀνανέωσις*, tunc autem ipso iure remissa visa sit. Sed in eo videtur errare, quod scribit [8]), post *τὴν ἐπικαταβολήν* aliquid creditori agendum fuisse, ut dominus existeret, idque demonstrari pap. Oxyrrh. 274 (lin. 22-25), ubi solvit creditor anno 93 *τέλος ἀνανεώσεως*, idem anno 94 *τέλος ἐπικαταβολῆς* [9]), idem denique anno 97 *ἐπ(ιφέρει) (ἐμβαδεύσε)ως* [10]) *ἄδειαν*, quasi post *ἀνανέωσιν*, quae remissa non sit, et *ἐπικαταβολήν* hoc supersit. Atqui non propterea efficitur *τὴν ἐπικαταβολήν* per se non esse firmam, quod cogi potest *ὁ ἐπικαταβαλόμενος* de iure suo docere, id est instrumenta sua *ἐπιφέρειν*. Ergo *ἐμβαδεύσεως ἄδειαν* intelligo ipsum instrumentum, quo creditori permissum fuerit *ἐπικαταβολὴν ποιῆσαι ..... καὶ κτᾶσθαι .... καὶ ἐμβαδεύειν* [11]) .... *καὶ εἰσοικίζειν καὶ*

1) Haec recte explicat Wessely, *Anzeiger* etc. p. 4 (aliter Mitteis *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902) p. 302—304).

2) „*Aufzahlung*" vertit Wessely, l.l. p. 3, non recte.

3) Ita interpretabar in albo gratulatorio Herwerdeno oblato (1902) p. 156. Nondum prodierat *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902), ubi in eandem sententiam disputat Mitteis (p. 301).

4) Οἰκονομία in papyris omnem alienationem obligationemve comprehendit.

5) I. e. *κατὰ τῶν ὑποτεθειμένων κτημάτων*. Eodem modo usurpatur praepositio *κατὰ* in pap. Taur. 1 col. V lin. 23; 12 lin. 7/8; Specim. Wesselyi (1900) 6 lin. 8; 8 lin. 23; pap. Oxyrrh. 274 lin. 25; pap. Fay. 32 lin. 14; pap. Genev. 27 lin. 14; Pap. Rain. 1444 lin. 33 (*Anzeiger* etc. p. 6); pap. Berol. (BGU) 1002, 14; alibi.

6) L.l. (*Anzeiger* etc.) p. 5.

7) c. 3 C. 8. 34 (35).

8) L.l. p. 4/5.

9) Hoc restituit Wessely pro *ἐπικατακολ(ουθοῦν)*.

10) (Ἐμβαδεύσε)ως supplevit Wessely.

11) Emtoris iure.

ἐνοικ(ι)ολογεῖν καὶ διαμισθοῦν καὶ ἀποφέρεσθαι τὰ ἐξ αὐτοῦ (τοῦ ὑποτεθειμένου). Quia autem recentior Graecorum *ὑποθήκη* a Romana hypotheca non differt, ideo magis ad Romanorum fiduciam, quam ad Graecam *ὑποθήκην* [1]) referendum est responsum Scaevolae, quod est hodie l. 101 pr. D. 32: *qui habebat in provincia, ex qua oriundus erat, propria praedia et alia* pignori [2]) *sibi data ob debita, codicillis ita scripsit: τῇ ..... πατρίδι ..... ἀφορίζω ..... χωρία πάντα, ὅσα ἐν Συρίᾳ κέκτημαι ..... Quaesitum est, an etiam praedia quae* pignori [3]) *habuit testator patriae suae reliquisse videatur. Respondit: ..... non videri relicta, si modo in proprium patrimonium, quod fere cessante debitore fit* [4]), *non sint redacta.* Apparet, ex mente Scaevolae fiduciae data creditoris quidem esse ex iure Quiritium, non tamen *propria*, id est in bonis, antequam supervenerit lex commissoria [5]). Itaque committuntur fiduciae vel hypothecae, quum legem commissoriam creditor exerceat, nisi alio modo committi dicuntur [6]), id est, quum praedium *κατοκώχιμον γένηται* [7]), quod fit iure Graeco *κατὰ τὴν ὑπερημερίαν* [8]), nisi convenerit, ut statim liceat *ἔχειν καὶ κρατεῖν τὸν θέμενον* [9]). Ergo, quum praedium, sicuti diximus *κατοκώχιμον γένηται*, debet possessione cedere debitor, quod

---

1) Ad Graecorum hypothecam, putabat Mitteis, *Reichsrecht und Volksrecht* p. 441[3].

2) Reponendum esse *mancipio*, satis evincitur adiecto *ob debita*, neque trepidandum est propterea, quod praedia sint provincialia. Obtinuit enim mancipatio etiam in praediis provincialibus, sicuti demonstratur instrumento Andueiae Batonis (cf. Karlowa, *Rechtsgesch.* I (1885) p. 797 lin. 1-8) adversus iuris (Gai. II § 31 (i. f.), cf. tamen § 63) et constitutionum (Vat. fr. 316; c. 8 C. 4. 49; c. 13 C. 8. 27 (28) cf. praeterea Vat. 285; 289) auctoritatem.

3) Rep. *fiduciae.*

4) Vi legis commissoriae.

5) Cancellat quidem Pernice, Lab. III 1 p. 145[2] *si modo — redacta.*

6) Cic. pro Flacco 21 § 51 ia. ad Fam. XIII 56 § 2 (Hitzig, *das griech. Pfdr.* p. 84 not. 2).

7) Isae. II § 28.

8) Demosth. XXI § 81; XXX § 27; XXXIII § 6.

9) *Inscript. jur. grecq.* VIII 62, 63 (plane aberrat Mitteis, *Reichsrecht und Volksrecht* p. 441 not. 2). Iure quoque Romano pignus persequi permittitur, postquam *debiti condicio venerit* (l. 13 § 5 D. 20. 1) vel dies (cf. l. 5 § 1 D. 20. 6), nec reus interpellatus solvat (c. 10 C. 8, 13 s. 14); quamquam alibi legitur: *si nondum dies pensionis ven(er)it, tamen pignora persequi permittendum es(se)* (l. 14 pr. D. 20. 1). Plura de hoc iure dedimus cap. harum observ. LXIX (i. f.).

dicitur *ἀφίστασθαι* [1]) sive *παρέχειν* [2]), nec tollit luendi facultatem [3]). Quo pertinet Alexandri c. 1 C. 8. 34 (35), quae demonstrat, non eum utique contraxisse videri legem commissoriam, *qui pactus est, nisi intra certum tempus pecuniam, quam mutuam accepit, solveret, cessurum* [4]) *creditoribus*, id est *ἀποστήσεσθαι*. Itaque multum interest, utrum commissa sit pignoris sive fiduciae possessio, an luendi facultas. Haec autem, ubi cessat lex commissoria, tunc demum tolletur, quum creditor ex pactione sive pignus sive fiduciam vendiderit [5]); quod iure Graeco fit similiter, idque demonstratur oratione contra Apaturium [6]), ubi dicitur *τὴν ναῦν (π)επρακ(έναι)*, qui venditionem eius navis per creditorem passus esset [7]). Neque opus est ad vitas sophistarum provocare [8]), ut demonstretur etiam iure Graeco creditores fiducias acceptas ex pactione vendere potuisse; sufficit, quam laudavi, oratio, ubi, qui navem cum remigibus fiduciae acceperat, actor docet èt navem se possedisse èt remiges, *ἵν' εἴ τις ἔκδεια γένοιτο* [9]) *τὰ ἐλλείποντα ἐκ τῶν παίδων εἴη* (§ 10). Vendidit autem navem, remiges dimisit, quia navis pretio debitum compensatum est nec ulla *ἔκδεια* fuit (§ 12 *μόλις εἰσέπραξα τὸ ἀργύριον πραθείσης τῆς νεὼς* [10]) *τετταράκοντα μνῶν, ὅσουπερ ἡ θέσις ἦν*). Unde apparet tam iure Graeco quam Romano [11]) superfluum, quod ex fiducia redigeretur, debitori reddendum fuisse, alioquin iste pignerator

---

1) Isae. II § 28; Demosth. XXXVII § 10. Cf. Pap. Berol. (*BGU*) 832, 29.

2) Demosth. XXXV § 24 § 37. Plenius habet syngraphe (ibid. § 11): *παρέχειν κρατεῖν*.

3) Demosth. XXXVII § 12-16. — Videmus sane apud eund. orat. XLVII ex causa iudicati pignora post luitionem retineri (§ 64: *λαβὼν τοίνυν παρ' ἐμοῦ ..... τὸ σύμπαν κεφάλαιον, ἀπαιτοῦντος ἐμοῦ τά τε πρόβατα καὶ τὰ ἀνδράποδα ..... οὐκ ἔφη ἀποδώσειν μοι .....* (§ 77) *ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ἔχει*).

4) *Pignoribus* addit c. 1 C. 8. 13 (14).

5) Paul. II 13 § 4.

6) Demosth. XXXIII § 25. Ergo XLVII § 54: *τὰ μὲν ἐνέχυρα κεῖται ..... τὰ δὲ πέπραται*, potest intelligi de pignoris ex pacto venditione.

7) Eodem modo c. 3 C. Th. 10. 17 (= c. 16 C. 4. 44) *distrahere* dicitur, qui *publica(m)* patitur *subhastatione(m)*.

8) Cf. *Inscr. jurid. grecq.* (I) p. 140².

9) I. e. si navis pretium sufficiens non fuisset (cf. Demosth. XXXII § 30).

10) Itaque *πραθείσης τῆς νεὼς* (§ 12) (*ὑπὸ τῶν δανειστῶν*) — *τὴν ναῦν ἐπεπράκε* (§ 25) (*ὁ χρεώστης*).

11) Paul. II 13 § 1. — De iure Graeco temere negat Costa, *Storia del diritto romano* II (1903) p. 164 not. 34.

remiges non liberasset. Commemoratur praeterea fiduciae venditio apud Lysiam XVII § 7 et ibi quoque demonstratur superfluum reddendum esse his verbis: *εἰ πλείονος ἀξία ἐστιν ἢ τοσούτου, ἀποκηρυχθέντων τὸ περριτὸν ἡ πόλις* [1]) *λήψεται*. Dubitavit quidem de ea re Hitzig [2]), utiturque pro contraria sententia Onetoris apud Demosthenem [3]) sermone, sibi docentis praedium de quo agatur pro talento obligatum esse, sed nihilomagis se quidem *ἀποστερεῖ(ν)* Demosthenem, *ὅσῳ πλείονος ἄξιόν ἐστι ταλάντου*, scilicet, quod teneatur ad superfluum reddendum [4]). Itaque hic testis evocatorem sui laesit [5]). Licet autem de superfluo teneatur, non propterea sequitur creditorem, ut vendat fiduciam, cogi posse, nam ne Romano quidem iure ad id cogi solet [6]). Pactionis de vendendo exemplum superest in syngraphe Lacritea [7]): *ἐὰν δὲ μὴ ἀποδῶσιν, ... τὰ ὑποκείμενα τοῖς δανείσασιν ἐξέστω ὑποθεῖναι καὶ* [8]) *ἀποδόσθαι τῆς ὑπαρχούσης τιμῆς* [9]), ergo permittitur creditoribus aut vendere vero pretio [10]) aut rursus obligare [11]). Quod fieri videmus Amorgi (Michel no. 1385), quum vendat Niceratus èt alia praedia, èt, *ἃ ἔχει θέμενος ..... παρὰ Ἐξακέστου, ἅπαντα* [12]) uno pretio *ἐπὶ λύσει* [13]). Datur etiam alienandi potestas decreto Delphico, quod saepe laudavimus (Michel no. 263) B lin. 23/4: (*εἰ δέ κα μὴ ἀποδιδῶντι*), ... *οἱ ἐπιμεληταὶ* ..... *κύριοι ἔστωσαν πωλέοντες*, ex abundanti quidem, quia ibi praecedit lex commissoria. Exstat praeterea venditionis ex pacto exemplum in papyro, anni ante Chr. 114, Paris. 5 (= Leid. M),

1) Propter bonorum debitoris publicationem.
2) *Das griech. Pfandr.* (1895) p. 85.
3) XXXI § 6.
4) Sane, quod punxit Demosthenem, utebatur hoc sermone Onetor *αὐτὸς τιμήσας οὐκ ἄξιον εἶναι πλείονος*.
5) Iam notavit errorem Ferdinandi Hitzig criticus in *Liter. Centralbl.* 1895 p. 757/8.
6) L. 6 pr. D. 13. 7 (Paling. Pomp. 797).
7) Demosth. XXXV § 12.
8) I. e. *ἤ*.
9) Cf. Aristeas § 37 *δέκα μυριάδας αἰχμαλώτων ἠλευθερώκαμεν ἀποδόντες τοῖς κρατοῦσι τὴν κατ' ἀξίαν ἀργυρικὴν τιμήν*.
10) *Τῆς ὑπαρχούσης τιμῆς* ad solum verbum *ἀποδόσθαι* pertinere manifestum est.
11) Cf. Kohler, *Pfandrechtl. Forschungen* (1882) § 1.
12) Michel: *ἀπάντων*.
13) Hoc omisit Hitzig, *das griech. Pfdr.* p. 85. 3 lin. 4. Proinde caduca fit quae ibi sequitur ratiocinatio.

quem illustravimus in alteris Observatiunculis (*Archiv f. Papyrusf.*) § 24. — Singulare genus est legis commissoriae in formulis Catonianis [1]), nam ibi non ex eo pignus committitur, quod pecunia ad diem soluta non sit, sed quod invito domino conductor res illatas deportaverit (*si quid deportaverit, domini esto*). Sed, quia satis dictum est de legibus pignorum commissoriis, age videamus de ceteris. Est igitur vulgaris conventio commissoria in perpetuis fundorum locationibus [2]), sive ita conveniat, *ut si p(er) certum tempus vectigal solutum non (sit), is fundus ad dominum redeat* (l. 31 pr. D. 20. 1), sive ita, *ut quamdiu* [id] *vectigal praestetur, neque ipsi conductori, neque heredi eius praedium auferatur* (Gai. III § 145), cui solet addi, ut perdat conductor *τὰ ἐν τᾷ γᾷ πεφυτευμένα καὶ οἰκοδομημένα πάντα*, ut est in Tabula Heracleensi [3]), sive *emponemata*, ut est apud Iustinianum [4]). Unde apparet, quam falso existimet Pothier [5]), citra commissum quoque meliorationes domino cedere, veluti quum propterea emphyteusis solvatur, quod conductio facta non in perpetuum sed in longum tempus et finita sit [6]). Cuius rei hanc reddit rationem, quod emphyteuses contrahantur spe meliorationum („*qu'il est de la nature des baux emphytéotiques qu'ils soient faits dans la vue que l'emphytéote fera des améliorations à l'héritage*"), proinde debeantur eae fundi domino. Quod fortasse verum est de emphyteusibus medii aevi, quum secundum Anselmini [7]) definitionem a personis, quae nollent transferre dominium, venire solerent praedia

---

1) De re rust. cap. 146 (147). — In lege saltus, quae defossa est in pago Henchir-Mettich itidem domini esse iubentur, quos quis alveos transtulerit quo non oportuerit. Sed non legitur eos alveos pignori fuisse obligatos (cf. Herzen, *Origine de l'hypoth.* (1899) p. 194).

2) Ea quoque apud nos utique iam displicere coepit. Cf. Moltzer, *Landbouw en kapitaalbelegging* (1892) p. 122—125, et ex diversa parte Eyssell, Themidis nostrae vol. 54 (1893) p. 75-93.

3) *Inscr. jurid. gr.* XII (I) lin. 112.

4) c. 2 § 1 C. 4. 66. Cf. Pap. Lond. 483 lin. 75 (vv. *μετὰ καὶ τῆς πάσης αὐτῶν φιλοκαλείας*).

5) *Introd. générale aux coutumes* no. 47.

6) Idem Bernhardo Windscheid placet (1891) § 220[1] nova ratione, quod meliorationibus emphyteuta fruatur. Itane post conductionem finitam?

7) Super contractibus emphyteosis etc. (ed. Jacobi 1854).

pro certa pensione ..... et causa meliorationis [1]). Quamobrem constans est clausula in chartis Ravennatibus [2]), ut quum durante emphyteusi *in omnibus meliorare ..... debeatis ..... nihilque ..... de omni expensa ..... in ..... pensione ..... reputari* [3]), tum post emphyteusin finitam *loca cum omnia, quae inibi a vobis aucta facta meliorataque fuerint, ad ius dominiumque sanctae Ravennatis, cuius est proprietas, revertatur ecclesiae* [4]). Quod autem ad ius Romanum et ipsum Iustinianum attinet, placet sententia Ioannis Voet [5]), haec *emphyteusi finita* conductori salva esse, nisi ab initio aliter convenerit; aliter convenisse videri, si lege contractus impositae sint meliorationes [6]). Errat quidem hic auctor, ubi scribit nullo casu meliorationes committi neque id usquam scriptum inveniri: adimit enim Iustinianus conductori, qui iure expellatur, etiam *adlegation(em) nomine meliorationis* [7]). Idque ipsum argumento est, citra commissi causam meliorationes ad conductorem pertinere, nemo enim, quod suum non est, potest committere, ei praesertim, cuius id est. Solet autem in vectigalium agrorum conductione lex commissoria convenire, sive conductor solitam pensionem sive tributorum apochas non praestiterit [8]), et supplet, quod pacto desit, post triennium [9]), aut, si ager est ecclesiae, post biennium [10]) Iustiniani constitutio. Ut illic lege ita apud Gallos ante nonum saeculum tacita consuetudine et iure non scripto constitisse videtur, committendum

1) Op. cit. p. 14. — Cf. Fantuzzi I no. 126 (anni 1115), no. 134 (anni 1165): *contractus causa meliorationis greco vocabulo henfiteosis solet vocari* (Jacobi, apud Anselminum, p. 28 not. 2). Add. Chron. Farf. (Muratori, Script. II 2) p. 413: *antiqui auctores idcirco contractus largitionis sive concessionis* (cf. Anselminus, op. cit. p. 20, Jacobi, apud eundem, p. 90, 91) *rerum ecclesiasticarum emphyteusin appellare voluerunt, quoniam meliorationem per id et auctionem illarum significare docuerunt.* Confundit quidem hic auctor (in iis quae subiungit) emphyteusin et coloniam partiariam, quod videre est apud Caietanum Marini (Pap. diplom. pag. 365), qui totum locum fideliter exscripsit.

2) Marini in praef. ad pap. CXXXII: *„sono tutte .... colle stessissime formole."*

3) Pap. Marini CXXXII (= Spangenb. LXI) lin. 4.

4) Pap. cit. lin. 6. Cf. form. Andec. 7.

5) Comment. VI 3 § 52.

6) Cf. l. 55 § 1, l. 61 pr. D. 19. 2; l. 34 § 1 D. 7. 1.

7) c. 2 § 1 C. 4. 66, quam non ignoravit Voet, sed parere ei noluit.

8) c. 2 pr. C. 4. 66.

9) c. 2 § 1 C. 4. 66.

10) Nov. 7 c. 3 § 2; Nov. 120 c. 8.

esse agrum vectigali non soluto, eoque pertinere *legale et antiquum dictum* [1]), quod laudatur (anno 845) a synodo Meldensi [2]) cap. 62: „*qui negligit censum* [3]), *perdat agrum*," idem obversabatur scriptori formulae unius e Turonensibus [4]), quum dictabat clausulam [5]): *et si de ipso censo neglegens apparueris, fidem exinde facias, et ipsas res perdere non debeas* [6]). Iubet autem Iustinianus [7]), quum res sit ecclesiae, committi agrum expellique conductorem sive per biennium pensionem solvere distulerit, sive *χεῖρον ποιήσει τὸ πρᾶγμα* (= *κτῆμα*). At in chartis Ravennatibus, quae similiter habent propter pensionem per biennium non solutam legem commissoriam [8]), pinguius caveri solet, ut emphyteusis committatur, *si in aliqua tarditate aut neglecto aut controversia inventi fueritis extra agere de superius a (v)obis pollicitis condicionibus* [9]). Quae potest locum habere clausula, si conductor non melioravit, exemplo Thisbensis decreti [10]), quod de emphyteusibus ad nos pervenit, nam illic [11]) ita est: *εἰ δέ τις λαβὼν ἐντὸς τῆς* [12]) *πενταετίας μὴ φυτεύσαι, τό τε χωρίον μεταπωλήσουσιν οἱ καταλαμβάνοντες στρατηγοὶ κτέ.* Est ibi [13]) alia quoque committendi species: (*εἴ*) *τις ..... ξένῳ ὑποθείη τι τῶν χωρίων.* — Eadem scilicet committendi con-

---

1) Respici Iulianum (cap. aut 34 aut 412) non puto. Exstat *dictum* etiam in Caroli Magni charta (anni 802) sed retractata (Huebner, *Gerichtsurkunden* no. 163).

2) Eius canones eduntur inter capitularia no. 293 (II p. 413). Inde laudat Loysel (*éd.* 1846) no. 551.

3) *Census* pro *vectigali* primum apparet apud Hyginum (Gromat. p. 110, 22 ia. p. 202, 4). Hoc postea frequens fuit.

4) Additam. 3. Constituitur ibi *benefici(um) usufructuario ordine.*

5) In fine formulae.

6) Similem habent clausulam tres chartae decimi saeculi (Thévenin 138, 140, 142): *si de eodem censu negligentes aut tardi reperti fuerint, liceat emendare eis et quod tenuerint non perdant.* Add. Loersch *und* Schroeder 33 (27), quae est octavi saeculi.

7) Nov. 120 c. 8.

8) Savigny, *Gesch. des röm. Rechts* II § 73 not. *a.* Restituit id Marini etiam Pap. CXXXII lin. 6. Cf. P. Lond. 483 lin. 72 (*ἐπὶ δύο ἢ τριῶν ἐτῶν*).

9) Pap. Marini CXXXII lin. 5; CXXXIII (= Spangenb. LXII) lin. 4.

10) C. I. G. Graeciae Septentr. I no. 2226 + 2227 (pag. 382/3, 747/8). Laudatur a Ludovico Mitteis, *z. Gesch. der Erbpacht* (1901) p. 11 not. 1.

11) E + B lin. 10 sqq. (lin. 13 legendum est *φυτεύσειεν*, non: *φυτεύσει ἐν*).

12) = *τῆς πρώτης*.

13) D lin. 2 sqq. (Mitteis, *z. Gesch. d. Erbp.* (1901) p. 11).

dicione, qua emphyteuticarii, etiam possidentur [1]) *fundi patrimoniales* [2]) et *rei privatae* [3]), non, quantum scimus quidem, tributarii; licet enim Frontinus [4]) *praestandi tributi condicione* possideri doceat stipendiaria praedia, attamen temerarium est, quod temptat Matthias [5]), his tribus verbis efficere velle: non praestito tributo rem fisco committi, quum praesertim ante Constantinum Magnum sint exempla praediorum *iure pignoris* [6]) ob tributorum reliqua venditorum [7]), commissi nullum. Itaque dudum mihi persuasit Dernburg [8]): Papirii Iusti l. 7 D. 39. 4 non ad tributarios fundos pertinere, sed ad patrimoniales emphyteuticariasque principis possessiones. Post Constantinum Magnum non negaverim in re tributaria quasi legi commissoriae locum fuisse. Imitatur enim legem commissoriam, quum permittit, contumacis in bona ut eant *cives eius* — ii ni fallor *quibus periculum exactionis immine(a)t* [9]) — eant autem *solutionis obsequio cum substantiae proprietate suscepto* [10]). Quam legem conservat Iustinianus [11]), sed pro civibus vocat *exactor(em)*. Recepit praeterea Leonis constitutionem [12]): *si divina domus aut quilibet cuiuscumque dignitatis ..... fundos extra metrocomias* [13]) *non patrocinii gratia* [14]), *sed*

1) Patrimoniales quidem fundi a *colonis vel emphyteuticariis* (c. 5 C. 11. 62 s. 61). Quamquam initio horum praediorum ius non minus distinctum fuisse ab emphyteusi credimus, quam fuisse rei privatae ante scilicet c. 7 C. 11. 62 (61) probavit Mitteis, *z. Gesch. der Erbp.* (1901) p. 40-57. Sed in patrimonialibus diversum putat (ibid. p. 41 not. 2).

2) c. 2 C. 11. 62 (61). Ad aliud *commissi* genus pertinere c. 4 eod., quae torserat Cuiacium, primus docuit Wenck (not. *k*) ad c. 15 C. Th. 5. 13. Quem sequitur Mitteis, *z Gesch. der Erbp.* (1901) p. 47/8.

3) c. 2 § 2 C. 11. 66 (65) = c. 4 (suppl.) C. Th. 5. 14.

4) Gromat. p. 36 lin. 7.

5) *Die röm. Grundsteuer* (1882) p. 31-43. Itaque concludit: „*der unsrer Construction adäquate Ausdruck .... ist von Frontin gebraucht*: possidere quasi — praestandi tributi condicione." Praecaverat Rudorff, *Feldmesser* II p. 317.

6) L. 5 § 2 D. 50. 15.

7) L. 52 pr. D. 19. 1; c. 2 C. 4. 46; c. 1 C. 7. 39. Propter l. 36 D. 49. 14 cf. infra.

8) *Pfandrecht* I p. 349¹.

9) Cf. c. 2 C. 4. 46.

10) c. 3 C. Th. 11. 7.

11) c. 2 § 2 C. 10. 19.

12) c. 8 C. 10. 19.

13) Quia intra metrocomias *nulli extraneo ..... possidendi licentia tribu(i)tur* (c. 1 C. 11. 56 s. 55).

14) Quia patrocinii gratia quidquid gestum est *sub praetextu donationis vel venditionis seu conductionis aut cuiuslibet alterius contractus, nullam hab(e)t firmitatem* (c. 1 C. 11. 54 s. 53).

emptionis iure vel quolibet alio titulo legitimo possederit (nec) impositas rei publicae functiones agnoverit, tunc ut *possessiones eorum* [1]) *publico vindicentur*, non venum iturae, sed *curiae eiu(s) civitatis, sub qua vici* [2]) *siti sunt adsign(andae)*. Non tamen propterea in desuetudinem abisse ipsam in causa tributorum venditionem, Theodosiani aevi demonstratur constitutionibus [3]). In aliis quidem oneribus sola, quod sciam, placuit commissoria, veluti *qui praedia obnoxia corpori* cuicumque, *qu(od) ad privilegia urbis Romae pertinere nosc(a)tur*, cuiusmodi est suariorum, *vel ex empto vel ex donato vel ex quolibet titulo tenent*, praescribitur *pro rata* [4]) *publicum munus agnoscant, aut possessionibus cedant* [5]) *ad* pristina scilicet *iura revoca(ndis)* [6]). Similiter statutum est in rebus naviculariorum, ut *naviculario corpori* [7]) *reddantur, si bona* [8]) *rite retinentes subire eorum onera nolint, quorum possessione fruuntur* [9]). Ergo iubetur emptor altera de praediis naviculariorum constitutione [10]), si nolit navicularium onus agnoscere, cum fructibus praedium restituere, *ev(i)ctionis* [11]) *ac melioratae rei ..... inspectione habita*, quod abhorret a privata lege commissoria, nam illic emptor post rem inemptam factam èt quod ipse dederit perdit èt fructus lucratur perceptos [12]). —

---

1) Intelligi non omnes res reliquatorum sed solos fundos, quos *titulo legitimo possederint*, efficere videtur inprimis *divina*(*e*) *domus* commemoratio.

2) Cf. P. Florent. 1 lin. 4 (22): *ἐφ' ὑποθήκῃ τῷ ὑπάρχοντι τῇ δεδανεισμένῃ λοιπῷ βείκῳ ἑνὶ τετάρτῳ ἀπὸ ἐλαιουργίου ἀργοῦ καὶ καμάρας καὶ αὐλῆς.*

3) c. 1 C. Th. 10. 17 (= c. 5 C. 10. 3); c. 4 C. Th. 11. 7 (= c. 1 C. 10. 21); c. 1 C. Th. 11. 9; c. 2 eod. (= c. 3 C. 4. 46).

4) Eadem vox est in c. 4 C. Th. 13. 6; cf. c. 27 C. Th. 13. 5 (*secundum possessionis modum*); c. 7, c. 8 C. Th. 13. 6.

5) c. 8 § 2, § 3 C Th. 14. 4.

6) c. 5 C. Th. 14. 4.

7) Non *corpori*, sed pristinis *dominis* vindicatio datur c. 6 C. Th. 13. 6; sed videtur ipsum corpus agere potuisse, ut res redderentur dominis, quemadmodum novis Germanorum legibus (*B. G.-B.* § 869) possessor civilis interdicere potest, ut naturali reddatur.

8) In c. 6 C. Th. 13. 6 memorantur *fundi*. Sed cf. 2 C. Th. 13. 5 de *pistorum* iure.

9) c. 4 C. Th. 13. 6.

10) c. 6 C. Th. 13. 6.

11) In libris est *evectionis*, quod correxit Gothofredus (qui Haenelio non persuasit). Intelligitur autem pretium, quod pro re datum est (Matthiass, *die röm. Grundsteuer* (1882) p. 54).

12) Adnotat Matthias, l.l. (ad c. 6 cit.): „*durch diese Bestimmung gewinnt die Vindikation der* corpora *den Charakter eines dinglichen Näherrechts.*"

Quod supra diximus: in causa tributorum res venire pignoris iure, ei addendum est: tam ipsum praedium, quod sit tributarium, distrahi posse [1]), quam ceteras res [2]) reliquatoris vel generalis hypothecae ratione [3]) vel certe ex quo captae sint [4]). Itaque, si aliae res venibunt, incipit emptor plenum habere dominium; sin ipsum praedium, credunt quidam superesse pignus ex causa reliquationis, idque ipsum posse se credunt efficere Papiniani testimonio (l. 36 D. 49. 14): *praediis a fisco distractis praeteriti temporis* [tributum eorundem praediorum] *onus emptorem spectare placuit.* Sed iam diu est, ex quo demonstravit Gothofredus (ad c. 1 C. Th. 10. 16) tunc locum habere hoc Papiniani responsum, quum alia de causa praedia a fisco distrahantur, non *pro ipsis reliquis tributorum solvendis* [5]). Nam aliter statuentibus *pretium*, quod ex hac causa *solv(itur)* (l. 52 pr. D. 19. 1) totum reddendum erit debitori [6]), et habebit is praesentem pecuniam, fiscus autem, quod habebat, *nom(en)* (l. 5 pr. D. 50. 15), quod parum est probabile. Esse nonnumquam ab emptore reliqua exacta, demonstrant constitutiones Valentis: ubi pignora sub hasta fiscus vendat, ibi non tantum ea reliqua abolenda esse, quorum nomine venditio fiat [7]) sed omnia [8]), *ut* excepto pretio, de quo dando convenerit, *nullius* [9]) *conventioni* comparator *extrinsecus subiace(at)* [10]), ideo quia audierat princeps propter hunc metum *nonnullos fiscalem refug(ere) functionem* [11]). Etiam, ubi lex commissoria exercetur nec invito ἐπιβάλλεται reliqua sine dubio extinguuntur [12]), alioquin tanto minoris res

1) L. 5 § 2 D. 50. 15; l. 52 pr. D. 19. 1; c. 2 C. 4. 46; c. 1 pr. C. 7. 39.

2) c. 1 C. 4. 46 (cf. quoque c. 8 C. 6. 2); c. 1 C. Th. 10. 17 (= c. 5 C. 10. 3); c. 4 C. Th. 11. 7 (= c. 1 C. 10. 21); c. 1 C. Th. 11. 9; c. 2 eod. (= c. 3 C. 4. 46).

3) c. 1 C. 4. 46; c. 1 C. 8. 14 (15).

4) c. 1 C. Th. 11. 9; c. 2 eod. (= c. 3 C. 4. 46); c. 7 C. Th. 11. 7 (= c. 2 C. 10. 21).

5) Cf. praeterea Matthiass, *die röm. Grundsteuer* (1882) p. 46[4].

6) Cf. c. 3 C. Th. 10. 17.

7) c. 1 C. Th. 10. 16.

8) Potest enim res pluribus titulis fisco nexa esse (veluti propter tributum et varios contractus).

9) Pro: *nulli.*

10) c. 2 C. Th. 10. 16 (= c. 6 C. 10. 3).

11) c. 1 C. Th. 10. 16. — Pro *functionem* reponunt quidam *auctionem.* Sed. cf. Gothofredus (sensus hic est: refugiunt functionem et propterea auctionem).

12) De canone rei privatae compertum est: c. 2 § 2 C. 11. 66 (65).

emptorem inveniet, et rursus eveniet, ut nomen habeat fiscus, quum possit habere praesentem pecuniam. Eadem scilicet ratione, qui *a peraequatore* desertum praedium iure dominii possidendum acceperit, is *reliqua* nulla debet *temporis ante acti* [1]). Solent deserta a possessoribus praedia aut *hastis subi(ci)* [2]) aut *sub certa immunitate* [3]) adsignari *certum quem tributorum canonem promit-t(enti)* [4]), *meliore* utique *condicione*, quum, quod adsignetur, *navalem sustine(a)t functionem*, haec enim ut integra praestetur [5]), ipsum tributum etiam magis *relevat(ur)* [6]). Fiebat autem adsignatio *edictis pendentibus* [7]), quibus veteres domini evocabantur, ut intra certum tempus etiamnunc sua sibi quisque reciperent [8]). Sin hoc modo fundus desertus *invenire dominu(m) non potuer(it)*, iubet Aurelianus *civitatum ordines ..... triennii immunitate percepta dein* [9]) *solemnibus satisfacere* [10]), quem *tenore(m)* Constantinus *serva(t)* hoc addito, *ut, si constiterit ad suscipiendas easdem possessiones minus idoneos esse, eorundem agrorum onera possessionibus* privatorum *et territoriis* civitatum [11]) dividantur. Quod ἐπιβολῆς exemplum èt vetustissimum est èt solum, quod habeat mitigationem per immunitatem.

---

1) c. 16 C. Th. 13.11 = c. 7 C. 11.58 (57); c. 11 (Wenck: 4) C. Th. 5.15; c. 11 § 2 C. 11.59 (58).

2) c. 9 (Wenck: 3) C. Th. 5.15; cf. c. 2 C. 4.46.

3) c. 3 C. 11.59 (58). — *Triennii* ostenditur immunitas c. 8 (Wenck: 2) C. Th. 5.15, sub qua fit ἐπιβολή in edictis Aureliani et Constantini (c. 1 C. 11.59 s 58). Nonnumquam novis dominis plena praestabatur immunitas (Iulian., Misopog., i. f.), maxime qui veterani essent (c. 3, c. 8 C. Th. 7.20).

4) c. 11 § 1 C. 11.59 s. 58. (Cf. c. un. § 3 C. Th. 7.19: *salva tributorum praestatione*).

5) *Ut gravis sors* (= functio) *navalis* (quippe quae integra praestanda est) *esse non possit pro ea qua resederit* (in eo fundo) *portiuncula*. Codex Iustinianus habet: *quae resederit*.

6) c. 19 C. Th. 6.2 = c. 15 C. 11.59 (58).

7) c. 13 (i. f.) C. Th. 11.28.

8) c. 11 pr. C. 11.59 (58); c. 11 (Wenck: 4) C. Th. 5.15. Cf. c. 7 C. 11.58 (57) = c. 16 C. Th. 13.11.

9) Ex coniectura Mommseni. Libri: *de*.

10) c. 1 C. 11.59 (58). — *Quos praeceperamus* videntur esse *civitatum ordines*; itaque virgula ponenda est ante *quos*, demenda post *praeceperamus* (= praediximus).

11) Ita interpretatur Zachariae, *Gesch. des griechisch-röm. Rechts* (1892) p. 229[741], ex diverso Monnier, *Nouv. rev. histor.* XVI (1892) p. 330[2] duce Cuiacio *et territoriis* vertit: eius territorii. Cf. denique Mitteis, *z. Gesch. der Erbpacht* (1901) p. 64.

AD TACITUM ET VELLEIUM PATERCULUM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

I. Ad Taciti Historias.

Taciti Historiae *rec. J. van der Vliet. J. B. Wolters. a. MDCCCC.*

I 6, vs. 14. *ille* (Varro) *ut Nymphidi socius, hic* (Petronius) *ut dux Neronis inauditi atque indefensi tamquam* innocentes *perierunt.*

At *innocentes* audiri solent et solebant atque defendi. Quare corrigendum arbitror „nocentes", i. e. de quorum culpa satis constabat.

Cf. II 10, vs. 16 *dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac* nocentem *more tamen audiendum censebant.*

I 33, 25. *Non expectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeundum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine* tenus *domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus.*

Corruptum vocabulum „tenus" in „tutus" apte refingebat editor, sed facilius etiam depravari potuit ex „<se> tuens" aut „tuens <se>".

I 51, 1. *Caeso cum omnibus copiis Iulio Vindice ferox praeda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset* expeditionem et aciem, *praemia quam stipendia malebat.*

Inductus verbis vitiose traditis post „aciem" excidisse „quam pacem" putabam, nondum cognita eximia Bezzenbergeri emendatione: expeditionum feracium *praemia, quam stipendia malebat,* quae quantocius recipienda videtur.

II 13, 7. *Auxit invidiam praeclaro exemplo femina Ligus, quae filio abdito, cum simul pecuniam occultari milites credidissent eoque per cruciatus interrogarent, ubi filium occuleret, uterum ostendens* <ibi> *latere respondit.*

De Ernesti coniectura suppletum est „ibi". At facilius post *ostend*ENS elabi potuit „in se", quod aeque aptum est.

II 38 extr. *nunc ad rerum ordinem* venio.

Sententiae consuluit Heraeus coniectura sua „redeo", sed facilior correctio videtur „<re>venio", quo verbo satis usitato ipse Tacitus usus est Ann. II 24.

III, 68, 23. *Nihil tale* (sc. quale nunc in Vitellio) *viderant, nihil audierant: repentina vis dictatorem Caesarem oppresserat, occultae Gaium insidiae, non et ignotum rus fugam Neronis absconderant; Piso et Galba tamquam in acie cecidere.*

De Othone et ipso „tamquam in acie caeso" (cf. II 46 sqq.), quia vix silere potuit Tacitus, conieci:

Piso et Galba <et Otho> *tamquam in acie cecidere.*

III 77, 15. *Ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit, percontatus, statim regredi se an perdomandae Campaniae insistere iuberet. Quod salutare non modo partibus Vespasiani, sed rei publicae fuit.*

Manifesto post verbum *iuberet* excidit id ipsum, quod salutare fuisse dixit Tacitus, scilicet „Hoc iubet" i. e. „perdomandae Campaniae insistere". Vide sequentia. Damstéo forsitan recte sufficere videtur <Iubet> *quod* etc.

V 7, 27. De Sodomis interitu Tacitus haec scribit: *Ego sicuti inclutas quondam urbes igne caelesti flagrasse concesserim, ita habitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fetus segetum et autumni putrescere reor, sole caeloque iuxta gravi.*

Locus sanus mihi videtur neque indigere desideratissimi amici supplemento „ardore", quod post „autumni" inseruit.

Ut enim *fetus segetum* sunt varia frumenti genera, quae *aestate* et quidem in illo tractu multo prius quam apud nos maturescunt, ita *autumni* (fetus) dicuntur poma, olivae, uvae similiaque, quae ut fruges „superfuso corrupto illo spiritu" putrescere putabat scriptor.

V 13, 11. *Apertae repente delubri fores et audita maior humana vox excedere* deos; *simul ingens motus* excedentium.

Quam parum sibi constat Tacitus, qui paullo ante V 5, 12 scripsit: *Iudaei mente sola* unumque numen *intellegunt*!

V 17 extr. *Ubi sono armorum tripudiisque* (*ita illis mos*) *approbata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur, neque nostro milite paludem ingrediente et Germanis, ut* elicerent, *lacessentibus.*

Nonne requiritur „illicerent", in paludes sc.? Dolendum est hanc editionem tot deturpari vitiis typographicis: P. 35, 30 *obessam*; 53, 9 *audentoribus*; 94, 18 *militem* (l. militum); 99, 4 *coteri*; 107, 1 *emolilitos*; 108, 11 *iudustria*; 114, 8 *elassis*; 130, 28 *propre* (l. prope); 141, 18 *fortunum*; 158, 14 *invida* (l. invidia); 160, 10 *qai* (l. qui); 165, 6 *iuvadunt*; 222, 13 *levitos.*

II.

Ad Velleium Paterculum.

Velleius Paterculus *ed. R. Ellis Oxonii a. MDCCCXCVIII.*

I 1 § 3. *Quippe vixit* annis *XC, regnavit LXX* (Orestes).

Constanter Velleius tempus per quod aliquid fit ablativo significat, non accusativo, nisi addita praepositione *per.* Sic v. c. in ipso huius capitis fine: *post Orestis interitum filii eius Penthilus et Tisamenus regnavere* triennio et initio capitis sexti: *qui*

id optinuerant annis LMXX. Minus recte igitur II 90 § 1 ex Lipsii et Orellii coniectura suppletum est: *Delmatia,* annos XX *et* CC *rebellis, ad certam confessionem pacata est imperi*, sed supplendum est aut „annis", quod malim, aut cum Novakio „per annos".

Abhorret etiam a Velleii scribendi norma quod ex apographo Amerbachii codicis nunc deperditi Murbacensis editur II 15 § 1: *quippe L. Caesare et P. Rutilio consulibus abhinc annis* CXX etc. et II 65 § 2 *post urbem conditam abhinc* annis DCCVIIII, illic repugnante editione principe, qui habet „annos", hic sane consentiente. Sed enim tantus est in Velleio locorum numerus, ubi quartus casus post *abhinc* apparet, ut quin utrobique restituendus sit temporis punctum non dubitem.

I 5 § 1. *Clarissimum deinde Homeri inluxit ingenium, sine exemplo maximum, qui magnitudine operis et fulgore carminum solus appellari* poeta *meruit.*

Noli credere Velleio poetae nomine indignos videri qui postea vixerunt, sed respicit ad Graecorum usum Homerum τὸν ποιητήν (scil. κατ' ἐξοχήν) appellantium.

Paucis omissis secuntur haece:

neque quemquam alium, cuius operis *primus auctor fuerit, in eo perfectissimum praeter Homerum et Archilochum reperiemus.*

Fortasse haud inutilis est observatio Velleium hic et alibi substantivo *opus* eam tribuisse notionem, quam in lexicis notatam non reperio, ut sit *litterarum genus, letterkundig genre.* Cf. I 17 § 3 et § 4; II 9 § 6; 36 § 3 extr.

II 17 § 1. *Sulla, vir qui* neque ad finem *victoriae satis laudari neque post victoriam abunde vituperari potest.*

„Ad finem victoriae" pro „usque ad victoriam" insolenter dictum. Saepius eo sensu usurpari *fine* cnm genetivo docent lexica. Cf. 25 § 2 *adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum vincit † ac iustissimo † lenior* (vide coniecturas ap. Ellisium), post victoriam *audito fuerit crudelior. nam et consulem, ut praediximus, exarmatum quintumque Sertorium, pro quanti mox belli facem! et multos alios, potitus eorum, dimisit incolumis, credo ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi*

conspiceretur exemplum. post victoriam † *qua demendes* † *montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla gratis Dianae, cuius numini regio illa sacrata est, solvit; aquas salubritate in medendis corporibus nobilis agrosque omnis adduxit deae etc.*

Sub verbis corruptis „qua demendes" sive cum Ruhnkenii „quia descendens" sive aliud latere existimamus, ne emendatis quidem illis me iudice hic locus pro integro haberi potest. Ut enim Sullae ante victoriam mansuetudo a Velleio illustrata est, ita vix et ne vix quidem deinde silere potuit de immani eiusdem *post victoriam* saevitia. Quare non dubito quin post verba „post victoriam" statuenda sit complurium versuum lacuna. Fortasse locus sic constituendus:

post victoriam * * * ‹post victoriam› *quia descendens* etc.

ut, qui est lacunarum fons uberrimus, librarii oculi ab altera lectione ad alteram aberraverint.

II 26. *Deinde consules Carbo tertium et C. Marius, septiens consulis filius, annos natus XXVI, vir animi magis quam aevi paterni, multa fortiterque molitus neque usquam inferior* nominis titulis, *apud Sacriportum pulsus a Sulla acie Praeneste, quod ante* (l. *arte et* cum Bentleio) *natura munitum praesidiis firmaverat, se exercitumque contulit.*

Sic pro Amerbachiani apographi lectione „nomine stilis" corrigens Ellis non reputavit sic male sententiam decurrere. Procul dubio corrigendum fuerat:

neque usquam inferior nominis titulis. ‹Is› *apud Sacriportum pulsus* etc.

quod non latuit Orellium conicientem: *nomine suo. Is* etc.

II 27 § 5. *utcumque cecidit, hodieque tanta patris imagine non obscuratur* civis *memoria.*

Vera videtur editionis principis correctio „eius" i. e. filii C. Marii, de quo haec dicuntur.

II 30 § 2. *sed Pompeius, hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus, ante diem quam consulatum iniret, curru urbem invectus est. quem virum* quis non miretur *per tot extraordinaria imperia in summum fastigium evectum iniquo tulisse animo, C. Caesaris*

absentis in altero consulatu petendo senatum populumque Romanum rationem habere: adeo familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere, et invidiam rerum non ad causam, sed ad voluntatem personasque dirigere.

Breviloquentia quaedam causa fuisse videtur cur Ellis haerens in verbis „quis non miretur" perquam infeliciter coniceret „quis ominetur", quod quo sensu dictum voluerit ne assequor quidem. Scriptor hoc voluit, ni fallor, primo quidem obtutu mirum videri posse Pompeium multo maiora extra ordinem assecutum aegre tulisse Caesari permissum esse ut absentis consulatus candidati haberetur ratio, sed revera nihil eam rem miri habere, quippe *familiare esse hominibus omnia sibi ignoscere* etc. Cogitari sane possit de reponendo „quisnam" aut „quisquam miretur" etc., sed dubito num vel ea correctio necessaria sit.

II 36 § 3. *paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio, inter quae maxime nostri aevi eminent princeps carminum Vergilius Rabiriusque* et consecutus Sallustium Livius *Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis sui; nam virorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est.*

Cum permire in mediis poetis appareat rerum scriptor Livius, hunc locum depravatum esse mature animadversum est. Propter mutationis autem violentiam parum probabilis est Burmanni coniectura „et consecutus Gallum Tibullus, Propertiusque et Naso."

Coniecturis addatur haec mea:

Rabiriusque; ‹Propertius› *Tibullusque et consecutus Sallustium* (cf. § 2) *Livius, perfectissimi in forma operis sui;* etc.

II 47 § 4. *quo tempore P. Clodius a Milone candidato consulatus* exemplo inutiliter facto ‹sed› *salutari reipublicae circa Bovillas contracta ex occursu rixa iugulatus est.*

Traditam lectionem aliis aliter mutantibus, Ellis immutatae addidit de suo voculam *sed.* Recte addidisse videtur, sed parum eleganter dictum videtur „inutiliter facto" pro simplici „inutili", i. e. non imitando.

Fortasse corrigendum:

exemplo inutili profecto ‹sed› *salutari reipublicae.*

II 49 § 3. *M. autem Cato moriendum ante quam ullam condicionem* civis *accipiendam reipublicae contenderet.*

„Civis" i. e. impositam a cive, optime dictum videtur nec probandae sunt Ruhnkenii et Ellisii coniecturae „cuiusvis" et „cum cive".

II 55 § 3. *sua Caesarem in Hispaniam comitata fortuna est, sed nullum unquam atrocius periculosiusque ab eo initum proelium, adeo ut plus quam dubio Marte descenderet equo consistensque* ante recedentem suorum aciem, *increpata prius fortuna, quod in se eum servasset exitum, denuntiaret militibus* vestigio se non recessurum: *proinde viderent, quem et quo loco imperatorem deserturi forent. verecundia magis quam virtute* acies restitutae sunt a duce quam a milite fortius.

Haec est ultimorum verborum procul dubio corruptorum lectio apographi Amerbachiani et editionis principis, quam mutato „fortius" in „potius" tuebatur Mommsen, Ellis vero recepit Orellii coniecturam „restituta et a duce".

Causa cur locus nondum correctus sit haec est, quod critici non animadverterunt, *aciem turbatam fuisse* minime apparere e verbis antecedentibus „consistensque ante *recedentem* suorum aciem", quibus mox opponuntur „vestigio se non recessurum". Quo intellecto vidi emendandum esse: „⟨res⟩ restitutae sunt", minus tamen recte suspicatus vocem „acies" deberi infelici coniecturae. Nam vir cl. Damsté, Vlietii mei defuncti in cathedra latina apud Rhenotraiectinos successor, a me consultus felicissime coniecturam meam perfecit corrigendo:

acies ⟨restitit et res⟩ *restitutae sunt a duce quam a milite fortius.*

II 62 § 3. *intento* ac pari *animo sine auctoritate publica provincias exercitusque occupaverant.*

Quid in his verbis vituperandum sit non assequor. Ellis adnotat „*Malim* nec dispari".

II 69 § 2. *et C. Cassius — inclusum Dolabellam — Laodiciae expugnata ea urbe* ⟨obire⟩ *fecerat* (*ita tamen, ut ad ictum servi*

sui Dolabella non segniter cervicem daret) *et decem legiones in eo tractu sui iuris fecerat.*

Recte Ellis sprevit Rhenani coniecturas „interfecerat" et „confecere", quippe quae verba significare non possint, quod sententia postulat „mori coegerat." Quod autem de suo supplevit „obire" num recte de violenta morte dici possit dubitans, praetulerim saltem „mori". Ceterum ipse hic usus verbi „facere" cum infinitivo quoniam ab elegantioribus pedestrium fere vitatur nec Velleiano exemplo probari potest, et parum elegans est „fecerat" propter verba subsequentia „sui iuris fecerat", dubia admodum videtur haec loci correctio et posthabenda paullo audaciori Novaki coniecturae „mori coegerat".

II 83 extr. *haud absurde Coponius, vir e praetoriis gravissimus, pater Sili* (*P. Sili* optime Gelenius) *socer, cum recens transfuga multa ac nefanda Plancus absenti Antonio in senatu obiceret, multa, inquit, mehercules fecit Antonius* pridie quam *tu illum relinqueres.*

Huius dicterii aculeum me fallere confiteor. Nisi forte reconditius quid latet, rescripto „priusquam" pro „pridie quam", suspicor Coponium tectius significasse:

„Necesse sane est Antonius multa ac nefanda fecerit, si tu, Plance, infamis ipse nebulo, tantam eius nequitiam tolerare non amplius potuisti."

II 87 init. *Proximo deinde anno persecutus reginam Antoniumque Alexandriam*, (Caesar) *ultimam bellis civilibus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter interemit, adeo ut multa desidiae crimina morte redimeret.* at *Cleopatra frustrata custodibus inlata aspide in morsu sanieque eius, expers muliebris spiritum reddidit.*

Aequavit igitur Cleopatra Antonii in suicidio fortitudinem, nec locus est adversativae particulae „at" sed requiritur „atque" sive „ac" aut „et".

II 88 § 2. Scribitur de Maecenate: *otio ac mollitie paene ultra feminam fluens, non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus — quippe vixit* angusti clavi paene *contentus — nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit.*

Salmasii correctio „angusticlavio" nititur forma tradita „laticlavium", et speciem sane habet quod praeterea suasit „plene" pro „paene", quod minus leniter in „specie" (servato „angusti clavi") mutabat Zumpt.

Dubito tamen an potius „paene" delendum sit, errore fortasse repetitum ex antecedentibus, ut corrigendum sit:

quippe vixit angusticlavio *contentus.*

Ibidem § 3. *et ille quidem* (M. Lepidus) *male consultorum poenas exsolvit. aequetur praedictae iam Antistiae Servilia Lepidi uxor, quae* vivo *igni devorato praematura morte inmortalem nominis sui pensavit memoriam.*

Lepidum, quod necem tentasset Tiberio, *vivum* combustum esse poena crudelissima et vix servili quis quaeso sibi persuadeat, cum praesertim, si revera id accidisset, Velleius mansuetudinis huius Imperatoris laudator eam rem procul dubio reticuisset? Lepidi autem poena probabiliter eadem fuit, quae Muraenae et Fannii narratur cap. 91 extr. Et hoc quidem non latuit interpretes verba „vivo igni" ineptissime explicantes „igni calenti ardentique" allata scilicet formula quae est „vivum ignem devorare", quasi hoc loco nostro conveniat!

Apage ineptias et corrige:

quae viro *igni devorato,* i. e. post mariti exequias.

II 90 § 1. Vid. supra ad I 1 § 3.

II 91 § 4. *quippe ita se mores habent, publica quisque ruina malit occidere quam sua proteri, idem* passurus *minus conspici.*

Nonne potius expectatur: *idem* passus (i. e. occisus) *minus conspici?*

II 93 § 1 extr. *admodum iuvenis.*

Constanter hoc verborum ordine Velleius fere contra antiquiorum consuetudinem, qui adverbium *admodum* postponere assolent adiectivis.

II 112 § 3. *ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut ubicumque Caesar esset,* nihil in se reponerent.

Sententia haec esse videtur: Tam parum placebat barbaris numerus suus, tam parum fiducia virium, ut ubicumque Caesar esset, sibi plane diffiderent.

Sed latine hoc dicitur:

„nihil in se (spei) reponerent"

ut passim dicitur *spem reponere in aliquo* sive *in aliqua re.* Sic. v. c. Livius I 49 (cf. ib. II 39) *nihil spei in caritate civium reponere*; Cic. Tusc. V 12, 36 *omnem spem in se.*

Iam Heinsium idem monuisse nunc me docet Damsté, sed quia certa videtur emendatio, scripta non deleo.

II 120 § 3 extr. *sunt tamen qui ut vivos ab eo* (L. Asprenate) *vindicatos, ita iugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia hereditatemque occisi exercitus, in quantum* voluerit, *ab eo aditam.*

Recipienda est procul dubio certa Lipsii emendatio „valuerit" pro absurdo „voluerit". Ceterum mera haec videtur calumnia; nam quibus tandem artibus Asprenas tantum facinus perpetrare potuerit, perdifficile dictu est.

II 123 extr. Scribitur de Augusto: in sua resolutus initia *Pompeio Apuleioque consulibus septuagesimo et sexto anno animam caelestem deo reddidit.*

Num prima verba „in — initia" explicanda sunt e Stoicorum doctrina, cui fortasse addictus fuit Velleius? Cf. M. Antonini *τὰ εἰς ἑαυτόν* II 17 extr. *ἐπὶ πᾶσι δὲ τὸν θάνατον ἵλεῳ τῇ γνώμῃ περιμένοντα, ὡς οὐδὲν ἄλλο ἢ λύσιν τῶν στοιχείων, ἐξ ὧν ἕκαστον ζῷον συγκρίνεται.*

II 129 § 3. *quam illum* (Maroboduum) *ut honorate,* <sic> nec *secure continet* (Tiberius).

Ita addita de suo vocula *sic* edidit Ellis. Equidem melius intellegam Burmanni „nec" in „sic" mutantis correctionem. Nam quae sit Tiberii laus *non secure* continentis Maroboduum me latet.

DE THORACE APUD HOMERUM.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

§ 1.

E 99 sq., 189, 282 θώρηξ intellegendus est tunica lintea.

Diomedi, Pandari sagitta per θώρηκος γύαλον E 98 sqq. humerum in dextrum vulnerato, dum per humerum Sthenelus, ut sagittam removeat, cuspidem a tergo protrahit vs. 112, sanguis narratur emicare διὰ στρεπτοῖο χιτῶνος, thoracis nulla mentione facta, quem si ille supra ei induisset, per hunc, non per eum cerneretur sanguis erumpens; at eum induere supra thoracem aëneum absurdum erat. Neque profecto Sthenelus, illi thoracato, nisi sagitta, praeter humerum ipsum, tam partem posticam thoracis quam anticam perforavit, cuspidem a tergo protrahere potuit, quae tamen vis sagittae vix ac ne vix quidem credibilis est. Accedit quod vs. 795 Diomedes a Minerva reperitur, quo vulnus refrigeret scuti fasciam allevans et cruorem atricolorem abstergens. Quod recte Reichel[1]) et Robert[2]) vv. dd. negant eum facere potuisse indutum thorace aëneo. Fac autem exuisse, scuto quoque se levasset, ac rursus induisset pugnaturus. Sed qualem invenit dea statim secum ducit adversus Martem. Haec non urguenda esse forsitan quis censeat, cum minime constet, qui poëta cum Marte Diomedem certantem fecit, eundem esse

1) Homerische Waffen² p. 72 sqq.
2) Studien zur Ilias p. 37.

qui a Pandaro narravit vulneratum. At hoc tamen sequitur, ut is qui illud certamen vulnerationi adiunxit nudum a thorace aëneo Diomedem finxerit. Praeterea E 4 ubi legimus *δαῖέ τοι* (*Ἀθήνη*) *ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ*, quem versum vix quisquam vulnerationis cantori denegabit, si thoracem aëneum Diomedi tribuisset, commemorasset sane. Ab altera parte non tantum vs. 98 sq. dicit *βάλε* (*Πάνδαρος*) .... *θώρηκος γύαλον*, sed addit quoque vs. 100 *παλάσσετο δ' αἵματι θώρηξ*, et vs. 189 Pandarum gloriantem facit se Diomedis percussisse *θώρηκος γύαλον*, tum, ubi paulo post, vs. 280, ei Pandarum hasta clipeum transfixum narrat, addit haec: *αἰχμὴ χαλκείη θώρηκ' ἐπελάσθη*.

Robert interpolationem auguratur, censetque vss. 99, 100, 189 delendos esse et vs. 282 pro *θώρηκ'* legendum *ζωστῆρ'*. Cui vereor assentiri. Nam ubi Helenus in Menelaum arcum intendit, legimus N 586 *κατὰ στῆθος βάλεν ἰῷ*, tum vero vs. 587 *θώρηκος γύαλον, ἀπὸ δ' ἔπτατο πικρὸς διστός*, qui versus ab E 99 non differt, nisi quod ibi est *διὰ δ' ἔπτατο πικρὸς διστός*. Quodsi igitur E 99, 100 spurii sunt, interpolator alterum versum leviter mutatum deprompsit ex N 587, alterum de suo addidit. Sed optime E 99, 100 inter se et cum superioribus cohaerent; quid? insolitum, ne dicam inauditum paene apud Homerum est, ubi quis aut feriatur aut icatur effectum non commemorari, sive vulnus accipitur sive evitatur. Quod hic desideratur deletis vs. 99, 100. Hos autem versus si retinemus, non est cur eiciamus vs. 189, quo praesertim deleto vs. 188 friget; praeterea mirus interpolator, quem vs. 282 furor suus adduxerit ut *ζωστῆρ'* in *θώρηκ'* mutaret. Satius igitur erit, antequam quidquam mutes, hoc investigare quid *θώρηξ* aliud esse possit quam thorax aëneus. Reichel suspicatur [1]) E 99, 100, 189 scutum intellegendum esse, quid autem de vs. 282 faciendum sit, non enuntiat v. d., at ibi non de scuto agitur, legimus enim vss. 281 sq. *καὶ βάλε Τυδεΐδαο κατ' ἀσπίδα, τῆς δὲ διὰ πρό, αἰχμὴ χαλκείη πταμένη θώρηκ' ἐπελάσθη*. Sed aliis apud Homerum locis, N 507, P 314, rursus scutum, aliis, Δ 133, Λ 236, Υ 414, balteum, aliis, Δ 133, Σ 460, mitram, i. e. illud cingulum, quod proxime corpus

---

1) H. W.² p. 145.

circumdabat, intelligit v. d. [1]). Quod sic probare conatur ut coniciat voce *θώρηξ* a principio significatum esse quodcunque pertineret ad corporis praesidium. Sed ut hoc ita sit, quod nunc non quaero, utique requiritur ut voce generali abstineatur nisi omne dubium, quid speciatim spectetur absit. Quod non usu venit E 99, 100, 189. Praeterea vero inepte dicitur icto humero scutum percuti, legimus autem vs. 98 sq. *καὶ 'βάλ' ἐπαΐσσοντα τυχὼν κατὰ δεξιὸν ὦμον θώρηκος γύαλον.* Aliam autem vocis *θώρηξ* interpretationem cognoscimus ex Eustathio [2]) et Apollonio [3]). Hi enim testantur fuisse qui nomine *στρεπτὸς χιτών* vs. 113 loricam sertam notari vellent, qualis vulgo appellatur *θώρηξ κρικωτός* sive *ἁλυσιδωτός.* Inter quos, modo fides habeatur Apollonio, fuit Aristarchus [4]). Quibus facile intellegitur propterea eam placuisse interpretationem, qua efficerent idem valere *θώρηκα* E 99, 100, 189, 282 et *στρεπτὸν χιτῶνα* E 213, ita explicaturi quomodo *θώρηξ* neque sanguini impedimento fuerit erumpendi *διὰ στρεπτοῖο χιτῶνος*, neque Diomedi abstergendi sanguinis. Neque tamen opportunus eis est solus apud Homerum locus quo redit *στρεπτὸς χιτών*, neque cum eis fecit Aristarchus. Nam Φ 31, ubi Achilles iuvenibus Troianis in flumine captis manus post tergum vinxisse narratur loris *τοὺς αὐτοὶ 'φορέεσκον ἐπὶ στρεπτοῖσι χιτῶσι*, quid lora sibi velint ad loricas sertas nemo videt. Sed tunicae cingebantur, quod apparet Υ 470, ubi commemoratur *κόλπος* i. e. tunicae sinus, qui ceteroquin nullus esse poterat [5]). Neque aliud quidquam nisi de Diomedis tunica cogitavit Aristarchus; nam schol. A ad Φ 31, laudato nostro loco

1) Quae Reichel in priore sui operis editione disseruit (p. 105) ut demonstraret nonnusquam voce *θώρηξ* scutum significari, omisit in altera (quam curavit Heberdey v. d.), locum vacuum reliquit morte oppressus, de ceteris quas attuli interpretationibus eius vide editionem alteram pp. 91, 93. — Etiam Villoison v. d. in edit. Apoll. lex. Hom. p. 267 interpretatur s c u t u m nescio an incuria, ceteroquin enim semper *θώρηξ* ei est thorax aenëus.

2) In Comm. ad Iliad.

3) In lexico Hom. p. 739.

4) Revera ibi dicit Aristarchum intellexisse *λεπιδωτόν* i. e. loricam *squamatam*. Sed ex eis quae addit: *διὰ* <*τὸ*> *τὴν πλοκὴν τῶν κρικῶν ἀνεστραμμένην εἶναι* apparet agi de *serta*. Ipsa haec discrepantia Apollonii fidem imminuit.

5) Etiam vas quoddam repertum inter monumenta Mycenaea exhibet militum tunicis brevibus vestitorum imagines, in quibus et balteus et tunicae sinus conspicuus est. Cf. Furtwängler und Löschke Myk. Vas. XLII, XLIII, Schuchhardt Abb. 300, 301.

E 213, hoc habet: *στρεπτοὺς χιτῶνας τοὺς νηστούς· ὑποδύτους ὑπὸ τοὺς στατοὺς μαλλάγματος ἕνεκα.* At fieri potest, inquis, ut auctor loci Φ 31 vocem *στρεπτός* e loco nostro desumserit, male intellecta eius sententia. Sed ne serta quidem indutus Diomedes sanguinem e vulnere fluentem satis commode abstergere potuit, et utique in eam nudum corpus induisset — quod permirum — nam si sub ea tunica erat indutus, omnino vulnus attingere nequibat. Tum vero quominus *θώρηξ* nostro loco credatur esse lorica serta impedit hoc quod E 99, 189 commemoratur *θώρηκος γύαλον.* Nam lorica serta, quae ad corpus se applicat, nihil habet quod iure convexum dici possit, voci *γύαλον* contra convexi utique inest sententia [1]). Neque aliter censuit Aristarchus, etenim scholia A èt hic èt ubicunque de ea re agunt *θώρηκος γύαλον* animadvertunt esse *θώρηκος κύτος ἢ κοίλωμα.*

Nihilominus e superioribus dandum apparet *θώρηξ* vss. E 99, 100, 189, 282 fieri non posse ut aliud quid sit, nisi *στρεπτὸς χιτὼν* vs. 113. Dumne ea moliaris, quae suo loco relinquenda sunt. Sed apud Herodotum III, 47 describitur thorax linteus, quem Amasis rex Aegypti Lacedaemoniis dono misit, et mentio fit alterius, quem Lindi Minervae dedicavit. Itemque Xenophon in Anab. IV 7. 25 narrat Chalybes indutos fuisse thoracibus linteis. Quibuscum licet conferre thoracem linteum, quo Tolumnium Veientum regem spoliavit A. Cornelius Cossus apud Livium IV 20. Atque eiusmodi thoraces a Graecis quoque adhibitos esse probant Iliadis loci B 529 ubi Aiax Oilei filius et 830 ubi Amphius Percosius *λινοθώρηξ* dicitur, oraculum vetus septimi a. Chr. n. saec. in quo Argivi dicuntur *λινοθώρηκες* (Anthol. pal. XIV 4), Alcaeus (Bergk fr. 15) *θώρακας νέω λίνω* commemorans, Nepos in Vita Iphicratis § 4, tradens hunc ducem militibus suis pro loricis sertis atque aëneis, linteas dedisse. Neque Mycenaea aetate defuisse illos suspicatur Studnizcka v. d. [2]) Mittheil.

1) Ut in hymno altero ad Dionysum 105, itemque apud Hesiodum in Theog. 499 et passim apud tragicos *γύαλον* est *convallis*, et apud Euripidem Iphig. in Aul. 1652 *cavum aeni*, et in hymno orphico XVIII. 16 *convexum coeli*; conferatur autem *γυής* i. e. *buris*. Atque apte Apollon. ll. p. 426 *καθόλου γύαλα παρὰ τοῖς ποιήταις τὰ κοιλώματα καὶ τὰ ὀγκώδη τῶν τόπων, ἀφ' οὗ Ὅμηρος τὰ εἰς τὴν χεῖρα τιθέμενα ἐγγυαλίξαι λέγει.*

2) „Alles wohl erwogen dünkt mich die wahrscheinlichste Erklärung zu sein, dass hier, auf griechischem Boden, zum ersten Male der Rest eines Leinenpanzers vorliegt."

des Arch. Instit. Athen. Abth. 1887 p. 22 propter pannos linteos simul cum armis inventos in sepulchris Mycenaeis, quocum conferatur thorax linteus inventus in sepulchro Corneti in Italia (Monum. dell' Inst. X Tf. 10 b. 3). Praeterea ipsa vox *χαλκεοθώρηξ* Δ 448 Θ 62 etiam *θώρηκας* fuisse docet, in quibus conficiendis aes *non* adhiberetur. Thoracem autem linteum tunicam dicere licere non facile neget qui reputaverit, quod luculenter demonstravit Helbig v. d. [1]) Graecos Homericos linteas gessisse tunicas [2]). Neve in eo haereas, quod a scriptoribus abinde saeculo sexto a. Chr. n. distinguuntur thorax linteus et *χιτών*, credere licet ex quo tunicam linteam lanea vulgo permutassent Graeci, vetustiori vestimento nomen *χιτών* abrogatum esse, tunicam autem laneam numquam thoracem audisse. Praeterea ne hoc quidem negligendum esse puto, non tantum sescenties apud Homerum bellatores depingi nulla mentione thoracis aënei facta, idque saepius ita, quod postea ostendam, ut de illo ne cogitare quidem liceat, sed etiam tunicam vestis bellicae vice fungi èt aliis fortasse locis, qua de re item postea agam, èt haud dubie loco supra laudato Υ 470, ubi legimus Troe Alastoris filio ab Achille iugulato: *μέλαν αἷμα κατ' αὐτοῦ κόλπον ἐνέπλησεν*, tunicatus igitur ille fingitur. Qua re, quid vetat Diomedem quoque nostro loco tunicatum nobis proponere, idque ita ut una eademque res indicetur èt vss. 99, 100, 189, 282 voce *θώρηξ* et vs. 113 verbis *χιτὼν στρεπτός*? quae verba probabiliter Studnizcka v. d. ita interpretatur [3]) ut iis significetur tunica stricto stamine pertensa [4]). Unice sic omnia apte cohaerent. Neque repugnant huic interpretationi verba *θώρηκος γύαλον*. Nam si *γύαλον*, id quod nemo negat, potest esse *κύτος* sive *κοίλωμα*, sequitur ut *θώρηκος γύαλον*, si *θώρηξ* est tunica, sit tunicae *κύτος* sive *κοίλωμα* i. e. tunicae sinus, qui

---

1) Das Hom. Ep. aus den Denkmäl. erläutert² p. 165, 166.

2) Ab altera parte, quod passim bellatores dicuntur *χαλκοχίτωνες*, semel etiam commemoratur *χάλκεος χιτών* (N 479), si quis hoc facere censet, arbitratus *χάλκεον χιτῶνα* nihil aliud esse posse nisi thoracem aëneum, unde sequatur ut *χιτὼν λίνεος* a thorace linteo differre nequeat — nolim equidem hoc argumento uti, cum minime mihi constet ab initio *χιτῶνα χάλκεον* fuisse thoracem aëneum. De qua re cf. infra p. 112.

3) Beiträge z. Gesch. der altgriech. Tracht p. 63, 64.

4) Nos: „getweernd".

balteo efficitur, a posteris neque non apud Homerum (ut l.l. Υ 470) κόλπος appellatus. Sagittam, tunicae sinu perforato, transfixisse humerum et a tergo eminuisse satis credibile est. Tunicam autem exuere Diomedi non opus erat quo abstergeret sanguinem, utpote quae nihil afferret impedimenti manus ei inserendae. Atque per eam, cum primum vulnus infligeretur transfixam et sanguine pollutam, deinde sagitta protracta emicuisse sanguinem, etiam sine verbis intelligitur.

De verbis θώρηκος γύαλον pauca addam. Pausanias in describendis tabulis pictis Polygnoti, quas Delphis vidit, inter alias aliquam commemorat, X 26. 5, in qua ara conspiciebatur, propter quam thorax iacebat „mirifica" ut ait „fabrica, qualis gerebatur antiquo tempore, confectus ex duabus partibus, quibus γύαλα nomen, quarum altera pectus et uterum, altera dorsum tegeret, fibulis inter se iunctis." Conferre iubet Calliphontis tabulam pictam quae Ephesi esset, in qua Patroclo mulieres aptarent thoracis γύαλα; addit autem, qui eiusmodi thorace indutus esset, scutum non requirere, Homerum enim Phorcynem sine scuto fingere pugnantem „ὅτι αὐτῷ γυαλοθώρηξ ἦν". Quod leve sane, nam in Phorcynis caede, quae narratur Ρ 312 sqq., quamquam scuti mentio non fit, minime apparet, poëtam indicare voluisse Phorcynem non habuisse scutum. Sed satis apparet Pausaniae quid esset γύαλον, quod ad thoracem pertineret, nullam fuisse notionem, nisi quam praeter tabulas pictas, ex Homero collegisset, quem ceteroquin non unicum testem adhibuisset. Collatis autem scholiis ad Iliadem videmus nullam de ea re opinionem communem Homeri aetati superstitem fuisse. Nam Aristarchus in scholiis A, ubicunque de voce γύαλον agit praecise negat id quod perhibet Pausanias, certam aliquam thoracis partem indicari. Ut ad Ο 529 sq. animadvertit ὅτι τὰ κύτη καὶ τὰ κοιλώματα τοῦ θώρακος γύαλα οὐχὶ ὡρισμένος τόπος (ad Ε 99 .... οὐ μέρος ὡρισμένον) [1]). Schol. B contra et Eustathius ad Ε 99 „γύαλον δὲ τὸ περὶ τὸν ὦμον

1) Etiam Pollux in Onomastico I 134 θώρηξ καὶ τὰ μέρη τοῦ θώρακος πτέρυγες καὶ τὸ μέσον αὐτοῦ γύαλον. Haec, quamquam γύαλον hic dicitur *pars* thoracis, quoniam ei opponuntur πτέρυγες i. e. virgulae aëneae ab imo thorace dependentes, cf. Xenophon de re Equestri 12. 4, quas Homerus non cognovit, non differunt ab eo quod habet Schol. A ad Ο 529.

κοῖλον τοῦ θώρακος μέρος". Eis ergo *γύαλον* rursus est pars thoracis, sed alia quam Pausaniae. Atque Aristarchi explicatio petita esse videtur e propria vi vocis *γύαλον*, nam ad E 99 totidem verbis *γύαλον τὸ ὅλον κύτος τοῦ θώρακος* διὰ τὴν κοιλότητα, inquit. Itaque scholia B, Eustathius, Pausanias magis spectasse videntur quid singulis locis poetae sententia, qualem sibi informassent, requireret. Haud dubie ergo is quoque qui vocem *γυαλοθώρηξ* invenit — nam Pausanias eam male intellectam recepisse videtur, etenim ex usu graeco *γυαλοθώρηξ* non est cuiusdam modi thorax, sed is qui eiusmodi thoracem induit — sed quisquis invenit rursus ex solo Homero hausit. Iamvero nullus est apud Homerum locus, qui ansam det cogitandi de thorace constructo e partibus quae *γύαλα* appellentur nisi O 529 sq., ubi legimus *πυκινὸς δέ οἱ* — i. e. Megeti, Phylei filio — *ἤρκεσε θώρηξ, τὸν ῥ' ἐφόρει γυάλοισιν ἀρηρότα*, ne ullus quidem praeterea locus est, ubi *γύαλον* plurali numero occurrat. Nisi igitur hic locus ei ob animum versatus esset, vix Pausanias Phorcyni thoracem tribuisset qualem in tabulis pictis conspexit, de illo enim hoc tantum legimus, P 314 *ῥῆξε δὲ* (Aiax Telamonius) *θώρηκος γυάλον*; vix illius thoracis partes *γύαλα* dici contendisset. Megetis autem thorax quamvis propter ea quae adduntur aëneus fingi videatur, magni enim esse pretii decus et tutamen in armis a patre filio traditum, quod nisi de thorace aëneo accipitur vix intelligitur, tamen ex verbis *γυάλοισιν ἀρηρώς* id non sequitur, nam *ἀρηρώς* etiam „instructus" esse potest [1]); quomodo autem thorax *γυάλοις* instrui potuerit, ita ut non ex eis confectus esset, mox ostendere licebit. Sed fac revera poëtam nostrum voluisse thoracem qualem descripsit Pausanias, tamen sciri non potest utrum ipse probe noverit id quod depingeret, an coniectura id sibi informaverit ex aliis apud Homerum locis, ubi *θώρηκος γύαλον* commemoratur, quos nihil prohibet aut omnes aut nonnullos vetustiores credere quam locum O 259 sq. Nam hoc tenendum, quo solo loco praeter hunc describitur *θώρηξ*, i. e. Λ 19 sqq., *γυάλων* mentionem non fieri. Neque tabulae pictae, quas laudat Pausanias, hac in

---

1) Cf. M 55, 56 *ὕπερθεν δὲ σκολόπεσσι ὀξέσιν ἠρήρει*, Ξ 181 *ζώνῃ ἑκατὸν θυσάνοισ' ἀραρυῖα*.

re ullius momenti sunt; nam quamquam in vasis pictis aliisque artis monumentis abinde saeculo a. Chr. n. VII cerni videntur imagines thoracum e duabus laminis aëneis confectorum, nusquam tamen apparere vidimus has audisse *γύαλα*. Unde sequitur ut nequaquam cogamur in investigando usu vocis *γύαλον* Pausaniae loco tamquam fundamento uti.

In sepulchris Mycenaeis inventae sunt laminae aureae tenues, manifesto confectae hoc consilio ut cum mortuis deponerentur, quas acute Reichel suspicatus est [1]) simulacra esse laminarum graviorum haud dubie ex aere confectarum, quas bellatores praesidii causa tunicis insutas haberent, ut pectus eis tegeretur [2]). Itaque credere licet eiusmodi laminas pectorales auctores quoque cognovisse Iliadis et Odysseae, et cum Achivos vocarent *χαλκοχίτωνας*, id quod in Iliade semel et vicies, in Odyssea bis usu venit, aut omnes aut antiquissimos eorum spectasse tunicas illis ornatas. Nam vocem *χαλκοχίτων* non opus esse ut interpretemur „qui habet vestitum aëneum", sed interpretari licere „qui habet vestitum aere instructum" docet comparatio verborum *ἀμιτροχίτων*, *φοινικοπάρῃος*, *ψαλιδόστομος*, *τερατωπός*, *ἱπποκέλευθος*, *ἱππόμαχος*. Eodemque referre licet *χαλκεοθώρηξ* Δ 448 Θ 62, *χάλκεος χιτών* N 439 sq., *χάλκεος θώρηξ* N 371 sq. 397, Ψ 560. Horum locorum postremo ea quae adduntur *ᾧ περὶ χεῦμα φαεινοῦ κασσιτέροιο ἀμφιδεδίνηται* de thorace aëneo docent sermonem esse, ceteris, per se spectatis, nihil vetat intellegere tunicas munitas laminis aëneis [3]). Nam voce *χάλκεος* non utique significari res totas ex aere confectas documento est *χάλκεον ἔγχος* Π 308, *δόρυ χάλκεον* Π 603, 808 alia eiusmodi; ut *ἀργύρεος τελάμων* Λ 88 Σ 480, est fascia argento constrata, neque alius generis sunt frena, calcei, cingula quaecunque argentea

---

1) H. W.² p. 94.

2) Eiusmodi laminae aëneae inventae sunt permultae in vetustissimo sepulchreto prope Noricam antiquam, figuris geometricis et animalium imaginibus ornatae, quas Ridgeway v. cl. (the early Age of Greece p. 421) non dubitat huc referre.

3) Nihilominus ob rationes huc non pertinentes (vid. infra § 14) mox apparebit Θ 62 et N 439 agi de thoracibus aëneis. Locum Δ 448 sq. interpolatum esse censeo, vix enim ac ne vix quidem ferendum est quod ibi legitur *ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι ἔπληντ' ἀλλήλοισι*, postquam versu superiore idem iam significatum est verbis *σὺν ῥ' ἔβαλον ῥινούς*.

vel aurea apud Homerum nominantur. Porro de laminis pectoralibus cogitare licet, ubi legimus de Diomede Δ 420 δϝεινὸν δ' ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσι ϝάνακτος et P 605 sqq., ubi frangitur hasta Idomenei percusso Hectoris thorace κατὰ στῆθος παρὰ μάζον et Δ 489, ubi Antiphus, Π 173 ubi Menesthius vocatur αἰολοθώρηξ [1]). Sed θώρηκας λαμπρὸν γανάοντας N 265 et νεοσμήκτους N 342 magis placet pro thoracibus aëneis habere [2]). Laminas autem illas constat forma quadam convexa fuisse, licebat igitur eas appellare γύαλα idque factum esse potest N 586 sq., ubi Helenus Menelaum κατὰ στῆθος 'βάλεν ἰῷ θώρηκος γύαλον, ἀπὸ δ' ἔπτατο πικρὸς ὀιστός. Neque repugnant huic rationi per se spectati θώρηκες κραταιγύαλοι T 361 [3]). Sed O 529 vidimus de thorace aëneo agi (p. 111). Ab altera parte, sententia loci pertractati de Diomede cuius percutitur θώρηκος γύαλον E 99, 189 non modo neque requirit ut γύαλον aliquid aënei sit, neque sinit — id quod demonstravimus — ut heroem saucium fingamus indutum thorace aëneo, sed obstat quoque ne credamus illa voce ibi laminam significari pectoralem. Nam ut omittam vix posse sagittam eminus missam transfigere simul et laminam aeneam, saltem, cum lamina pectoralis percussa esset, pectus Tydidis ut Menelai N 587 vulnerari necesse erat. Et potuit quidem, si rem per se spectas, sagitta pectus simul et humerum perfodere — cf. Δ 480 'βάλε παρὰ μαζὸν δεξιόν, ἄντικρυς δὲ δι' ὤμου χάλκεον ἔγχος ἦλθε — sed illud vulnus non licebat non letiferum esse. Quapropter nostro loco Aristarchum secuti γύαλον esse κύτος sive κοίλωμα sumsimus, id autem est, cum de tunica agatur, quod nihil moramur non vidisse Aristarchum, tunicae sinus. Atque reliquis locis apud Homerum, ubi θώρηκος γύαλον occurrit, qui duo modo sunt, inter se non diversi, quorum altero, a Pausania laudato, Phorcys ab Aiace vulneratur, altero Oenomaus ab Idomeneo, minime inepta est eadem ratio. Legitur enim N 507, P 314 'ρῆξε δὲ (Idomeneus vel Aiax) θώρηκος γύαλον, διὰ δ' ἔντερα χάλκος ἤφυσε. Itaque propter sen-

1) Attamen P 605 agi de thorace aëneo, contra Δ 489 fieri non posse ut spectetur thorax aëneus, infra § 14 apparebit.

2) Alia accedere quibus haec ratio confirmetur videbimus infra § 14.

3) Hic tamen rursus agi de thorace aëneo ostendam infra § 14.

tentiam loci non opus est ut γύαλον sit aëneum. Versu autem superiore N 506, P 314 vulnus inflictum esse dicebatur μέσην κατὰ γαστέρα. Itaque de laminis pectoralibus vix hic sermo esse potest, his enim perfractis non venter vel stomachus vulneraretur. Ab altera parte E 537 Agamemnon Deïcoontem perfodiens, atque pariter E 615 Amphium Aiax, P 517 Automedon Aretum, hastam νειαίρῃ ἐν γαστέρι διὰ ζωστῆρος ἔλασσεν. Quodsi autem balteo transfixo vulneratur νείαιρα γαστήρ, sinus tunicae scindi potest, ita ut vulneretur γαστὴρ μέση [1]).

Ceterum, quod verborum θώρηκος γύαλον interpretatio diversis locis differt, facile sic explicatur ut recentiores poëtas vetustior usus fefellerit.

§ 2.

Δ 152 sqq. (Υ 414 sq.) θώρηξ intellegendus est tunica lintea.

Nunc alterum locum afferam, ubi vox θώρηξ eodem modo intellegenda videtur atque in Diomedis vulneratione modo pertractata.

Menelao adest Minerva ne letale ei vulnus infligat Pandarus; sagittam eius Δ 132 sq. dea eo intendit ubi ζωστῆρος ὀχῆες χρύσειοι σύνεχον καὶ δίπλοος ἤντετο θώρηξ. Neque aliter Achilles hasta Polydorum ferit Υ 414 sq., ubi ζωστῆρος ὀχῆες χρύσειοι σύνεχον καὶ δίπλοος ἤντετο θώρηξ.

Quod utroque hoc loco thorax duplex esse dicitur Helbig v. d. sic explicat [2]), ut, qualem fingere vidimus Pausaniam, ex duabus constiterit partibus aëneis, altera pectus et uterum, altera tergum tegente, quarum ab utroque latere altera alteri superimposita esset. Sed hoc non recte se habere vidit Reichel [3]), nam uterque thorax, Menelai volo et Polydori, ibi duplex fuisse dicitur ubi percuteretur, Polydorum autem a tergo vulnerari patet, quoniam hasta exit per umbilicum Υ 416, et Atridae femur utrumque conspergitur sanguine Δ 146 sq., is

1) Attamen utroque loco intellegendum videri thoracem aenëum propter causas e comparatione aliorum, quibuscum cohaerent quae illic narrantur, petitis vide infra § 14.

2) Das Epos aus den Denkmälern erläutert p. 286 sq.

3) H. W.² p. 65.

ergo in ventrem vulnus accepit [1]). Neque fingendae thoracis partes ita commissae ut in longum pectoris ventrisque et tergi altera pars alteri superducta sit; nam non tantum repugnat quidquid de thoracum fabrica ab antiquis discimus [2]), verum ipsa res absurda.

Sed ad Δ 133 legimus in schol. A *ὅθι καθ' ὃν τόπον ἐζώννυτο διπλοῦς ἦν ὁ θώραξ καθὸ ὑπεβέβλητο τῷ στατῷ θώρακι τὸ λεγόμενον ζῶμα καθῆκον μεχρὶ τῶν γονάτων ἀπὸ τῶν λαγόνων* et eodem modo paulo brevius ad Υ 415 *ὅτι κατὰ τὴν τοῦ ζώματος ἐπιβολὴν πρὸς τὸν στατὸν διπλοῦς ἦν ὁ θώραξ*, unde sequitur ut Aristarchus *τὸ ζῶμα* quod commemoratur Δ 187, 216 thoraci aeneo („*τῷ στατῷ*") suppositum, pro eius parte habuerit, ceteroquin nullo iure thoracem ibi duplicem esse dicens, ubi illud eum tangeret. Convenit quod est in schol. A ad Δ 187 *ὅτι τοῦ ζώματος μνησθεὶς παραλέλοιπε τὸν θώρακα ὥστε ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δεδηλῶσθαι*. Itaque Lehrs v. d. putat [3]) *τὸ ζῶμα* esse cinctum aëneum thoraci affixum [4]). Mitto quod cinctum aëneum fuisse *τὸ ζῶμα* in scholiis neque legitur, neque quadrat in id quod legitur: *τὸ ζῶμα καθήκειν μέχρι τῶν γονάτων ἀπὸ τῶν λαγόνων*. An fingere licet cinctum aeneum ad genua ab ilibus pertinens? Sed praeterea schol. A ad Κ 77 haec habet: *ζῶμα καλεῖ τὸ συναπτόμενον τῇ μίτρᾳ ὑπὸ τὸν στατὸν θώρακα*, et ne propterea thoracis pars *τὸ ζῶμα* esse negetur, cautum videtur in schol. A ad 187 verbis his: *ἡ δὲ μίτρα τούτῳ προσῆπται τῷ θώρακι*. Lehrs haec verba et quae in eodem scholio sequuntur „corrupta et suppositicia" censet, damnatque in schol. A ad Κ 77 verba *τῇ μίτρᾳ*. At quamvis infitiari non

1) Ipse Helbig parum sibi constans l.l. p. 293 Menelai vulnus appellat „eine Bauchwunde".

2) In monumentis saeculorum a. Ch. n. VI et V minime rarae sunt loricarum imagines conexarum a fronte. Sed earum margines hamis et anulis commissae, non sibi superimpositae sunt.

3) Arist.² p. 122.

4) Congruere videtur Hesychius: *ζῶμα ᾧ ἐπάνω τοῦ θώρακος ἐχρῶντο*. Sed Apollonius: *ζωστὴρ ὁ ἐπάνω τοῦ θώρακος ᾧ χρῶνται*. Et vide ne apud Hesychium confundantur *ζῶμα* et *ζωστήρ*, ut ab Eustathio haec proferente (ad Δ 163): *ᾧ* (i. e. *θώρακι*) *ὑπόκειται ἢ ὑποβέβληται ζωστὴρ ὃς κατά τινας ζῶμα ἐλέγετο*. Teste nimirum schol. A ad Δ 133 (collato schol. ad Δ 187) *ὁ ζωστὴρ ἐπίκειται, τὸ ζῶμα ὑποβέβληται*. Atque Arist. in schol. A ad Κ 177 animadvertit *δοκοῦσι ταὐτὸν εἶναι ζῶμα καὶ ζωστήρ, οὐκ ἔστι δέ*

liceat partem schol. A ad Δ 187 mutilam esse aptamque sententiam non praebere [1]), violentam tamen Lehrsii medicinam non ausim probare. Nam in scholio mutilo manifesto tamen *μίτρα* et *ζῶμα* coniunguntur idque scholion et verba *τῇ μίτρᾳ* in schol. A ad K 77 sibi mutuo praesidio sunt. Praeterea ab Eustathio quoque ad K 77 discimus: *ζῶμα μέντοι τὸ τῇ μίτρᾳ συναπτόμενον*. Convenit quod Δ 187, 216 mitra et zoma coniunguntur etiam a poeta. Statuendum igitur, Aristarchum non zoma solum pro parte thoracis habuisse sed zoma una cum mitra, neque cum illo Lehrsium, ut sibi videtur, consentire sed revera ab eo discrepare. At Aristarchus a poeta redarguitur. Nam Δ 136, 137 thorax et mitra distinguuntur.

Ceterum verba *δίπλοος θώρηξ* schol. B ad Δ 133, postquam pluribus verbis quam A, sed eodem modo explicavit, haec addit: *ἢ οὕτως· τὰ πρὸς ταῖς λάγοσι μέρη τοῦ θώρακος διὰ τὸ μὴ συνδεδέσθαι ἀλλήλοις πτερύγια καλεῖται· ταῦτα δὲ ἐπιτιθέμενα μόνον ἀλλήλοις καὶ συσφιγγόμενα ὑπὸ τοῦ ζωστῆρος διπλοῦν ἔκεισε τὸν θώρακα ἀπεργάζονται.* Ipsa rursus interpretationis varietas testatur, id quod etiam antea animadvertimus, nullam apud antiquos constitisse de thorace Homerico sententiam. In hac autem altera explicatione [2]) *τὸ ζῶμα* nullo loco est, *πτερύγια* autem i. e. virgulae aëneae ab imo thorace dependentes, propterea quod balteo constringantur ideoque inter se implicentur [3]) thoracem duplicem facere censentur. Sed thoracis appendix illa, posteriore tempore usitatissima, apud Homerum nusquam apparet. Praeterea nemo videt cur virgulae illae, etiamsi balteo constringantur, propterea necessario aliae super alias sitae sint cogitandae.

---

1) Totum scholion hoc est: *ὅτι τοῦ ζώματος μνησθεὶς παραλέλοιπε τὸν θώρακα ὥστε ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δεδηλῶσθαι· ἡ δὲ μίτρα τούτῳ προσῆπται τῷ θώρακι· „καὶ ζῶμα φαεινόν"* (ξ 483) *διὰ τὸν χαλκόν. ἡ μίτρα οὖν ἔσωθεν ἐριώδης ἐστὶ περὶ τὴν ἐπιφάνειαν χαλκῆ ὑπάρχουσα.* In his neque verba *ἡ δὲ μίτρα τούτῳ προσῆπται τῷ θώρακι* apte cohaerent aut cum praecedentibus aut cum sequentibus, neque verba *ἡ μίτρα οὖν ἔσωθεν ἐριώδης ἐστὶ περὶ τὴν ἐπιφάνειαν χαλκῆ ὑπάρχουσα* quadrant cum praecedentibus. Sed decurtata potius quam spuria esse videntur.

2) Utramque explicationem etiam Eustathius ad Δ 133. Ad Υ 415 scholia modo hoc: *διπλοῖ δ' ἦσαν οἱ θώρακες κατὰ τὸν τοῦ ζωστῆρος τόπον.* Eustathius nihil.

3) Eustathius l. l. *πτυχθέντα καὶ οὕτως ἀλλήλοις ἐπιφερόμενα καὶ τῷ ζωστῆρι σφιγγόμενα διπλοῦσιν ἐκεῖ τὸν θώρακα.*

Iam vero omnino de thorace aëneo ne cogitemus in Menelai vulneratione non pauca obstant. Nam Polydori caedis narrationem, cum neminem fugiat centonem esse et ineptissime in tergo positae baltei fibulae auctorem arguant, qui, aliena imitatus, non sibi proponeret quae narraret, mittimus, unice alteri loco operam daturi.

Et primum quidem, quo intellegatur thorax aëneus ibi duplex esse ubi ventrem tegat, e superioribus apparuit nihil superesse nisi ut pro thoracis parte habeatur *τὸ ζῶμα* sive ipsi thoraci, i. e. thoracis parte superiori, affixum sive minus, ita vero illi aut subiectum aut superimpositum, ut pro parte aut eo tegeretur aut eum tegeret.[1]). Sed ea vocis *ζῶμα* sententia mera nititur coniectura. Ab altera parte, cum duo tantum loci sint ubi *ζῶμα* recurrat ψ 683, ξ 482, ex illo veri similiter efficias nihil aliud id esse nisi subligaculum, postea *περίζωμα* dictum [2]), quod non necessario ad thoracem pertineat. Ibi enim Euryalo caestibus pugnaturo, thoracis igitur minime indigenti, Diomedes *περικάββαλε ζῶμα*. Neque obstat alter locus ξ 482; ibi enim Ulixes narrat quantum frigoris toleraverit in nocturnis insidiis *σάκος οἶον ἔχων καὶ ζῶμα φαεινόν* [3]).

Tum vero in eo haeremus èt quod Menelaus vs. 187 balteum, zoma mitram se servasse dicit èt praesertim, quod Machaon vs. 216 ad vulnus inspiciendum ea solvere narratur, nulla thoracis aënei mentione facta. Nam quod Aristarchus vult *ζῶμα* pro thorace i. e. partem pro toto nuncupari [4]), id,

---

1) Furtwängler v. d. Olympiae inter alia saeculi septimi a. Ch. n. arma èt thoracum aëneorum partes invenit èt fragmenta cinctuum aëneorum iunctorum anulis, quos ille tegimenta ventris fuisse putat, tunicae balteo hamorum ope sub thorace affixis (cf. Furtwängler, die Bronzen v. Olympia 1890 p. 158). Hoc autem noster poeta si voluisset, vix omisisset illum commemorare balteum. Nam balteus quem commemorat thoracem circumdat, cf. infra p. 118 sq..

2) Scholia ad ψ 683: *ἡ διπλῆ πρὸς τὸ πάλαιον ἔθος ὅτι ἐν ἑνὶ περιζώματι ἠγωνίζοντο.* Etiam posteriores quamquam *τὸ ζῶμα* non usurpabant subligaculum, nihilo magis ad thoracem referebant, nam aut *χιτὼν ζωστός* eis erat (cf. i. a. Phot. s. v. Menandrum p. 153 Meinek.) aut *ζωστήρ* (sic Sophocl. El. 144 et aliis multis locis).

3) Vide infra p. 121.

4) Schol. ad Δ 135: *ἀμφότερα δὲ ταῦτα (τὸν στατὸν καὶ τὸ ζῶμα) καλεῖ διόπερ ὅταν τοῦ ἑτέρου μνησθῇ τὸ ἕτερον παραλείπει*, et ad Δ 187: *τοῦ ζώματος μνησθεὶς παραλέλοιπε τὸν θώρακα ὥστε ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δεδηλῶσθαι* (vide supra p. 115) Apollon. p. 382: *ζῶμα δὲ καὶ αὐτὸς ὁ θῶραξ.* Tacent Schol. B et Eustathius.

etiamsi detur zoma thoracis partem esse, difficultatem magis eludit quam vincit; profecto enim durissimum. Nam si thorax ibi duplex erat ubi Menelaus vulnerabatur et propterea duplex, quod thorax proprie sic dictus et zoma sibi superducta erant, non sufficiebat alterum solvere, sed uterque solvendus erat.

Porro mitra, sive cum Aristarcho eam quoque, poëta invito, pro parte thoracis habes, sive cum Lehrsio alia omnia censes, hic parum convenit. Quis enim sibi persuadeat, quemquam indutum thorace aëneo, eoque duplici in ventre, ipso hoc loco illi subiecisse cingulum quod χαλκῆες 'κάμον ἄνδρες (vs. 187), i. e. cingulum aëneum? Frustra autem ubi heröes thorace aëneo se induere narrantur Γ 332, Λ 19 sqq., Π 132 sqq., Τ 361 sqq. [1]), qua in re imprimis conferatur ampla thoracis Agamemnonis descriptio Λ 19 sqq., vel ubi Vulcanus Achilli arma fabrefacit Σ 480 sqq., mitrae vestigium quaeras, atque ab altera parte, quibus solis apud Homerum locis mitra recurrit: Ε 407, ubi Oresbius ab Hectore occisus dicitur αἰολομίτρης et Ε 587, ubi Mars a Diomede vulneratur ὅθ' ἐζωννύσκετο μίτρην, de thorace omnino sermo non est. Ut in imaginibus quoque monumentorum Mycenaeorum compluribus mitra conspicua est, in nulla thorax [2]) inque multis sepulchris mitrarum fragmenta inventa sunt, sed in nullo simul cum thorace aeneo [3]). Mitra autem Menelai dicitur fuisse „telorum praesidium, quod omnium maxime eum tueretur" (vs. 183). Immerita laus, credo, si thorax aëneus duplex eam tegeret. An acquiescis in eo quod exhibet schol. B ad Δ 133: „ὅτι δυσπαθέστερα τῶν ἀντιτυπούντων τὰ ὑπείκοντα"? Quid autem quod mitram simul et thoracem duplicem (i. e. ipsum thoracem et zoma) et baltei fibulas aureas perfoderit sagitta eminus missa (vs. 135 sqq.)? Ecquis negaverit id omnem superare fidem?

Postremo loco non minus quam mitra offendit ζωστήρ i. e. balteus qui commemoratur vs. 132, 136, 186, 213, 215. Succingitur tunica, non thorax aëneus. Neque propter ensem balteo opus erat, ensis enim pendebat ἐκ τελαμῶνος, quem sustinebat

1) Vide § 6.
2) Reichel H. W.² p. 91.
3) Helbig l.l. p. 291.
4) Mitram scholiasta, nescio an recte, plumbeam finxisse videtur.

humerus dexter [1]). Quod autem scholia ad K 77 post haec quae ex iis supra attulimus — *ζῶμα καλεῖ τὸ συναπτόμενον τῇ μίτρᾳ ὑπὸ τὸν στατὸν θώρακα* — hoc proferunt: *τὸ δὲ ἔξωθεν συνδοῦν πάντα ζωστῆρα* [2]), neque apud ipsum Homerum ullo modo magis quam mitrae baltei mentio fit ubi milites finguntur thoracem aëneum induentes Λ 19 sqq. T 361 sq. (= Γ 132 sq. Π 133 sq.), neque Vulcanus Achilli argenteam cudens fasciam ad clipeum sustinendum Σ 480 balteum addit quo thorax constringatur, neque certum ullum baltei vestigium produnt quicumque thoraces in sepulchris inventi sunt [3]), vel quorum imagines artis monumenta nobis reliquerunt [4]), neque illum usum commemoraverunt qui vidissent quae describerent. Sed fibulis iunctas fuisse thoracum antiquorum aëneorum partem anticam et posticam, cum Pausanias vidit in tabulis pictis Polygnoti et Calliphontis tum confirmatur omnibus quae thoracum aëneorum supersunt documentis [5]). At cur non potuerit, inquis, Menelaus thorace aëneo cinctus praeterea induere tunicam? Potuit sane, sed tunica thoraci subest, non thorax tunicae, primum igitur, non ut est Δ 136, post balteum sagitta thoracem perfodisset. Accedit, quod statim post vulnus inflictum (vs. 151) sagitta hamos, quos vs. 214 legimus in balteum penetrasse, Atrides e cute cernit eminentes, quod cerni prohibebat thorax aëneus. Versum 214 auctore Heynio v. cl. complures vv. docti eiecerunt. Sed satius erit propter cetera *παράδοξα* medicinam quaerere quae omnibus simul prosit.

Thoracis mentionem nostro loco interpolatori deberi nemo arbitrabitur, qui reputaverit vss. Δ 132, 133 salvo ceterorum

1) Ξ 404 et passim.

2) Sic apud Apoll. l.l. *ζωστὴρ ὁ ἐπάνω τοῦ θώρακος ᾧ χρῶνται.* Eustathius ad K 75: *ἔστι δὲ καὶ νῦν* (i. e. etiam nostro loco, ut patet e superioribus) *ζωστὴρ ὁ ἔξω τὰ ὅπλα συνδῶν.* Eodem modo scholia B ad Δ 133.

3) In uno sepulchro Italico inventa sunt simul cum thorace aëneo fragmenta duorum balteorum, sed haec res non eiusmodi est ut inde certi quidquam concludere liceat; cf. Helbig l.l. p. 291.

4) In paucis quibusdam militum thoracatorum imaginibus depictis in vasis septimi a. Chr. n. saeculi balteum sibi cernere videtur Helbig. Sed nescio an potius ima pars tunicae brevis significetur; cf. Mittheil. des Arch. Inst. in Athen III 1878 T. I. 2, Helbig l.l. p. 289.

5) Cf. Helbig l.l. p. 294.

contextu deleri non posse, cum praeterea eos tueatur, quod redeunt Υ 414 sq. Sed Reichel [1]) eicit vs. 136 „καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο, quae eadem verba leguntur praeterea Γ 358 Η 252 Λ 436, neque dubitat [2]) quin vs. 133 verbis δίπλοος θώρηξ significentur coniuncte balteus (ζωστήρ) et mitra, quippe cum censeat vir doctus voce θώρηξ indicari quodcunque corpori praesidio sit. At generalis ille usus vocis θώρηξ, quem Reichel probare studet, sine certis exemplis est [3]), neque igitur eo tanquam ultimo auxilio utendum videtur, nisi omnibus aliis frustra temptatis unice aptam sententiam praebeat; Robert voce θώρηξ nostro loco loricam sive scorteam sive laneam significari putat [4]) et θώρηκα δίπλοον loricae sinum esse censet [5]). Mitto quod apud posteriores aetate Graecos lorica scortea est σπολάς, lanea πίλιον, neutra θώραξ vocatur, apud Homerum neutrius praeter hunc locum vestigium cernitur. Sed magnopere vereor ut contortius sinus loricae δίπλοος θώρηξ dicatur. Praeterea autem poëta distincte significat ibi thoracem duplicem fuisse ubi baltei fibulae conexae essent, at nullius vestimenti sinus sub balteo est, quo succingitur, sed supra balteum; porro balteus nihilo magis loricae quam thoraci aëneo convenit, neque propter ensem requiri balteum iam supra monui, tunica autem Menelaus si praeter loricam utebatur, balteus illi circumdatus hac tegebatur, neque inde huius sinus existere potuit.

---

1) H. W.² p. 89.

2) H. W.² p. 37 sqq.

3) Nostro enim loco et duobus locis (Δ 448 Θ 62) ubi vox χαλκεοθώρηξ occurrit, neque vetat quidquam neque tamen cogit generalem usum accipere. Sed plerisque locis, quibus Reichel eum cernere sibi videtur, eiusdem generis sunt atque loci Ε 99, 100, 189, de quibus supra egi p. 107. In quo numero sunt Ε 537, Λ 234 (de quo vide infra § 3), Ν 371, Ρ 517, 606. Restat unus locus ubi paulo aliter res se habet, Σ 460. Ibi Thetis a Vulcano petit ἀσπίδα καὶ τρυφάλειαν καὶ καλὰς κνημῖδας ἐπισφυρίοις ἀραρυίας, καὶ θώρηκα. Secundum Reicheli rationem, scutum, galeam, ocreas, aeque recte voce θώρηξ indicare licet atque mitram, quam solam hic ea significari censet vir doctus. At ferri nequit vox generalis reservata ad unum aliquid indicandum e cunctis in quae quadret, ceteris suo nomine peculiari appellatis. Porro Reichel opinatur cum θωρηκτής sit universe *armatus* et θωρήσσειν *armare*, sic quoque probari usum generalem vocis θώρηξ. Neque tamen sequitur, etiamsi in verbis illis eius usus vestigia remanserint, ut non ipse tamen Homeri aetate exoleverit. (Vide nos infra § 7).

4) l.l. p. 42.

5) l.l. p. 39.

Sed Reichel Menelaum negat [1]) indutum fuisse tunica idque propterea quod eius femora, tibiae, surae sanguine conspiciebantur maculata (vs. 140 sqq.). At nihil vetat credere tunicam, succinctam praesertim, breviorem fuisse quam quae tibias et suras tegeret, hae autem sanguine conspergi non poterant, quin ad eas per femora sanguis deflueret. Quod autem Reichel vult balteo opus fuisse ad continendum zoma manifesto non recte se habet. Duos tantum praeter nostrum apud Homerum locos esse vidimus ubi zoma occurrat, ψ 683 et ξ 483, e quibus verisimiliter effici ipse Reichel auctor est nihil aliud esse nisi subligaculum. Iamvero ad subligaculum continendum sufficiebat mitra. An veri simile est antiquos milites mitram subdidisse subligaculo, ita ut propter hoc alterum etiam cingulum requireretur? Ipsa vox „fulgens", addita ξ 482, quae subligaculo per se spectato minus convenit, pro documento esse videtur voce ζῶμα ibi mitram simul et subligaculum indicari, eaque necessario cohaerere [3]). Atque vox αἰολομίτρης (E 507) ostendit mitram, nonnumquam saltem, i. e. cum non tegeretur tunica, conspicuam fuisse.

Propter balteum igitur Menelaus nostro loco videtur tunica indutus fingi. At si ipse θώρηξ nostro loco quemadmodum loco supra tractato, ubi de Diomede agitur, pro tunica habetur, omnes evanescunt difficultates. Nam tunica subducta sub balteo triplex est; at id quod triplex est, etiam est duplex, tunica autem subducta propterea triplex est quod simplici, qualis est supra et infra balteum, sub balteo accedit ruga quae ipsa est duplex. Hanc igitur rugam significavit poëta verbis δίπλοος θώρηξ, hanc occurrisse sagittae eius intererat commemorare. Fibulas aureas baltei quo tunica succincta erat, tunicam ipsam mitram sagitta perforavit, e quibus merito mitra ἣν χαλκῆες 'κάμον ἄνδρες praecipuum telorum munimentum audit.

---

1) H. W.² p. 91.

2) Tunica ita brevis ut femora nonnisi pro exigua parte tegat cernitur in vase quod Mycenis invenit Tzundas v. d. (cf. 'Εφάρχ. 1891 πιν. 3). Sed haec succincta non est.

3) Ita censuisse videtur auctor scholii A mutilati ad Δ 187 (vide nos p. 116 in ann.) ubi legimus: „καὶ ζῶμα φαεινόν" (ξ 483) διὰ τὸν χαλκόν. ἡ μίτρα οὖν ἔσωθεν ἐριώδης ἐστὶ περὶ τὴν ἐπιφάνειαν χαλκῆ ὑπάρχουσα.

Hanc loci interpretationem versu 136 carere non posse perspicuum est. Sagittas autem hami, qui in balteum penetraverant, extra cutem esse quominus cerneret Menelaus, tunica non obstabat, quippe quae a collo satis ampla esset qua introspiceretur. Tunicae quod mentio non fit ubi Machaon vulnus inspicit, non habet quod offendat, balteo enim soluto nihil negotii erat eam tollere; neque eam desiderabit quisquam ubi balteum mitram subligaculum se servasse Menelaus ait; subligaculum autem, quod non maioris quam tunica momenti erat ad sagittam arcendam et omittitur vs. 133, 134 ubi sagittae vis depingitur, non mirum tamen est vs. 187, 216 simul cum mitra commemorari, quoniam ei affixum eiusque velut appendix erat.

§ 3.

Λ 234 sq. *θώρηξ* intellegendus est tunica lintea.

Tertius locus ubi voce *θώρηξ* tunica significari videtur est hic.

Iphidamantem hasta petens Agamemnon non attingit; Iphidamas vero Λ 234 sq. „*κατὰ ζώνην, θώρηκος ἔνερθε 'νύξ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἔρεισε βαρείῃ χειρὶ πιθήσας· οὐδ' ἔτορε ζωστῆρα παναίολον, ἀλλὰ πολὺ πρὶν ἀργύρῳ ἀντομένη μόλιβος ὣς ἐτράπετ' αἰχμή.*"

In schol. A ad hunc locum legitur „*ὅτι οὐ λέγει θώρακος ἀλλὰ κατὰ ζώνην θώρακος, τὴν θωρακοζώνην λεγομένην· τὸ δὲ ἔνερθεν εἰς τὸ κατὼ μέρος τῆς θώρακος ζώνης· ὡς ὅταν λέγῃ· „'νύξε δέ μιν κατὰ χεῖρα μέσην ἀγκῶνος ἔνερθεν*" vs. 252 [1]). Prior pars huius scholii non convenit cum altera, nam in illa *θώρηκος* et *ἔνερθε* separantur, coniunguntur autem verba *κατὰ ζώνην θώρηκος*, in altera autem parte coniunguntur verba *ἀγκῶνος ἔνερθε*. Quam discrepantiam censet Lehrs [2]) non Aristarcho sed Aristonico imputandam esse. Recte id vidisse virum doctum opinor, sed eadem ratio qua in hanc sententiam adducor obstat quominus illi dem Aristarchum *ζώνην* vs. 234 et *ζωστῆρα* vs. sequenti pro eodem habuisse. Nam Apollonius in lex. (p. 382): *ζώνη·*

---

1) Idem aliquanto brevius in schol. B *οὐ τὸν θώρακα δηλοῖ, ἀλλὰ τὴν καλουμένην θωρακοζώνην, τὸ δὲ 'ένερθε εἰς τὸ κάτω μέρος αὐτῆς*, cetera conveniunt.

2) l.l. p. 123.

3) Quod non fecit Apollonius, nam ita pergit: *λέγεται δὲ ζώνη καὶ ᾗ ζωννύμεθα.* „*ζώσατο δὲ ζώνην*" (Ξ 181) *καὶ* „*ζώνην θώρηκος 'ένερθε*" (Λ 234),

ὁ περὶ τὸν γαστέρα τόπος ὃν οἷόν τε ζώννυσθαι, is autem qui huius interpretationis auctor illi fuit, si eam nostro loco adhibuit non potuit non coniungere *θώρηκος ἔνερθε*, solus autem is qui ita coniunxit convenienter sibi afferre potuit exempli causa *ἀγκῶνος ἔνερθε*. Credibile ergo est eundem qui alterius partis scholii nostri auctor fuit, is vero haud dubie fuit Aristarchus [1]), Apollonio auctorem fuisse. Quoquo modo autem haec res se habet, recte nostro loco *ζώνην* ita accipi ut sit *ὁ περὶ τὸν γαστέρα τόπος*, inde patet, quod *ζώνη*, ceteroquin apud Homerum nonnisi feminis tributa, quo solo praeter nostrum loco viro adscribitur, B 479 eandem illam contextus interpretationem requirit [2]). Vox *θωρακοζώνη* igitur, quamvis eam *λεγομένην* [3]) dicat schol. quasi in communi usu versata fuerit, procul dubio tantum apud Homeri interpretes vulgata erat e nostro loco perperam derivata.

Videamus nunc de verbis *θώρηκος ἔνερθε*. Quae Reichel [4]) et Robert [5]) ut rite coniungunt, ita non audiendi sunt *ἔνερθεν* interpretantes *infra*, et frustra negantes *ἀγκῶνος ἔνερθεν* esse posse *εἰς τὸ κατὼ μέρος τοῦ ἀγκῶνος*. Nam contra notissimum est adverbia loci Graece saepe cum genetivo partitivo, qui dicitur construi, et *ἀγκῶνος ἔνερθε* vs. 152, nisi est „in inferiore parte cubiti" nihil est, praecedunt enim verba *κατὰ χεῖρα μέσην*. Reichel quomodo *ζώνην* accipiat non patet; Robert, quem ad modum est in schol. interpretatur *balteum*, ita ut idem valeat atque *ζωστήρ* vs. sequenti. Sed recte Reichel et Robert negant *θώρηκα* nostro loco esse thoracem aëneum. Hasta enim Iphidamantis „*οὐκ ἔτορε ζωστῆρα παναίολον, ἀλλὰ πολὺ πρὶν ἀργύρῳ*

---

1) Nam prior pars scholii recentior est. Neutiquam enim is qui separaret *θώρηκος* et *ἔνερθε* exempli gratia afferret *ἀγκῶνος ἔνερθε*, nisi id in vetustiore commentario invenisset. Prior pars scholii ergo Aristonico debetur, altera Aristarcho, qui haud dubie sic fere exorsus est, quod male intellectum mutavit Aristonicus: *ὅτι οὐ λέγει κατὰ θώρακα ἀλλὰ κατὰ ζώνην θώρακος ἔνερθε· τὸ δὲ ἔνερθεν εἰς τὸ κατὼ μέρος τοῦ θώρακος ὡς κ.τ.λ.*

2) Legimus enim 477 sqq.: *μετὰ δὲ κρείων Ἀραμέμνων ὄμματα καὶ κεφαλὴν ϊκελος Διὶ τερπικεραύνῳ, Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι*. Praepostere igitur nonnulli secundum Pausaniam (IX 17. 3) "Ὅμηρον Ἄρει τὸν Ἀγαμέμνονα πονήσαντα ἐοικέναι τὴν ζώνην, τῶν ὅπλων τὴν σκευὴν φασὶν εἰκάζειν*.

3) In schol. B „*καλουμένην*".

4) H. W.² p. 93. 5) l.l. p. 43.

ἀντομένη μόλιβος ὣς ἐτράπετ' αἰχμή", mirum autem, si poëta balteo id tribuisset, quod nemo scire posset an potius thoraci aëneo deberetur qui subesset, praeterea rursus hic habemus balteum thoraci aëneo alienum, ad tunicam pertinentem. Quod autem initio carminis Λ Agamemnon describitur thoracem aëneum induens nullius momenti est, cum credibile, ne dicam verisimile, sit Agamemnonis armaturae descriptionem alii poetae deberi ac locum nostrum. Reichel hic voce *θώρηξ* scutum putat significari, ita ut *θώρηκος ἔνερθε* sit „infra scutum" [1]). Iamvero, id quod saepius monui, fac diversa quae corpori praesidio essent antiquo tempore Graecos indicasse voce *θώρηξ*, tamen voce generali uti non licebat in singulis significandis, nisi aut pateret aut non interesset quid ex his spectaretur. Quorum neutrum hic usuvenit. Quod autem Robert rursus hic loricam sive scorteam sive laneam significari vult et *ἔνερθε* hic esse „intra", ita ut *θώρηκος ἔνερθε* sit „per loricae sinum" [2]), neque cum Graeco sermone haec convenire, neque omnino de loricae sinu cogitari posse arbitror. Sed si *θώρηξ* hic rursus est tunica, *θώρηκος ἔνερθε* est *εἰς τὸ κάτω μέρος τοῦ χιτῶνος*, iure autem ea tunicae pars, succinctae praesertim, quae aut balteo tegitur aut infra balteum est, *inferior*, vocatur cui oppositus est tunicae sinus i. e. quod supra vidimus, *θώρηκος γύαλον*.

§ 4.

Γ 357-360 (= Η 251-254) *θώρηξ* intellegendus est tunica lintea, aut delendus Γ 358 (Η 252).

Pertractavimus locos quibus utique voce *θώρηξ* tunica intellegenda videtur, praeterea autem tres loci sunt de quibus aut idem est iudicandum aut insiticius est habendus versus quo illa vox occurrit, qui cunctis idem est atque Δ 136: „*καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο*".

Ubi Paris et Menelaus certant Γ 357—360, eisdemque verbis in certamine Hectoris et Aiacis Η 251—254 legimus: *διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄβριμον ἔγχος καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου*

1) H. W.² p. 105.

2) Iphidamas trifft *θώρηκος ἔνερθεν* unter dem Panzer, d. h. er durchstösst den Bausch, dann stösst seine Lanze auf den Gürtel der den Stoss hemmt, l. l. p. 43.

ἠρήρειστο, ἄντικρυς δὲ παραὶ λαπάρην διάμησε χιτῶνα ἔγχος· ὁ δ' ἐκλίνθη καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν. Hastam e manu missam transfigere deinceps scutum et thoracem aëneum profecto est mirabile. Aliter sane X 321 Achilles longe robustissimus omnium Graecorum et armatus hasta ingenti, quam nemo alius torquere posset, cum Hectorem thorace aëneo indutum peteret locum elegit, ubi non modo clipeus, sed ne thorax quidem praesidio esset, gulam volo. Itemque Diomedes in certamine ludicro cum Aiace Ψ 820. Sed utroque loco nostro accedunt alia, Paris enim et Hector flectendo se vulnus imminens vitant, ita autem eos se flectere vidit Reichel [1]), ut femur deflecterent, non ut retraherent ventrem, quemadmodum voluerunt Heintze Ameis vv. dd. [2]), id quod, tunica prope inguen praecisa, nulli usui erat. Sed quoquo modo haec res se habet, non potest ita flecti corpus ut, thorace transfixo, vulnus vitetur. Nisi forte Helbig v. d. recte iudicat [3]) thoracem apud Homerum ea fuisse amplitudine ut velut locum mutare in eo queas. At ne hoc quidem, quod absurdum est, prodest praecisa tunica, quippe quae sub thorace ad corpus se applicet necesse sit. Iure suo igitur Reichel [4]) et Robert [5]) iudicant fieri non posse ut Hectorem et Paridem ll. ll. thoracibus aëneis indutos poëtae finxerint. Recte vero omnia se habent si θώρηξ censetur hic esse ipse χιτών cuius versu sequenti mentio fit, eandem enim rem duobus insequentibus versibus diversis appellari nominibus apud Homerum usitatissimum est. Sed Reichel et Robert eiciunt vs Γ 357, Η 251 καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο, qui versus et sine detrimento abest et cum idem sit atque Δ 136, quem non posse deleri demonstravimus, infitiari non licet hinc illuc eum irrepere potuisse prisca vocis θώρηξ sententia ab interpolatore neglecta. Ceterum si quis rogat uter locorum Γ 357—360, Η 251—254 alteri exemplo fuerit, satis erit monuisse viros doctos plerosque hunc recentiorem putare, de qua re amplius disserere non nostri propositi est.

Sed hoc addendum. Ad certamen se armans Paris Γ 328—339

1) H. W.². p. 66, 67.
2) In Edit. Iliad.
3) l.l. p. 286.
4) l.l.
5) l.l. p. 58, 59.

induere narratur vs. 332 thoracem fratris Lycaonis. Hoc quoque loco si rem per se spectas, nihil vetat intellegere thoracem linteum i. e. tunicam. Nam Γ 16, 17 Paris in aciem prodisse dicitur cum arcu atque sagittis et tectus pelle pantherea, propter quam tunica supervacua erat, quamque, ad scutum tractandum impedimento futuram, nihil mirum si tunica permutavit. Nihilo minus Robertio do locum a recentiore poëta vel interpolatore retractatum esse. Nam vs. 340 legimus Menelaum et Paridem ad se armandos secedere. At Menelao profecto id minime opus erat cui, modo fascia scutum aptaret et hastam sumeret, omnia acta erant [1]). Sed idem versus recurrit ψ 813 ubi Diomedes et Aiax ad certamen ludicrum ferro se cingunt, ibique convenit egregie. Interpolatum igitur censeo Γ 340. At si hic versus eicitur, stare non posse vs. 330—338, 341—343 in aperto est, quos praeterea neminem fugit aliunde ductos esse [2]).

§ 5.

Λ 436 *θώρηξ* intellegendus est tunica lintea aut delendus est vs. 436.

Ulixes vulneratur a Soco Λ 434 sqq. Perfossis rursus èt scuto et thorace cutis a costis hasta avellitur. Sed vs. 457 Ulixes hastam e cute atque e scuto trahit, nihil de thorace, qui tamen, si aëneus fuit, taceri hic potuit nullo modo. Aut ergo hunc vs. 436 voce *θώρηξ* designari, aut, quod volunt Reichel [3]) et Robert [4]), hunc versum eundem rursus ac Δ 136 delendum esse patet.

---

1) Neve quis contra afferat quod Γ 114 legitur *τεύχεα ἐξεδύοντο* (*'Αχαιοί τε Τρῶές τε*). Nam etiamsi in ceteros cadit ut thoraces ponant certamen inter Menelaum Paridemque inspecturos, non cadit in Menelaum pugnaturum. Ceterum quod animadvertit Reichel H. W.[2] p. 66: „Einen Panzer jedesmal aus und anziehen (in den Kampfpausen auf dem Schlachtfeld) hiesse doch die Gemüthlichkeit zu weit treiben" rectissime se haberet si hic de proelii intervallo ageretur. Sed pactum erat, ut certamine singulari bellum finiretur. Alia res est, quod Menelaum Paridemque si thoracibus aëneis non usos finxit poeta noster, credibile non est eum ceteros Achivos Troianosque thoracatos finxisse.

2) Robert l.l. p. 53 retinet vs, 334 (mutato *ἀμφὶ δ' ἄρ'* in *ἀμφὶ μὲν*) 335, 336.

3) H. W.[2] p. 71.

4) l l. p. 58 sq.

§ 6.

De locis quibus per se spectatis incertum est sitne θώρηξ intellegendus tunica lintea an thorax aëneus.

Secundum Homeri locos, ubi voce θώρηξ tunica lintea significatur, nonnulli alii se nobis obtulerunt quibus, per se spectatis, non apparet utrum de illa an de thorace aëneo cogitandum sit. Cuius generis accedunt B 544, Γ 332, Z 322, Λ 373, Π 133, alii non reperiuntur. Aut thorax totus aëneus, aut tunica lintea laminis aëneis munita intellegenda videbatur Δ 448, 489, Θ 62, N 265, 342, 371 sq., 397, 587, Π 173, P 605 sqq., T 361 [1]), cum nihilo magis constaret alterutrum horum eligendum esse quam nihil omnino aënei spectari N 507, P 314. Duobus locis, N 265, 342 ipsae appellationes λαμπρὸν γανάοντες et νεοσμηκτοί suadebant ut cogitaremus de thoracibus aëneis [2]). Ab altera parte locis N 371 sq. 397 sq. 507, P 314, quibus solis apud Homerum θώρηξ vel θώρηκος γύαλον hasta perfringi narratur, praeterea B 544, ubi Abantes dicuntur conari longis suis hastis θώρηκας ῥῆξαι δηίων ἀμφὶ στήθεσσι, id ipsum forsitan afferre liceat ad probandum de vestimentis agi linteis. At concedendum est hasta perfringi posse etiam thoracem aëneum [3]). Λ 373 Diomedes Agastrophum spolians detraxisse narratur θώρηκα ἀπὸ στήθεσφι, ἀσπίδα τ' ὤμων. Ex his apparet Agastrophi ἀσπίδα pependisse ἐκ τελαμῶνος, eae enim ἀσπίδες quae intus loris instructae erant ad brachium laevum inserendum, manifesto non detrahebantur ab occisorum humeris. Sed antiquissimi clipei, qui quidem depinguntur in monumentis Mycenaeis, aliter quam clipei recentioris aetatis pependisse revera videntur ἐκ τελαμῶνος [5]). Itaque non opus est ut cogitemus nostro loco de scuto talari,

---

1) Vide supra. Iamvero locis Θ 62, P 314, 605 sqq., T 361 locorum aliorum quibuscum cohaerent comparatio docet spectari thoraces aëneos, vide supra. Contra Δ 489 agitur de tunica lintea, vide supra et § 14.

2) Vide supra.

3) Iactu N 371 sq., 507 sq.; ictu N 397 sq., P 314 thorax perfringitur. Credibilius sane ictu quam iactu perfringi thoracem aëneum. At tamen revera de thoracibus aëneis agi ὲt B 544 et, ut P 314 (vide supra ann. (1)), ita N 507, vide infra § 14.

5) Vide Rob. l.l. p. 10.

qualia notissimum est apud Homerum neque minus in monumentis Mycenaeis frequentia esse. Scutum talare si constaret hic spectari, vix dubium esset quin θώρηξ hic esset tunica, neque enim qui scuto talari utitur, de qua re mox accuratius agam [1]), thoracem aëneum induisse credibile est. Sed ut res se habet, utrum tunica an thorax aëneus spectetur incertum manet [2]). Hoc constat, quantum ex monumentis Mycenaeis efficere licet, milites quoque antiquissimis illis armatos clipeis, carere thoracibus, sed certi hac de re nihil ex iis efficere licet [3]).

Restant Z 322 ubi Paris describitur occupatus in armis expediendis, concinnans ἀσπίδα καὶ θώρηκα, Γ 332 ubi Paris, Π 133 ubi Patroclus θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε, quibus locis per se spectatis nihil neque cogit neque vetat tunicam intellegere praesertim laminis aëneis instructam. Nisi forsitan περὶ στήθεσσι aptius dicatur de thorace aëneo [4]).

(*Continuabuntur*).

1) Vide infra § 9.

2) Robert Il. p. 20 cum victor occisum hostem thorace exuat antequam scutum ei detrahat, de clipeo aptato brachio non pendente ἐκ τελαμῶνος agi censet et verbis „ἀσπίδα τ' ὤμων" sequiorem poëtam minus accurate usum esse. Equidem facilius τὸ ὕστερον πρότερον feram, ut Λ 251 ἔτραφον ἠδ' ἐγένοντο, δ 50 ἀμφὶ δ' ἄρα χλαίνας ϝουλὰς 'βάλον ἠδὲ χιτῶνας, alia eiusmodi.

3) Cf. infra § 9.

4) Revera mox patebit Γ 332, Π 133 de thorace aëneo agi, cf. § 14, contra Z 322 de tunica agi videbimus infra § 14. De loco Γ 332 vide praeterea supra p. 127.

AD PLUTARCHUM.

Themist. 4 (Sint.). Postquam Platonis est prolata sententia, consilium eorum improbantis qui Athenas e republica mediterranea maritimam fecerunt, sic ipse Plutarchus de Themistocle loqui pergit: utrum politica eus ratio bona an prava fuerit ἔστω φιλοσοφώτερον ἐπισκοπεῖν. Immo φιλοσοφωτέρων: de ea re ii iudicent qui philosophicis disceptationibus magis quam ego sunt idonei.

J. J. H.

TACITEA.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur e pag.* 80.)

XX.

AD HISTORIAS ANNOTATIONES VARIAE.

H. I, 13. Causarum, cur Othonem adoptare Galba nollet, et hanc fuisse unam se *credere* Tacitus significat, quod parum e republica putaret talem ei relinquere successorem: „credo et reipublicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur." Haec ipsius Taciti verba sunt. Altera causa, de qua non *credat* aliquid sed comperta se tradere certo sciat, haec est quod Vinii pro Othone artificia Galba perspexerit: „neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Vinii amicitia." Sed et tertia causa quaedam fuit, quae Galbam, senem morosum et adversus rumores pertinacem, impelleret ut sic secum loqueretur: „at ego id ipsum, quod me facturum vaticinantur inepti isti homines, nunquam faciam." Totum Taciti locum huc pertinentem exscribam, ita divisum, ut nemo, qui quae hic praemiserim legerit, ullo modo dubitare possit, quin *causae* ibi enumerentur, quae ab Othone mentem Galbae vel abalienaverint vel certe abalienare potuerint:

a. Neque erat Galbae ignota Othonis ac Titii Vinii amicitia.

b. Et rumoribus nihil silentio transmittentium, quia Vinio vidua filia, caelebs Otho, gener ac socer destinabantur.

c. Credo et reipublicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur.

De tertia primaque causa nihil est quod annotemus: omnia ibi sunt perspicua. De secunda videamus. Quid illud fuit quod Galbam instigaret ut pertinaciter Othonem adoptare recusaret? Quod vulgi rumoribus Otho et Vinius „gener ac socer destinabantur." Haec Taciti verba sunt. In familiari otiosorum sermone nihil ista ubertas „gener ac socer" molesti habet. Immo ipsa hominum vita refertur, si quis de populo sic loquens inducitur: „mihi crede, duo isti viri, quos vides, Otho et Vinius, aliquando gener socerque erunt." At hic istud *gener ac socer* placidae est verbositatis, quae mirum quantum discrepet a totius loci acuta atque acerba brevitate. Praeterea — atque hoc multo gravius — illud quod homines fabulantur de futura Othonis Viniique affinitate quid habet quod *Galbam* graviter commoveat? An eam fuisse causam credamus, cur sic Galba loqueretur: „si Vinii gener fiet Otho, ego eum filium habere nolo"? Non opinor. Intellexisse Galbam non debere se Vinio aurem praebere Othonis causam defendenti, cupidum enim illum esse patronum .... satis superque indicatum est verbis „neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Vinii amicitia", parumque Taciteum videtur tot verbis uti ad demonstrandum, quam artum illud amicitiae fuerit vinculum quo Vinius et Otho inter se iuncti essent. Quid ergo erat in illis rumusculis populi, quod *bilem* Galbae moveret? Nam nisi illum effectum rumusculi isti habuissent, non potuisset inde nasci causa cur adoptare Othonem Galba nollet. Sic, ut ego opinor, inter se loquebantur homines: „Othonem istum hominem elegantem venustumque, quem novimus omnes, quem per urbem volitantem videmus, mihi crede, mox videbimus alterius consulis (et principis) filium, alterius generum." Suspicor ergo Tacitum scripsisse: „*pater* ac socer destinabantur" eoque invito irrepsisse decantatam istam *soceri* et *generi* commemorationem. Neque fortasse hic negligendum quod, cum res ipsa ferat ut duo vocabula, quae sic ut *gener* et *socer* unam rem, unam affinitatem, significent, coniunctionibus *que* vel *et* vinciamus, hic „gener *ac* socer" legitur.

H. I, 37. In castris praetoriis Otho ad milites orationem

habet, qua iis in memoriam vocat quaecunque Galba ad Italiam accedens ipsamque urbem intrans crudeliter fecit. Ibi et hanc legimus exclamationem:

„Quae usquam provincia, quae castra sunt nisi cruenta et maculata, aut, ut ipse praedicat, emendata et correcta."

Ipse sonus verborum „quae provincia, quae castra *sunt*" habet quod vitium crepet. De sententia videamus. Nonne absurdum est contendere nullam *usquam* esse *provinciam* quam non cruore asperserit Galba? Num credibile illud videri poterat vel ipsis militibus urbanis, quibus hoc certe notum fuerit, e qua provincia in Italiam venisset Galba, et quae ei fuisset pervadenda provincia? Atque ipsa vox *provincia* quid habet quod vehementer animos militum permoveat? Nihil, ut opinor. Sed inspiciamus longam illam scelerum enumerationem, quae hacce exclamatione clauditur: de classiariis agitur, quorum partem Galba trucidavit, partem decimavit, de Fonteio Capitone, Clodio Macro, Nymphidio occisis et quibusdam aliis, sed plerisque copiarum ducibus. Ergo, si duo triave nomina excipimus, tota ista Galbae crudelitas ad solos milites et ad viros, qui militibus praefuerunt, pertinuit. Et, ut opinor, etiamsi praeterea in togatos inermesque provinciales saeviisset Galba, tamen de his tacuisset Otho et sagatos paludatosque commemorasset solos, qui novo imperatori victimae cecidissent. Ceteros haud magnopere praetoriani erant curaturi. Ergo ut Otho dicat aliquid quod terse enuntiatum sit, quod a veritate non nimis recedat, quod animos militum quam maxime incendat, legendum censeo: „quae usquam *praesidia*, quae castra sunt e. q. s.".

H. I, 50. Occiso Galba, cum nuntius de Vitellii defectione per urbem percrebruisset, vehementer afflictae erant omnium mentes:

„Duos omnium mortalium impudicitia ignavia luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura reipublicae, sed vulgus quoque palam maerere."

Totus loci connexus huiuscemodi est: tempus, quod instabat, civibus multo tristius videbatur non solum quam Galbae illud (cum, licet bellum non esset, tot tamen fierent scelera) sed

etiam quam ipsa bellorum civilium aetas: nam tunc, quicunque evasurus esset princeps, hoc tamen constabat fore eum virum qui rempublicam regere posset; at nunc hoc unum sciebant homines „deteriorem fore, qui vicisset." At nunc ego in voce, quae est *maerere* haereo; non enim, ut opinor, *praesens* malum maeremus, sed *praeteritam* conditionem, praesenti meliorem. Ergo aut Tacitus, cum homines de praesenti tempore cogitantes inducit, iam animo praesumit tempus, quo praesentia praeteritaque inter se comparabunt, ideoque *maerere* posuit ubi quivis alius *indignari* esset positurus, aut, id quod multo verisimilius, pauca quaedam hic exciderunt atque sic explenda lacuna: „sed vulgus quoque ‹indignari et priora› palam maerere."

H. I, 58. Imperio ad Vitellium delato protervi milites ducum quorundam sibi invisorum poenam postulant; ante omnes dedi sibi Iulium Bardonem, Germanicae classis praefectum, ad supplicium flagitant: huic enim praesertim vitio dabant Fontei Capitonis, gratissimi ducis, interitum. At dolo eum militum saevitiae subtrahit Vitellius:

„Interim ut piaculum obicitur centurio Crispinus; sanguine Capitonis se cruentaverat, eoque et postulantibus manifestior et punienti vilior fuit."

Punienti sc. Vitellio. At, obsecro, num *punit* miserum centurionem Vitellius? Num ullus omnino *puniendi* verbo locus? An censeamus Tacito *punitum* videri hominem, eo nomine ab iratis militibus necatum, quod Capitonem occidisset? Capito enim quid, iudice Tacito, fecerat? *Haud dubie* in Germania *turbaverat*, non secus ac Macer in Africa (v. c. 7), certe turbare coeptaverat, eumque oppresserant interfecerantque Cornelius Aquinius et Fabius Valens, „antequam iuberentur" quidem (ib.), sed tamen haud dubie rati se sic prospicere quieti et securitati reipublicae. Num qui eiusmodi consilii particeps fuit, cum postea a discordibus militibus, qui aegre illud tulerunt, crudeliter trucidatur, *puniri* vel a militibus, vel a duce, qui non intercedit, dici potest? Haud opinor. Denique quae intercedit ratio inter voces quae sunt *postulantibus* et *punienti*? Et aliqua tamen ratio intercedere debet, nisi credimus Tacitum non cohaerentia locutum. Quod quoniam credere nolumus, in *punienti* latere

vitium nostro iure statuimus. Quod quomodo sit tollendum fere iam diximus, certe elucet e tota disputatione nostra. Milites *postulant* aliquid, dux aut respuit postulata, aut aurem iis praebet. Subtraxerat autem militum minis Burdonem, at Crispinum iis ... quid? Nempe *permittit.* Hoc est legendum *permittenti*, hoc unice in hunc locum convenit, et ductibus literarum traditae voci *punienti* admodum est simile (ꝑmittenti).

H. I, 64. Fabius Valens cum exercitum adversus Othonem in Italiam ducit, in civitate Lingonum inter legionarios et Batavos auxiliares iurgia exarsere eiusmodi ut prope a proelio abesset res. Haec ipsius Taciti verba sunt:

„Iurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios, dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in proelium exarsere, ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset."

Praeter Batavos et legionarios in Valentis exercitu aut nulli fuerunt milites aut admodum pauci (v. c. 59 et 64). Atque hae nunc exercitus partes paene inter se manus conserunt. Quaero qui nobis praeterea hic cogitandi sint *milites,* quorum „studia aggregantur" rixantibus. Nullos invenio, sed istud *militum* in alius vocabuli locum irrepsisse censeo, puta *civium* vel *municipum,* quae vocabula et ideo magis huc quadrant, quoniam milites potius et ipsos in eiusmodi certamine gladios destringere consentaneum est, at *studia* magis otiose adstantium et pugnae exitum spectantium sunt.

H. I, 83. Praetorianos pro ipsius salute nimis sollicitos et aliis argumentis placat Otho et hoc:

„Imus ad bellum .... An et illic nocte intempesta rapientur arma? Unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet, imperatoris sui tentorium irrumpet."

Imperator unus est, et ne plures quidem cogitari possunt vel in exercitu vel in republica. Absurde igitur pauci quidam milites in imperatoris *sui* tentorium irrumpere finguntur. At istud *sui* post *tribuni* pone, pulcherrime enuntiata erit tota

periodos: „centurionis ac tribuni sui sanguine manus imbuet, imperatoris tentorium irrumpet." Ipsum illud quod traditum est hanc nobis transpositionem commendat; in codice enim non *tribuni* legitur sed *tribunis*.

H. II, 2. Titus Vespasianus, a patre Romam ad Galbam missus vel officii causa vel spe adoptionis, Corinthi de interitu imperatoris certior factus secum deliberat pergatne Romam an ad patrem redeat; tandem redire decernit, idque haud unam ob causam:

„Fuerunt, qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter crederent; neque abhorrebat a Berenice iuvenilis animus, sed gerendis rebus nullum *ex eo* impedimentum: laetam voluptatibus adulescentiam egit, suo quam patris imperio modestior."

Immo vero *ex ea*: tum enim demum ita nobis Berenices Titique amores describuntur ut innocuos eos fuisse appareat: nullum Berenice rebus gerendis afferebat impedimentum.

H. II, 3. Postquam quid fama proditum sit de templi Veneris Paphiae conditore enarravit, sic pergit Tacitus:

„Sed scientiam artemque haruspicum accitam et cilicen Tamiram intulisse."

Ita est in codice. Qui tantummodo *cilicen* in *Cilicem* mutarunt Taciti manum non restituerunt: ferri enim nullo modo istud *et* potest. Sed ne illi quidem, qui eam voculam delent, mihi satisfaciunt: nunc enim una nobis res duabus sententiolis traditur, neque quid sibi ista velit divisio: „sed scientiam artemque haruspicum accitam: Cilicem Tamiram intulisse" quisquam videt. Idem de Puteolani coniectura *e Cilicia* pro *et cilicen* legentis statuendum est. Non enim minus ingrate sententia sic discerpitur: „sed scientiam artemque haruspicum accitam e Cilicia: Tamiram intulisse." Illa tamen ad veram nos ducit lectionem, ad quam restituendam levissima quaedam sufficit emendatio. Legendum enim est: „Sed scientiam artemque haruspicum *accitum* e Cilicia Tamiram intulisse." Haud dissimili modo H. IV, 83 a Ptolemaeo primum vir quidam externarum religionum peritus arcessitur; eius deinde monitis eo res deducitur ut e Ponto nova religio in Aegyptum transferatur.

H. II, 16. Per vim Decumus Pacarius procurator insulam Corsicam, quae hactenus Othoni fidelis manserat in partes Vitellii traducere tentat. Consilium habet principum, duosque copiarum duces contra dicere ausos interfici iubet:

„Quorum morte exterriti, qui aderant, simul ignara et alieni metus socia imperatorum turba in verba Vitellii iuravere."

Imperatorum est in codice; nunc plerumque acquiescitur in vetusta correctione *imperitorum*. Quam inepte diceretur *ignara imperitorum turba*, quam absurda ea esset atque inanis verborum ubertas sensisse videtur nemo. Fuit cum ad vitandam istam tautologiam pro *ignara* legendum putarem *ignava*, sed longe meliora me unus e commilitonibus docuit, cuius felicissimum inventum libenter hic pono. Is enim *imperatorum* retinendum sed statim post *ignara* ponendum vidit: „ignara imperatorum et alieni metus socia turba." Insulani isti vix ipsa Othonis Vitelliique nomina noverant; certe uter peior esset imperator plane ignorabant [1]).

H. II, 32. Coniunctis Caecinae et Valentis copiis Vitelliani certandi ardent amore; Othoniani utrum statim in discrimen rem adducant an exspectent etiam deliberant. Hoc Suetonius Paulinus suadet: mora exhauriendas hostium vires censet, suum enim exercitum eadem accrescere. Eius verba et alia sunt et haec:

„Paucis diebus quartam decimam legionem *magnam ipsam famam*, Moesicis cum copiis adfore."

Sic est in codice. Probatur fere Candidi emendatio: *magna ipsam fama*. Perperam, ut opinor. Nihil enim sequitur quod isti *ipsam* vel opponatur vel aliqua ratione cum eo vocabulo cohaereat. Unice verum videtur: *magnam ipsa fama*: sola iam rerum gestarum gloria magnus et nobilis ille erat exercitus. Cf. quod proxime praecedit: „senatumque et populum, nunquam obscura nomina." Quantum roboris in ipso nomine ac fama inesset probe noverat peritus animorum dux.

H. II, 59. Honoribus afficere Vitellium, qui modo advenit, ét milites Romani ét municipes Lugdunenses certant. Ille:

---

1) Auctor lepidissimae emendationis A. RUTGERS VAN DER LOEFF lit. hum. cand.

„mox universum exercitum occurrere infanti filio iubet; perlatumque et paludamento opertum sinu retinens Germanicum appellavit."

Perlatum: quo? Per singulosne exercitus manipulos? Facile intelligo gestato iactatoque infanti quiete opus fuisse, libenterque in sinu eum patris obdormivisse. At tunc demum eum Vitellius paludamento induit. Non fuit, ut opinor, in omnibus rebus tam praeposterus et perversus. Et ne de novo satis iam fessi infantis loquar incommodo, nudusne militum manibus perlatus est? Aut susque deque hic omnia habuit Tacitus aut pro *perlatum* legendum est *prolatum*: nempe e tentorio, ubi hactenus apud nutricem aliquam latitavit.

H. II, 60. Narratur quomodo iam victor Vitellius Othonis cognatis amicis adiutoribus usus sit. Ibi et haec leguntur:

„Mario Celso consulatus servatur; sed creditum fama obiectumque mox in senatu Caecilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi voluisset.".

Aut Latine temere vocabula coniicere licet, aut nihili est *creditum fama*. Quid sit legendum non definio, sed in syllaba *cre* esse opinor vel adiectivi, quod est *creber*, vel verbi, quod hinc originem ducit, aliquam formam. Ecquid *crebra fama* omisso *fuit* vel *erat*, quibus verbis hic opus esse non videtur? Cf. H. IV, 12 „crebrescentem cladis Germanicae famam."

H. II, 63. Apud Flavium Sabinum praefectum urbis Dolabella, qui ab Othone in coloniam Aquinatem erat sepositus, ab amico perfido accusatur quod audita morte Othonis custodiam rupisset, victis partibus se ostentasset, cohortem quandam sollicitasset:

„Nec ullis tantorum criminum probationibus (i. e. cum crimina illa nullo modo probare posset) in paenitentiam versus (accusator) seram veniam post scelus quaerebat. Cunctantem supra tanta re Flavium Sabinum Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit, ne periculo principis famam clementiae adfectaret."

Deinde legimus Sabinum, hominem ignavum, hoc argumento victum, cum antea Dolabellae parcere voluisset, ultro operam

dedisse ut Vitellio imperatori quam maxima eius culpa videretur; nec frustra: iussu enim Vitellii miserum hominem interfectum.

Hic ne omnia a Tacito confusa et τὸ ὕστερον πρότερον propositum statuamus, verborum „seram veniam post scelus quaesivit" hanc esse sententiam sumendum est, eiusmodi crimina, quamvis infirmo niterentur fundamento, tamen illo tempore reo semper certam attulisse perniciem. Multo tamen melius cohaerebunt omnia, multoque melius quid sibi istud *seram* velit intelligemus, si post *cunctantem* inseruerimus *enim*, ut illa coniunctio inde a voce *cunctantem* narrari quomodo totum illud sit peractum negotium indicet (*Enim* Belg.: „namelijk").

H. II, 64. Egregiam et antiqui moris feminam fuisse Sextiliam Vitellii matrem insigni probatur exemplo. Sequitur:

„Nec ullis postea fortunae illecebris aut ambitu civitatis in gaudium evicta domus suae tantum adversa sensit."

Parum gratum est verborum *in gaudium evicta* ὀξύμωρον. Tacitum dedisse opinor *evecta*, quod fere idem est atque *elata*.

H. II, 70. Oculis perlustrat Vitellius campum Bedriacensem, ubi ante quadraginta dies terribile illud fuerat commissum praelium. Quam dirum et atrox ille tum praebuerit spectaculum facunde describitur. Sequitur:

„Nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosaque constraverant, exstructis altaribus caesisque victimis regium in morem."

Aliquam viam vel viae partem ipsam *inhumanam* vocare absurdissimum videtur, neque omnino hic de ulla *parte* viae sermo esse potest, siquidem in praecedentibus non de alia quadam viae parte agitur sed de campo vicino. Quapropter lubentissime Leopoldio meo assentior acute, ut solet, pro *pars* proponenti *species*. Non minus quam campi illius foedi atrocisque inhumana erat *viae species*, quam in honorem Vitellii, nequissimi mortalium, ita exornaverant municipes tamquam si magnus aliquis rex accederet.

H. II, 74. Vespasianus, licet eum multi potentesque amici

atque adeo ipsi dii immortales ad imperium vocent, haesitat etiam; vix se tanto fastigio parem aestimat, gravemque reformidat casum. Et alia secum deliberat et haec:

„Esse privatis cogitationibus progressum, et prout velint plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus nihil medium inter summa aut praecipitia."

Claudicare hanc sententiam dudum est intellectum; ergo Lipsius pro *progressum* legi iussit *regressum*, quod certe melius videtur, quam illorum coniecturae, qui „esse progressum regressum" vel „esse progressum esse regressum" vel „esse progressum et regressum" proposuerunt. Nam in privatis cogitationibus et omnino in statu privato hoc solum est laudandum quod *regredi* liceat; vox *progressus*, sic nude posita, nunquam rem laudandam optandamve significat. Sed Lipsianae coniecturae cum ceteris omnibus commune hoc vitium est quod „prout velint plus minusve" languidissimum est et ubertatis in Tacito certe non tolerandae. Quapropter multo leniorem hanc propono emendationem, qua omnia in ordinem videantur redigi: transposita coniunctione *et* legamus:

„esse privatis cogitationibus progressum prout velint, et plus minusve sumi ex fortuna": privato homini licet non ultra quam ipse velit progredi, et quantum commodum est a fortuna sumit. At qui semel ad imperium pervenit, nisi semper plus sibi acquirit, certa ei instat pernicies.

H. II, 76. In allocutione, qua Vespasianum ad imperium vocat, Mucianus de Vitellio cum maximo loquitur contemptu. „Iam Othonem" ait

„desiderabilem et magnum principem fecit, cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova cotidie bello semina ministrat."

Apage ineptias et *novo* lege.

H. II, 82. De bello quod a Vespasiano Mucianoque paratur et alia et haec legimus:

„Ipse Vespasianus adire hortari, bonos laude, segnes exemplo incitare saepius quam coërcere, vitia magis amicorum quam virtutes dissimulans."

Coërcere et *incitare* diversissima sunt et tantum non inter se contraria, cum tamen hic verba requiruntur, quae colore quidem differunt sed idem consilium, eundemque effectum significant. Atqui incitamus segnes, sed coërcemus — quos? Nempe insano ardore abreptos, lascivientes, eos denique qui huc illuc volitantes communem laborem impediunt magis quam adiuvant. Segnes vero quid? Vi, minis, poena ... *cogimus*, nisi admonitionibus nostris aurem praebent. Ergo pro *coërcere* hic *cogere* lege. Boni imperatoris est exemplo incitare segnes, aut, si in exemplo praesidii parum est, *cogere*, quod sic absolute positum egregie cum illo „exemplo cogere" coniungitur ad totam Vespasiani rationem depingendam.

H. II, 87. Foedum istud agmen, quo Vitellius urbem petit, et aliis et his describitur verbis:

„Sexaginta milia armatorum sequebantur, licentia corrupta; calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis."

Vera huius loci cognita lectione — nam si ullus, hic certissima est emendatione restitutus — doctas ridebis annotationes, qualis est haec apud Orellium:

„Lixas liberos homines fuisse, rite colligas ex Ann. II, 62 (citatur locus). At lixae quoque, ut hic vides, mancipiis ob vilem quaestum ac mores procaces aequiparabantur." Verum, o bone, si sanus hic locus, non *aequiparantur* mancipiis lixae, sed plane iis adnumerantur, tamquam si de servili eorum statu nulla unquam inter homines fuerit dubitatio. Et si procacitate morum semper vilissimis sunt pares mancipiis, nulla est in Vitellio culpa, si non modestioribus iis usus et ministris. Vides e tradita lectione nullum, nedum aptum, sensum ullo modo extrahi posse, sed lenissima emendatione revocatur id quod unice in hunc locum conveniat, id quod ipsum Vitellianum agmen legentibus ponat ante oculos, id denique quod quin a Tacito scriptum sit posthac iam nemo sit dubitaturus. Pro *etiam inter servos* legendum est *etiam inter severos* [1]). En ipsa nobis reddita Taciti manus! Etiam in severo mo-

---

1) Praestantissimam emendationem acceptam refero Leopoldio meo quem toties iam, ut par erat, laudavi.

desteque habito exercitu procaces lixae sunt; quam lascivos eos fuisse credamus in Vitelliana turba ista! Vide quam egregie nunc, in eundem sensum, haec addantur: „tot legatorum amicorumque comitatus, inhabilis ad parendum, *etiamsi summa modestia regeretur*." Idem est exercitus *modestus* et *severus*. Adverbium *severe* de militibus adhibitum legitur A. IV, 2 (cur Tiberius cohortes urbanas in una castra contraxerit traditur): „Praetendebat lascivire militem diductum; si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subveniri; et severius acturos, si vallum statuatur procul urbis illecebris."

Opponuntur inter se *lascivire* et *severe agere*.

H. II, 88. Vixdum urbem intraverant saevi isti ferique Vitellii milites et iam proelia fiunt caedesque civium:

„cum turbam populi per inscitiam parum vitarent, aut ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent."

Non duae res hic inter se *opponuntur*: altera enim ex altera necessario sequitur. Cum barbari turbam populi parum vitarent, fieri non poterat quin identidem alicui civi impingerentur. Accedebat alia procedendi causa: viae lubricum. Pro *aut* ergo *et* legendum censeo.

H. II, 99. Nefaria proditione a Vitellio ad Flavianos deficit Caecina:

„Credidere plerique Flavii Sabini consiliis concussam Caecinae mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo: rata apud Vespasianum fore pacta transitionis; simul odiorum invidiaeque erga Fabium Valentem admonebatur, ut impar apud Vitellium gratiam viresque apud novum principem pararet."

Mire conformata est haec sententia! Primum ista subita ad passivum verbum transitione (*admonebatur*) neque perspicuitati neque elegantiae consulitur. Quis enim Caecinam admonet? Nempe idem Rubrius Gallus, de quo in praecedentibus sermo est. Sed hoc durius quod *admonendi* verbum hic primum: „in memoriam revocare" significat, deinde „adhortari". Utrique malo medeberis, si excidisse paucas literulas statues, Tacitumque pro *admonebatur* scripsisse: *admonens hortabatur*.

H. III, 2. In exercitu Flaviano sunt qui morandum censeant et Muciani exspectandum exercitum. At Antonius Primus, vir acerrimus moraeque impatiens, festinandum esse clamat et celeri impetu opprimendos hostes. Eius verba et alia et haec traduntur:

„Nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero."

Inepte bis idem hic dici (quid enim inter *suasorem* et *auctorem* interest?) dudum est intellectum. En iterum Leopoldii mei ingenium elucet! Vulgo enim probatur Iacobi correctio „suasor *actorque*". At vide quanto ét elegantia ét probabilitate illius praestet emendatio: „auctor actorque". Cum explicandi causa *suasor* fuisset suprascriptum, vocabulorum tam inter se similium alterum illa annotatione e textu expulsum est.

H. III, 41. Fabius Valens Vitelliani exercitus dux cum paucis cohortibus in Etruriam venit, ubi cognito Cremonensis proelii exitu consilium arripit, quod, si maturasset, funestum reipublicae esse potuisset, nempe ut:

„arreptis navibus in quamcunque partem Narbonensis provinciae egressus Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret."

Quam multa hic enumerantur, vel potius balbo ore effunduntur. De quibusnam hic *exercitibus* cogitandum est? Ipse contextus nobis Galliarum nescio quos exercitus obtrudit. Et Germaniae *gentibus* quid hic faciamus? Fingamusne Valentem novum Cimbrorum Teutonumque bellum Romanis excitare studentem? Lege, ut omnia recte procedant et aliquam habeant veri speciem: „Gallias et exercitus Germaniae novumque bellum cieret." Hoc homini strenuo nec tamen insano in mentem venire potest: ut ad rebellandum adducat Gallos, si non omnes at aliquas nationes, et a Rheno copias in Italiam alliciat: sic novum atroxque bellum existet.

H. III, 46. Daci, ardente in Italia bello, abducto e Moesia exercitu:

„expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danuvii ripa potiebantur, iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae

gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi irrupissent."

Hic ego cum Vürtheimio meo facere paratus sum, pro *gnarus* coniicienti *ignarus*: apud Cremonam vicisse suos ignorabat etiam Mucianus, quo magis illud a Dacis imminens periculum, utpote in re ancipiti, metuebat. Non quin et nuntius de felici illius pugnae exitu Mucianum eo adducere potuerit ut Dacis obviam iret: sciebat enim nullam nunc causam esse cur cum copiis suis in Italiam properaret, hoste ibi a praesenti exercitu Flaviano iam profligato. Sed pro „certior factus de Cremonensi victoria" Latine vix dici posse videtur: „Cremonensis victoriae gnarus."

H. III, 50. „(Flaviani) exercitus ducesque ad Fanum Fortunae iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod motas ex urbe praetorias cohortes audierant et teneri praesidiis Apenninum rebantur; et ipsos in regione bello attrita inopia et seditiosae militum voces terrebant, clavarium (donativi nomen est) flagitantium."

Quid sibi hic ista vox *ipsos* velit dicat qui sciat. An *duces* ea significari putemus? At tota haec deliberatio ducum est, non universi, ut opinor, exercitus. Verum lege *ipsa*, omnia sana integraque erunt: tum enim *ipsa regio*, i. e. regio in qua cum maxime sedent, opponetur Italiae et Appennino, ubi graviora etiam sibi impendere pericula suspicantur.

H. III, 56. Romam revertitur Vitellius, de sua causa desperans, otioseque ibi desidet, cum tamen peritissimi centurionum fortiter agendo totam rem restitui posse clamarent, idque etiam ipsum Vitellium docere gestirent:

„Arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus ut aspera, quae utilia, nec quicquam nisi iucundum et laesurum acciperet."

Pro *aspera*, quod haud dubie corruptum (nihil enim habet quo referatur), vulgo recipitur Bipontinorum correctio *aspere*. At nunc in altero sententiae membro: „nec quicquam — acciperet" mente nobis, id quod admodum durum, supplendum est *lubenter* aliudve adverbium in hanc sententiam. Lacunosus locus est, sed

paucae tantum exciderunt literulae. Scripsit enim Tacitus: „ut *aspernaretur* quae utilia" [1]). Egregie inter se *aspernandi* et *accipiendi* verba opponuntur.

H. III, 61. Postquam narravit de praesidio quodam Vitelliano, quod turpiter se hostibus dedidit, de Vitellianorum militum moribus in universum sic disputat Tacitus:

„Nec apud Vitellianos flagitii poena, et praemiis defectorum verba fides."

Pro absurdo *verba* Freinshemius olim *versa* legit, atque in ea coniectura nunc plerumque acquiescitur. At ego, ut iam concedam *versa fides* recte dici sive pro eo quod est *subversa fides* sive ad significandum animos militum Vitellianorum se convertisse ad Vespasianum, quid nunc istud „apud Vitellianos" sibi velit rogo. Nulla enim hic fit oppositio, sed et *impunitas* illa et *subversa* illa vel *conversa fides* in *Vitellianis* castris suam sibi sedem habent. Pulcherrimam vero sententiam, cuius membra egregie inter se opponantur, obtinemus pro *verba* legendo non *versa* sed correctione non minus leni, fortasse leniori: *certa*: quamdiu apud Vitellium manebat miles, impune quodvis flagitium committere poterat (et *flagitium* in re militari quid esset diximus capite IX in initio); simulatque transibat ad Vespasianum certum ei paratum erat praemium. Vitellianus ergo miles male se gerendo, ut nos loquimur, „amittere poterat nihil lucrari multa." „Ac reliquum perfidiae certamen" Tacitus addit, i. e. certabant ergo inter se quis non servando sacramento suo maximum esset facturus lucrum.

H. III, 63. Transituri ergo in partes Vitelliani milites sub signis vexillisque in campos Narniae subiectos descendunt, ubi densis ordinibus stant Flaviani:

„Accepti in medium Vitelliani et circumdatos Primus Antonius clementer adloquitur. Pars Narniae, pars Interamnae sub-

1) Idem post me, neque tamen a me admonitus, invenit et in thesibus adiunctis dissertationi *de ludis Eleusiniis* publici iuris fecit v. d. A. Rutgers van der Loeff. Eadem res usu venit coniecturis propositis ad H. III, 63 (e victricibus legionibus cohortes) et ad H. II 74 (progressum prout velint et plus minusve).

sistere iussi; relictae simul e victricibus legiones, neque quiescentibus graves et adversus contumaciam validae."

Haud dubie *legiones* corruptum est; non enim magnus erat ille custodum numerus, siquidem disertis docemur verbis *sufficere* eos, nihil amplius, ad dediticios, si opus erat, continendos. Et ipsorum Vitellianorum, qui in partes transierant, c. 67 legimus fuisse *unam* legionem et aliquot cohortes. Hos *pluribus* legionibus custodire velle absurdum est. Legendum censeo: „relictae simul e victricibus *legionibus cohortes*": literulae a nobis suppletae facile excidere potuerunt.

H. III. 66. „Vitellius ipse" sic fere Tacitus loquitur „sine ullo certamine Vespasiano cessit: o utinam eadem fuisset omnium Vitellianorum mens, quanta hominum strages evitata fuisset! At non ea fuit populi Romani felicitas." Sequuntur haec ipsius verba:

„Ceterum ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et conditiones abnuebant, discrimen ac dedecus ostentantes et fidem in libidine victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur: ne victos quidem laturos; ita periculum ex misericordia."

Misericordia hic qualis sit intelligenda apparet e c. 58: „plerique haud proinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur." Cogitandum ergo est de *Vitellianis*, quos imperii Vitelliani deiecti misereat, quique ergo iacere illud non sint passuri sed erigere conaturi („ne victos quidem laturos"). Nostro autem loco inde a voce *ita* exspectamus *conclusionem* quandam eorum quae praecedunt: ea autem bipartito sunt divisa: agitur enim et de Vespasiano victore et de victis. At sequitur aliquid quod, ut vidimus, ad solos *Vitellianos* pertineat: periculum ex misericordia: principatus collapsi misericordia Vitellianos eo adducet ut denuo Vitellium ad principem locum reducere conentur, atque sic ille iterum vitae adibit periculum. Excidisse ergo, nam in isto „ita periculum ex misericordia" desideratur aliquid quod ad *Flavianos* pertineat, quaedam censeo, et lacunam sic suppleo: „ita periculum ét e metu ét e misericordia": Vespasianus metu ductus Vitellium occidendum curabit, Vitelliani misericordia moti eundem in vitae adducent discrimen.

H. III, 72. De Capitolii incendio haec Tacitus exclamat:

„Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque reipublicae populi Romani accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis, sedem Iovis Optimi Maximi auspicato a maioribus pignus imperii conditam, quam non Porsenna dedita urbe neque Galli capta temerare potuissent, furore principum excindi."

Rectene *principes* opponuntur Porsennae Gallisque, externis hostibus? Non opinor; sed ut dicat aliquid Tacitus quod bene cohaereat, pro *principum* legendum est *civium*. Totum istud *principum* arrogantis magistelli est annotatio, qui ipsum Tacitum corrigere vellet. Ipsorum autem principum in Capitolii incendio nullae partes fuerunt; unica atrocissimae rei causa erat furor populi.

H. III, 83. Pugnantibus in campo Martio Vitellianis Flavianisque aderat vulgus haud alio animo quam si gladiatorum ederetur spectaculum; protrahebantur a spectantibus qui in aliquas confugerant latebras, spoliis potiebatur populus. Hinc in eadem urbe simul cruenta caedes erat et insana laetitia. His eam rem describit verbis Tacitus:

„Saeva ac deformis urbe tota facies: alibi proelia et vulnera, alibi balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes."

Hic vocem q. e. *simul* Nipperdeius inclusit, et potest ea sine sententiae damno omitti: neque tamen sic multo evadit illa elegantior. Remanet enim, quae mihi quidem multo molestior, incredibilis quaedam *hominum* et *locorum* confusio. Leni transpositione sic Taciti manum restituendam arbitror:

„Saeva ac deformis urbe tota facies: alibi proelia et vulnera, alibi scorta et scortis similes; simul cruor et strues corporum, iuxta balineae popinaeque."

Nunc *simul* haud inepte principalibus inter se iungendis sententiae membris inservit.

H. III, 84. Misera Vitellii fuga egregie depingitur:

„Vitellius capta urbe per aversam Palatii partem in domum uxoris sellula defertur, ut, si diem latebra vitavisset, Tarra-

cinam ad cohortes fratremque perfugeret; dein mobilitate ingenii, et quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in Palatium regreditur vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum eius declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci; temptat clausa, inhorrescit vacuis."

Leviusculum fortasse videbitur quod dicam; proponam tamen emendationem, ut ego censeo, plane necessariam. Pro *terret* legendum est *terrent*: etenim statim audientium recitantiumque aures sentire debent aliud esse *temptandi*, aliud *terrendi* verbi subiectum. Sic primum ante mentem surgit locorum imago et continuo post ipse princeps miserrimus.

H. IV, 12. Batavorum conditio minime infelix describitur. „Erant" ait Tacitus:

„nec opibus Romanis societate validiorum attriti viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria."

Pro *ministrant* Wurmius recte dedit *ministrabant*. Quae praecedunt nondum ita sunt correcta ut sincera lectio restituta videri possit. Agricola voci q. e. *societate* adiecit particulam *ve*, Vlietius *Romanis* inclusit, quorum neutrum sufficit. Quis enim iste est enuntiatorum ordo, quo Batavi prius dicantur „opibus non attriti esse" deinde „viros tantum armaque imperio ministrasse", tamquam si illa res praecesserit, haec sit secuta, et non haec illius fuerit causa? Tamen post Wurmium Vlietiumque non multum agendum restat: illorum enim receptis emendationibus verba „viros tantum armaque imperio ministrabant" pono in parenthesi, ut aiunt, ut sua ipse verba illustrans Tacitus inducatur:

„nec opibus societate validiorum attriti (viros tantum armaque imperio ministrabant) diu Germanicis bellis exerciti e. q. s."

Nam quod *opibus* est ablativus q. d. partis, *societate* ablativus causae in Tacito fortasse ferri debet potestque. An *opibus* quoque delendum? Carere certe eo vocabulo possumus.

De Batavis eodem capite et haec leguntur:

„Erant et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere."

Pro *erant* recte plerumque editur *erat*, deinde in fine loci,

ut infinitivi constaret ratio, alii *suetus*, alii *solitus*, alii *exercitus*, alii denique *doctus* adiecerunt, quorum nihil est quod non praestet illorum conatibus, qui ex *erant* fecerunt: *suerat, adsuerat, insuerat* simm. Admodum languida tamen omnia illa sunt additamenta. Equidem sic legendum censeo:

„Erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio *ut* arma equosque retinens integris turmis Rhenum *perrumperet*."

Ut = sic ut, tanto studio ut.

H. IV, 34. Civilis obsidione clausos Romanos tenens ostentandis vexillis signisque captis eos ut castra dedant adigere conatur. Frustra: unus enim e captivis clara voce eos edocet eum esse Germanorum statum ut Romanis minime sit desperandum. Addunt etiam animos ignes villarum, appropinquantis subsidii signum. Alacres ergo proelium milites Romani poscunt:

„Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompositi fessique proelium sumpsere. Nam Civilis aderat, non minus vitiis quam virtute suorum fretus."

Nam; cuius ergo rei hic ratio redditur? Nullius ut opinor: pergit tantummodo narratio. Ergo pro *nam* legendum est *iam* vel, quod praestat etiam, *iamque*.

H. IV, 48. Postquam exposuit qui factum sit ut in provincia Africa praeter proconsulem adesset legatus cum legione, seque ignorare declaravit quomodo res novae, de quibus cum maxime narrat, in ea provincia ortae sint: sollicitaveritne Pisonem proconsulem Festus legatus an legatum proconsul, sic pergit Tacitus:

„Nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse; et quidam e Vitellianis urbe profugi ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suscepto tutius bellum."

Haud dubie corruptum *suscepto*, sed quod coniecit Victorius probantque plerique editores *suspecto*, eo vitium non persanatur. Nihil enim nunc comparativus *tutius* quo referatur habet. Legendum censeo: „pace suspecta tutius bellum" i. e. apertum bellum praestat paci, in qua semper tacitis sis suspicionibus obnoxius. Tali revera pace Africam provinciam usam esse ex

iis, quae citavimus, apparet, eleganterque illa *suspecta pax* appellatur.

H. IV, 80. Orta inter Mucianum Primumque Antonium discordia, ad Vespasianum hic proficiscitur. Dubius inter utrumque haeret princeps: quae sint Antonii de sua causa merita probe novit, sed eundem ut tumidum et vix ferendum notant ét Muciani epistolae ét ceterorum sermones:

„Neque ipse (Antonius) deerat adrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quae meruisset."

Haud dubie ante *vocare* excidit p (pro). Nam quos locos Heraeus ad simplex *vocandi* verbum defendendum affert, in iis praesidii nihil est: ibi enim non *res* aliqua sed *homo* obiectum est: H, V, 25: „si populum Romanum armis vocent", H. II, 81 „singulos nomine ciens praemiis vocans" (atque hic totum illud *praemiis vocans* delendum esse supra demonstravi); Germ. 14: „vocare hostem et vulnera mereri". Quod praeterea affertur Ann. VI, 40, in numero alterutro vitium typothetae latere videtur.

H. V, 4. De moribus Iudaeorum et alia et haec traduntur:

„Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur; et raptarum frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur."

Non repugno quominus vocabula q. s. *raptarum frugum* sic interpretemur ut iis significetur quondam Iudaeos fruges sicut eas de agro rapuerant comedisse, nec facta inde farina, nec coctis illis aliove modo subactis. Verum ipsius rei mentio in praecedentibus facta esse debebat; at est de ea altum silentium, nec minus de longa illa fame. Quapropter non sine causa suspicor e c. praecedenti excidisse quaedam; atque exstat ibi locus haud dubie lacunosus. Postquam enim narratum est, qua allocutione Moyses solatus sit vulgus vastis relictum locis, haec sequuntur:

„Assensere atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aeque quam inopia aquae fatigabat."

De aliis aerumnis iam locutum esse Tacitum, cum illud *sed nihil* e. q. s. poneret, mihi quidem constat.

Praeterea pro *detinetur* nostro loco *retinetur* legendum est: *retinentur* enim eae res, quibus pristinae rei servatur memoria.

H. V, 5. Iudaeorum religio quantum differat ab Aegyptiorum vel maxime hinc apparet:

„Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur; Iudaei mente sola unumque numen intellegunt: profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum."

Nullo modo haec cohaerent: confusaque et perturbata omnia. Sed adest Leopoldius meus, lenissima transpositione locum sanans:

„Iudaei mente sola unumque numen intellegunt; summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum; profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant."

An forte totum illud „summum — interiturum" Christiani hominis est annotatio?

H. V, 14. Ad pugnam stant parati Civilis et Cerealis cum suis copiis:

„Neuter ducum cunctator; sed arcebat latitudo camporum suopte ingenio umentium: addiderat (Civilis) obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu revolutus amnis adiacentibus superfunderetur."

Perspicua haec et optime decurrentia. Sed quam languide, quam pueriliter nunc sic pergitur:

„ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa."

Non fero istud „ea loci forma". Quodsi pro *ea* legeretur e. c. *ergo* et virgula post *forma* deleretur, bene locus cohaereret. Sequuntur enim post *adversa* etiam haec:

„Quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus; Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit."

H. V, 15. Et aliis argumentis Cerealis milites ut bono sint animo admonet et hoc:

„Pauciores nuper cum pluribus certasse et tamen fusos Germanos, quod roboris fuerit: superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant."

Lacera haec; vocabulis *fusos Germanos* in universum victoria Romanorum, clades hostium significatur; praeterea de *altera* tantum horum *parte* aliquid additur, ignavos fuga salutem quaesiise, sed etiam de altera parte, de fortioribus inter Germanos, edocendi sumus. Habebimus hoc, si post *Germanos* plenam distinctionem posuerimus, et post *fuerit* inseruerimus *cecidisse* aliumve infinitivum in eandem sententiam: „et tamen fusos Germanos: quod roboris fuerit, *cecidisse*, superesse qui e. q. s." En brevissimo spatio tria vocabula omissa: nam paenultima proximi capitis linea iure Nipperdeius *properabat* addidit, itemque tribus ante nostrum locum lineis *memorabat*.

Ubi dicendi finem fecit Cerealis:

„alacrior omnium clamor."

Nullus hic comparativo locus. Rectissime Nipperdeius *alacris* restituit: suprascriptae literae *er* has turbas dederunt.

(*Finis.*)

Vita Persii, p. 241 Jahn: *satira genus est clarni vel lancis multis ac variis frugum generibus plena.* Nettleship (Lectures and Essays p. 64) pro *clarni* fortasse legendum esse coniecit *cinni*, cl. Nonio p. 59: *cinnus est commixtio plurimorum.* Mihi in mentem venit locus apud Diomedem (Keil I p. 485), ubi nomen *satura* et aliter explicatur et his verbis: *sive satura a lance, quae referta variis multisque primitiis in sacro apud priscos diis inferebatur et a copia ac saturitate rei satura vocabatur .... sive* a quodam genere farciminis *quod multis rebus refertum saturam dicit Varro vocitatum* e. q. s. His verbis adducor ut pro *clarni* restituendum esse credam: *carnis.*

Obiter moneo in Mnemosynes Vol. XIX p. 344 v. cl. C. M. Francken demonstrasse, nihili esse argumentum quo Nonius p. 59 et 43 M. (p. 83 et 62 ap. Wallace M. Lindsay) nititur.

P. H. D.

DE THORACE APUD HOMERUM.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

(*Continuantur e pag.* 128.)

§ 7.

De locis, ubi θώρηξ est intellegendus thorax aëneus.

Loci numero novem sunt, quibus θώρηξ commemoratur ita ut necesse sit censeas de thorace aëneo agi. Thorax enim a Vulcano fabricatus quis dubitet quin aëneus sit? Aëneus igitur est thorax quem Θ 194 Hector gloriatur Diomedi se ademturum, *τὸν Ἥφαιστος 'κάμε τεύχων*. Itemque aëneus is, quem Vulcanus gratum facturus Thetidi petenti ut èt alia filio praebeat arma „*καὶ θώρηκα*" Σ 460, cum ceteris conficit Σ 610 *φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς*, quem induit Achilles Τ 371. Porro aëneus est Agamemnonis thorax Λ 19, quem acceperat a Cinyra rege Cypri, *τοῦ δ' ἤ τοι δέκα οἶμοι ἔσαν μέλανος κυάνοιο, δώδεκα δὲ χρυσοῦ καὶ ἐείκοσι κασσιτέροιο*, et Asteropaei Ψ 560 sqq., *ᾧ περὶ χεῦμα φαεινοῦ κασσιτέροιο ἀμφιδεδίνηται* [1]). Tum θώρηξ Megetis Ο 529 sqq. ita celebratur ut nihil dubii restet quin intellegendus sit aëneus, et Patrocli *θώρηξ*, quem solvit Apollo Π 304 quo nudum heroëm hostibus obiciat, nisi aëneus fingitur, non opus erat eum solvi. Postremo thoracibus aëneis indutos certamine ludicro pugnare vidimus [2]) Aiacem et Diomedem Ψ 811 sqq., hos enim a multitudine secedere Ψ 813 ad armandos se, quod vix opus

1) Vide supra p. 112. 2) Supra p. 126.

esset si satis haberent galeam induere, fascia scutum adaptare, gladio cingi, hastam sumere. Accedit, quod ictum parat Diomedes in Telamonii guttur, non aliter quam Achilles in Hectoris, ut quod solum telis expositum esset; ipse scuto perfosso thorace a vulnere defenditur.

§ 8.

Quid sit θωρήσσειν, θωρήσσεσθαι, θωρηκτής.

Pertractatis locis quibus commemoratur θώρηξ nunc indagandum videtur, quid sibi velit θωρήσσειν, θωρήσσεσθαι, θωρηκτής. Notissimum et in Iliade et in Odyssea saepius θωρήσσειν et θωρήσσεσθαι non tantum universe esse *armare* et *armari*, sed nonnumquam *ita* „armare" et „armari" ut de thorace aëneo ne cogitari quidem possit, ut K 71, ubi arma recensentur quibus Pylius heros utebatur ὅτ' εἰς πόλεμον Φθισήνορα θωρήσσοιτο, neque tamen in eo numero thorax est; Λ 178, ubi idem Nestor narrat οὐδέ με Νηλεὺς εἴαε θωρήσσεσθαι, ἀπέκρυψεν δέ μοι ἵππους; χ 139, ubi Melanthius Penelopae procos ita alloquitur: ὑμιν τεύχε' ἐνείκω θωρηχθῆναι, affert autem deinde scuta, galeas, hastas, non vero thoraces. Attamen nemo dubitabit quin θωρήσσεσθαι ab origine fuerit θώρηκα ἐνδύεσθαι. Sed quoniam constat voce θώρηξ Graecos non unice thoracem aëneum significasse, sed etiam vestem linteam, patet autem vetustiorem esse hanc eius sententiam, recentiorem illam, neutiquam enim illam in hanc, sed contra hanc abisse in illam, nam èt thoraces aëneos semper in usu communi mansisse, tunicas linteas abinde sexto a. Chr. n. saeculo tantum non exolevisse, èt vocem θώρηξ origine obscura, cum non sit cur ab externis receptam credamus, perantiquam esse, thoracum aeneorum vero post Mycenaeam demum aetatem, quam dicunt, prima cerni vestigia, credibile non est θωρήσσειν, θωρήσσεσθαι ab initio pertinuisse ad hos. Reichel suspicatus est voce θώρηξ ab origine quodlibet corporis praesidium significatum esse. Quod cum vir doctus etiam apud Homerum usu venisse censeat, ostendimus supra [1]) et nullum apud Homerum locum esse ubi id sumere cogamur et tantum non omnibus locis ubi

1) Vide supra p. 106, p. 120, p. 124.

θώρηξ occurrat aut eam sententiam ferri non posse, aut aliam praesto esse explicationem probabiliorem. Neque tamen propterea contenderim fieri non posse ut antiquissimam nominis vim recte fere Reichel explicaverit [1]). Verisimillimum autem duco θώρηκα ab initio nihil aliud fuisse nisi universe *vestitum*, quo tempore scilicet omnis vestitus ex uno, quidquid fuit, constaret vestimento. Neque enim negligendum arbitror quod Fick v. d. cognatam putavit [2]) vocem Indicam „dhar" i. e. *gerere*, èt facile intelligi censeo tum, cum tunica lintea adhiberi coepta est, praecipue hanc, ut vestimentum prae ceteris insigne, praeter nomen proprium χιτών etiam audisse nomen vetustum generale θώρηξ, donec rursus in thoracem aëneum sive ab ipsis Graecis inventum, sive ab aliis gentibus acceptum concesserit [3]). Idque si ita est, dubitare non licet quin Graecis antiquissimo tempore verbum θωρήσσειν nullam aliam vim nisi *vestiendi* habuerit. Vestitum autem tunc assumebant propter nullam aliam causam potius, quam ad pugnam ituri, in plerisque vitae cotidianae operibus nudi [4]), atque etiamsi domi subligaculo, aut ad frigus tolerandum pelle ferina pro amictu uterentur, tamen mitra et deinde tunica lintea [5]) cingebantur ad pugnam. Nihil mirum igitur si θωρήσσειν dicebatur pro eo quod plenius esset θωρήσσειν εἰς πόλεμον [6]), θωρήσσειν τεύχεσι vel σὺν τεύχεσι [7]), sponte autem

1) Robert l.l. p. 28 recte negat voci θώρηξ inesse posse id quod ille nuncupat: „einen Collectivbegriff". At perperam, credo, vir doctus id voluisse iudicavit Reichelium, neque hic, si voluit, constanter dicere potuit, id quod dixit, verbis δίπλοος θώρηξ significari balteum et mitram, vide supra p. 120.

2) Wörterbuch der Indogermanischen Sprachen.

3) Neque tamen in tunicis linteis significandis prorsus exolevit; nam cur vel Aiacem B 529, vel Amphium B 830 poëta λινοθώρηκα appellavit, nisi eius aetate etiam thoracibus *aëneis* uterentur homines? cur alioquin λινοθώρηκες dicerentur Argivi in oraculo VII° fere a. Chr. n. saeculo divulgato? De Alcaei autem temporibus commemorantis θώρακας νέω λινώ (Bergk fr. 15) et Iphicratis, quem Nepos tradidit (vita Iph. § 4) militibus suis linteos dedisse thoraces, ne verbo quidem opus est (vide supra p. 108).

4) Quod cernere licet in imaginibus monumentorum Mycenaeorum. Non raro milites quoque in eis proponuntur nudi, alii, ceteroquin nudi, mitra cincti, alii mitra et subligaculo.

5) Vulgo mitra simul et tunica bellatores indutos fuisse, inde patet, quod cum quadam emphasi sodales Sarpedonis Π 419 dicuntur ἀμιτροχίτωνες.

6) Ita A 226, E 737, Θ 376, 388, K 78, T 36.

7) Θ 376, 530, Λ 49, 725, M 77, Π 40, 155 sqq., Σ 277, 308, χ 139. Quod Robert

sic universe *armandi* oriebatur notio, non aliter quam usu venit in verbis *ζωννύναι* et *κορύσσειν*.

Sequitur ut *θωρηκτής* M 317 O 689, 739 Φ 277, 429 nihil aliud sit nisi *armatus*, neque opus est, praesertim si recte se habent ea quae exposuimus de tunicis laminis aëneis munitis, ut is qui dicitur *πύκα θωρηκτής* M 317 O 689, 739 thorace aëneo armatus fingatur.

§ 9.

Thoracem aëneum non convenire cum scuto talari. Recensentur loci ubi clipeis vel scutis minoribus non scutis talaribus armati proponuntur milites.

Praeter locos in superioribus pertractatos, quibus *θώρηξ* nominatim commemoratur, permulti sunt alii, quibus arma virique proponuntur ita, ut nulla thoracis mentio fiat. Quos antequam persequamur singulos, quo sciscitemur utrum auctores thoracis aënei rationem habuerint necne, iuvat exquirere ecquid universe e ceterorum armorum, quae a poetis describuntur, natura hac de re discere liceat. Demonstravit Reichel [1]) scuta magna oblonga, talaria, quorum propria appellatio est *ἀσπὶς ποδηνέκης*, *ἀμφιβρότη*, *τερμιόεσσα*, *σάκος ἠύτε πύργος*, depicta in monumentis artis e solo effossis, Mycenaeae quam dicunt aetatis antiquissimae [2]), quorum descriptio in Iliade frequens est nec desideratur in Odyssea [3]), inventa et adhibita

l.l. p. 34 animadvertit ad Π 155: „Π 155 steht ausserdem noch der ungeheuerliche Ausdruck *θωρῆξαι σὺν τεύχεσιν*, also *σύν* met dem Dativ statt des Dativ instrumentalis. Schon dies ist ein Zeichen der Ueberarbeitung, denn der Interpolator hat offenbar ältere Iliasstellen falsch aufgefasst, wo *σὺν τεύχεσιν* nicht, wie er meinte, bei *θωρηχθέντες* sondern zum verbum finitum gehörte", hac in re mihi videtur errare vir doctus, nam revera *σὺν* cum dativo de instrumento dici compluribus apud Homerum locis efficitur, ut Δ 161: *σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσι.* Non aliter E 220 *σὺν ἔντεσι πειρηθῆναι* Λ 386, N 719, Π 279.

1) H. W.² p. 63.

2) Eiusmodi scutorum duo genera fuisse ostendunt monumenta Mycenaea antiquissima (Reichel ll. p. 14), sed cum haec apud Homerum non distinguantur, ad nos res non pertinet.

3) Aliter Ridgeway ll. p. 313: „the Homeric shield is constantly described as circular", quem redarguunt, ne alia afferam, et ipsum nomen *ποδηνέκης* et locus notissimus Z 117: *ἀμφὶ δέ μιν σφύρα τύπτε καὶ αὐχένα δέρμα κελαινὸν ἄντυξ ἣ πυμάτη θέεν ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης.* Clipeus nullus unquam inventus est cuius orbis esset radio maiore quam sesquipedali.

esse quo tempore nondum bellatores uterentur thoracibus aëneis, neque enim qui thoracatus sit eiusmodi scutum apte tractare posse, neque eo tectum thoracis aënei indigere [1]); Mycenaeam autem aetatem non tantum antiquissimam et mediam, sed extremam quoque, quantum ex monumentis quae ex hac supersunt efficere licet, in quibus proponuntur milites pro scutis talaribus armati clipeis a recentioris aetatis clipeis tantum eatenus discrepantibus, quod aut minores sunt [2]) aut leviter oblongi [3]) aut ab ima parte leviter excavati [4]), militum carere imaginibus thoracatorum. Neque apud Homerum militum èt thoracibus aëneis indutorum èt simul munitorum scutis talaribus ullum certum vestigium est. Aëneum fingi vidimus thoracem Agamemnonis Λ 19 sqq. Patrocli Π 804, Achillis a Vulcano armati Σ 610, quibus cum locis singuli cohaerent versus (Λ 58, Π 803, Σ 480) quibus Agamemnonis, Patrocli, Achillis ἀσπίδες pendere dicuntur ἐκ τελαμῶνος convenienter ad scutum antiquum, quod sustinebatur fascia, gerentis collo circumdata, non ad clipeos recentiores, qui intus instructi erant manubriis et loris ad bracchium laevum inserendum; sed antiquissimos etiam clipeos, ut supra monui [5]), ex imaginibus in vasis Mycenaeis depictis efficiendum videtur pependisse ἐκ τελαμῶνος, quamvis ne manubria quidem eis defuerint. Neque aliter se habent scuta multo illis talaribus minora saepiusque ab utroque latere penitus incisa [6]), efficta in vasis geometricis vulgo dictis, quae aequo iure hic afferre licet. Quod vero Agamemnonis ἀσπίδα Λ 32 ἀμφιβρότην, Patrocli Π 803 τερμιόεσσαν nuncupat poëta aptius de scuto talari quam de clipeo vel scuto minore si egit, nihil vetat credere illa nomina, propria eorum vi neglecta, in haec translata esse, ut Υ 281 Aeneae vel clipeum vel scutum minus ita vocari mox videbimus [7]). Porro quod Achillis ἀσπίς dicitur Σ 481 πέντε

---

1) Sic apud Romanos secundum Servii Tullii institutum secunda classis scutis armata thoracibus vel loricis carebat; cf. Liv. I 43 Dion. IV 16.

2) Cf. Schliemann Tiryns tab. XIV.

3) Sic in pictura murali Mycenis inventa; cf. Ἐφ. ἀρχ. 1887 πιν. 11. 1896 πιν. 1

4) Furtwängler u. Löschke Mykenische Vasen p. 424. 3.

5) Supra p. 127.

6) Furtwängler Arch. Zeit 1885 p. 19. Erich Pernice „über eine geometrische Vase".

7) Vide infra p. 159.

πτύχας habuisse idque vix aliter intellegere licet nisi ita ut ex quinque coriis confecta fuerit, lamina aënea, ut par est, obducta [1]), cum recentioris aevi clipeos totos aëneos fuisse constet, non vetamur credere antiquissimos clipeos et scuta illa minora scortea fuisse [2]), ut Deiphobi ἀσπίς N 162 dicitur ταυρείη et Aeneae refertur Υ 278 κύκλους habuisse duos, quod vix credibile si tota aënea fuit, cum tamen, quod mox ostendam [3]), neutro loco de scuto talari sermo sit. Itaque statuere licet, quod ipsa natura rei probatur, non simul èt thoracem aëneum et ingentem molem scuti talaris poëtas tribuisse proeliatoribus, neque ergo de illo cogitasse ubi hoc eos armatos proponerent, iis saltem locis quibus non tantum uterentur nominibus scuto talari propriis, quae recentiores depromere potuerunt minus intellecta e carminibus vetustioribus, sed ipsa ratione qua facerent milites agitantes, quam prorsus aliam esse demonstravit Reichel [4]) in scuto talari quam in clipeo vel scuto minore tractando, sibi ob oculos versari ostenderent imaginem eorum quae describerent.

Iam vero ut procul dubio est, nonnullis locis apud Homerum non agi de scutis talaribus, verum de clipeis aut de scutis minoribus, ita multo pauciores esse hos locos arbitror quam voluit Robert. Putat enim vir doctus èt ubi commemorentur ἀσπίδος κύκλοι Λ 33 Υ 280 vel κύκλος M 296, et ubi ἀσπίς vel ἐύκυκλος vel πάντοσ' ἐΐση dicatur vel quo loco vocetur δινωτός N 407, utique de clipeo agi, nisi quod nonnullis locis ab interpolatoribus „ἐυκύκλους" pro „ἀμφιβρότας", „ἐυκύκλου" pro „ἀμφιβρότης", „πάντοσ' ἐΐσην" pro „τερμιόεσσαν" vel „ὀμφαλόεσσαν" substitutum sit [5]). At comparatio verborum ἐύκνημις, ἐυμμελίης, ἐύπω-

1) Nam quod auctor loci Υ 264—272 ex quinque laminis Achillis clipeum vel scutum minus commissum fingit, errore insigni huius sive poetae sive interpolatoris deberi viderunt complures viri docti; cf. vLeeuwen in Ed. Il. ad hunc locum.

2) Itaque e nominibus quoque ῥινός Δ 447, E 308, Θ 61, Σ 281 et βοῦς H 228, M 105, 137, Π 636 per se spectatis minime efficere licet agi de scutis talaribus, quae praeterea potuerunt, non aliter quam ἀμφιβρότη et τερμιόεσσα, minus proprie usurpata esse.

3) Vide infra p. 159.

4) Il. p. 3 sqq.

5) Il. p. 5 sqq. Etiam Eustathius E 797 legit ἀμφιβρότης pro eo, quod est in libris mss. ἐυκύκλου.

λος docet ἐύκυκλον non esse, quod Robert vult „apte in circuli formam redactum", sed „apte orbe vel orbibus instructum", quorum illud (orbe instructum) quadrat in locum M 296 ἔντοσθεν δὲ [τῆς ἀσπίδος] βοείας 'ράψε θαμείας ῥάβδοισι χρυσέῃσι διηνέκεσιν περὶ κύκλον, ubi κύκλος est margo orbis formam referens [1]), hoc (orbibus instructum) rursus duobus modis intellegere licet, aut enim ita ut sit id, quod coriis vel laminis sibi superimpositis, orbis formam referentibus commissum est, quam interpretationem suadet locus Υ 280 διὰ δ' ἀμφοτέρας ἕλε κύκλους ἀσπίδος ἀμφιβρότης, aut id cuius superficies munita est orbibus, quod efficitur e loco Λ 23 ἣν [i. e. ἀσπίδα] περὶ μὲν κύκλοι δέκα χάλκεοι ἦσαν: in prima autem et altera interpretatione necesse est ut id quod ἐύκυκλον dicatur in orbis formam redactum sit, non vero in tertia. Neque Robertio dandum videtur κύκλον utique esse *circulum*. Nam optimo iure Reichel, cum sermo epicus careat voce qua significetur forma oblonga, sciri non posse monuit [2]) an hac quoque vice vox κύκλος fungatur, ita si angulatum non sit id quod ἐύκυκλον dicatur, ut etiam arcus tensus κυκλοτέρης dicitur Δ 124 [3]). Ne voce δινωτός quidem, quo solo loco ἀσπίς dicitur δινωτή N 405 sq. 'κρύφθη γὰρ ['Ιδομενεὺς] ὑπ' ἀσπίδι πάντοσ' ἐΐσῃ, τὴν ἄρ' ὅ γε ῥινοῖσι βοῶν καὶ νώροπι χαλκῷ δινωτὴν 'φορέεσκε, ne ea quidem contendet circuli formam demonstrari, qui contulerit locos Γ 391, ubi Paris narratur quiescere ἐν δινωτοῖσι λέχεσσι, et τ 56, ubi Penelopae ponunt ancillae sellam δινωτὴν ἐλέφαντι καὶ ἀργύρῳ. Tum vero verba πάντοσ' ἐΐσῃ rectissime opinor Helbig [4]) et Reichel [5]) vv. dd. negant ad circuli formam pertinere, non aliter enim quam quotiens cena dicatur ἐΐση, id designari quod „sufficiat", itaque quod „ab omni parte sufficiat", quod sane ad scutum non mi-

1) Locum explicavit Reichel (H. W.² p. 22 sq.). Quem non effecisse puto utique hic *scutum* intellegendum esse, at eis quae attulit redargui Robertium censentem fieri non posse quin *clipeum* spectaverit poëta; verba βοείας θαμείας demonstrant *scorteum* sive scutum sive *clipeum* spectari. — Aliter quam Reichel aut Robert locum interpretatur Helbig Il.² p. 380 sq., quem sequitur vLeeuwen in Ed. Il., praeterea vs. 297 ante 296 ponens. At magis placet Reichelii explicatio.

2) Il.² p. 22.

3) Inconsultius Ridgeway bis perhibet (Il. p. 313 et 319) κυκλοτέρης de clipeis dici.

4) Il.² p. 315.

5) Il.² p. 17.

nus quam ad clipeum convenit [1]). Porro ubi Pandarum arcum tendentem socii quo tutarentur, Δ 113 *πρόσθεν σάκεα 'σχέθον*, Robert non dubitat quin clipeos significare voluerit poëta, non enim nisi se ipsum scuto talari quemquam tegere posse. At locum hunc nihil vetat sic vertere: „ante eum stabant scutis suis tecti". Postremo quod Robert versum χ 186 *ῥαφαὶ δ' ἐλέλυντο ἱμάντων* argumento esse putat [2]) de Laertis clipeo ibi agi, contra vix dubium est quin coria e quibus scuta commissa erant loris confixa fuerint [3]).

Sed probabiliter sumi vidimus [4]), non scuto talari verum clipeo vel scuto minore Agamemnonem cingi Λ 32 sqq., Patroclem spoliari ab Apolline Π 803, Achillem a Vulcano instrui Σ 418, quod sumi nihil prohibere, et, nisi sumatur, necesse esse, monumentis ipsaque rei natura invitis, credatur èt scuto talari èt thorace aëneo eosdem simul milites poëtas armatos finxisse. De clipeo igitur vel scuto minore agitur etiam Σ 468, ubi *ἀσπίδα* filio Thetis ab Ignipotente petit, et T 376, ubi eam sumit Achilles cum ceteris armis a matre acceptis, et ubi cum Achille congressus Υ 259 sqq. Aeneas *ἐν δεινῷ σάκε' ἤλασεν ὄβριμον ἔγχος*, Φ 164 Asteropaeus *δουρὶ σάκος 'βάλεν*, neuter illud perfringere potuit, utpote quod dei donum esset, Υ 268, Φ 165; porro X 290, ubi Hector *'βάλε Πηλεΐδαο μέσον σάκος*, quo utroque loco rursus Achilles fingendus est cinctus armis, quae ei Vulcanus praebuerat; tum, ubi Hector, quem X 322 apparet thorace aëneo indutum esse, quem *Πατρόκλοιο βίην ἐνάριξε κατακτάς*, Achillem expectat X 97 *πύργῳ ἐπὶ προέχοντι φαεινὴν ἀσπίδ' ἐρείσας*, neque sane scutum talare *πύργῳ ἐπὶ προέχοντι* sed humi posuisset; postremo ubi idem X 41 secum reputat sitne pugnaturus an conaturus Peliden plácare deponens et cetera arma et *ἀσπίδα ὀμφαλόεσσαν*. Neque aliter res se habet

---

1) Etiam *ἀσπίδα ὀμφαλόεσσαν* vel *ἐπομφάλιον* necessario intellegi *clipeum* contendit Ridgeway, ll. p. 221 sq. 453 sqq, hunc enim, non scutum, umbone muniri. Sed recte Robert ll. p. 3 assentitur Reichelio monenti ll.^{2} p. 8 p. 17 antiquissimam verborum *ὀμφαλόεις* et *ἐπομφάλιος* significationem non esse „umbone munitus" sed „umbilico praeditus", etenim ex ipsa scutorum Mycenaeorum fabrica sequi ut dubitari nequeat quin haec umbilicata fuerint.

2) ll. p. 8 in ann.

3) Cf. Reichelium ll.^{2} p. 22.

4) Vide supra p. 124.

ubi Aiax et Diomedes in certamine ludicro thoracibus aëneis induti, alter Ψ 818 adversarium ferit *κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην*, alter vs. 820 hastam suam dirigit Aiacis *ὑπὲρ σάκεος μεγάλοιο*. Praeter autem hos locos, nisi Robertio assentiris de verbis *κύκλος, εὔκυκλος, πάντοσ' ἐΐση*, atque de locis Δ 113, X 186, tredecim restant loci in Iliade (nullus vero in Odyssea) ubi clipeum vel scutum minus — etenim haec distinguere nusquam licet — significari apparet. Nam Teucer Θ 271 post singulas missas sagittas *αὖτις ἰὼν πάις ὣς ὑπὸ μητέρα 'δύσκεν εἰς Αἴανθ', ὃ δέ μιν σάκε' ἐκρύπτασκε φαεινῷ*, ubi propterea de scuto talari cogitandum non est quod inter Aiacem scutumque humi nitens et fascia collo eius circumdata retentum, neque erat quomodo frater staret, neque etiamsi tamen staret, quomodo Aiax ita scutum tolleret, quod nisi pertica arrepta facere non poterat, scuto enim manubria et lora ad bracchium inserendum deerant, ut frater egredi posset, quod fieri tamen legitur vs. 268. Tum Achaei dicuntur ad pugnam parati consistere Λ 593 N 488 vel progredi X 4 *σάκε' ὤμοισι κλίναντες*, scutum autem talare cum ad proelium paratus bellator consistebat non ad corpus annitebatur sed pertica arrepta humi nitens ita corpori curvato praetendebatur, ut capite inclinato maior quoque conderetur faciei pars, cumque milites progrederentur scutum talare aut ante pectus aut in tergum reiectum ex fascia pendebat aut rursus, pertica arrepta laeva, paululum humo tollebatur, ita ut non aliter praesidio esset atque in pugna stabili. Sed clipei scutulaque minora, cum in progrediendo in hostem, tum in ipsa pugna manubrii ope bracchio sustentata applicabantur ad laevum humerum. Porro Deïphobus N 163, Aeneas Υ 278 alter *ἀσπίδα ταυρείην 'σχέθ' ἀπὸ ἕο*, alter *ἀπὸ ἕθεν ἀσπίδ' ἀνέσχε*, — quae vs. 281 dicitur *ἀσπὶς ἀμφιβρότη* (de qua re vide supra p. 153), — scutum vero talare praegrave, quod pugnam inituri ante se humi ponebant milites, idque tam procul a corpore quam manu arripientibus perticam bracchium et fascia collo circumdata sinebant, non erat cur in proelio moverent, nedum tollerent [1]). Atque Π 702 de Patroclo legimus: *τρὶς μὲν ἐπ'*

---

1) Etiam Achilles Υ 261 *σάκος μὲν ἀπὸ ἕο χειρὶ παχείῃ ἔσχετο*, ubi iam aliis de causis vidimus (supra p. 158) intellegendum esse clipeum vel scutum minus.

ἀγκῶνος 'βῆ τείχεος ὑψηλοῖο, quod fidenter neges eum scuto talari onustum facere potuisse. Tum Δ 282 Η 62 considunt στίχες πυκναὶ ἀσπίσι καὶ κορύθεσσι καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι, unde apparet arrectas teneri τὰς ἀσπίδας, aliter quam Γ 89, ubi dicuntur Troiani omnesque Achivi τεύχεα κάλ' ἀποθέσθαι ἐπὶ χθονὶ et 195, ubi Ulixis τεύχεα κεῖται ἐπὶ χθονὶ πολυβοτείρῃ. Porro Θ 193, ubi legimus ἀσπίδα Νεστορέην πᾶσαν χρυσείην ἔμεναι κανόνας τε καὶ αὐτήν, potius ut de clipeo quam de scuto cogitemus suadet et ipsum aurum ex quo confectum est, et quod commemoratur una cum Diomedis thorace a Vulcano confecto. Tum Κ 152 Diomedis comites εὗδον ὑπὸ κρασὶν δ' ἔχον ἀσπίδας, minus autem idoneum fuisse quo quis pro pulvino uteretur scutum quam clipeum ostendit Reichel [1]). Postremo idem demonstravit [2]) inde quod Ulixes colliget equos Κ 499, in quos ipse et Diomedes ascensuri sint, et solus eos regat vs. 513, 527, 530 [4]), sequi ut poëta significare voluerit ἱπποβάτην et ἱπποστρόφον, quales in vasis Corinthiis saeculi septimi a. Chr. n. depingantur, Diomedem autem, cum hippostrophi partes sumat Ulixes, thorace aëneo et clipeo armatum fuisse.

Neutiquam autem his locis probatur, eum qui clipeo scutulove minore armatus proponatur propterea, nisi alia accedant, fingendum esse indutum thorace aëneo. Eaque res immota manet etiamsi fortasse in sequentibus verisimile esse appareat [4]), extrema Mycenaea aetate, quae est eadem atque vasorum geometricorum, in cuius monumentis vidimus depictas esse imagines militum clipeis et scutulis minoribus armatorum, usum thoracis aenei Graecis non ignotum fuisse. Quod non propterea sumere prohibemur, quod in illis monumentis thoracis aënei vestigium nullum cernatur. Nam aliae ex illis imaginibus, quae thoracibus aëneis carent, manifesto sunt militum e numero non ducum vel principum, unde colligere non licet ne principes quidem tunc temporis thoracatos fuisse; aliae autem sunt militum clipeis suis vel scutulis ita tectorum ut distinguere non liceat, utrum thoracatos eos

---

1) H. W.² p. 41.
2) H. W.² p. 41.
3) Κ 530 codex A habet ἵππους, complures libri mss. 'Οδυσσεύς.
4) Infra § 15.

voluerit artifex necne. Sed fac extrema Mycenaea aetate cognitum iam fuisse usum thoracum aënorum, inde nullo modo sequitur ut non clipei et scutula minora etiam antea usitata fuerint, neque hoc eo redarguitur quod in vetustioribus monumentis Mycenaeis clipei atque scuta minora non depinguntur, id enim in paucitate monumentorum casui tribui potest; verisimile autem est prius extitisse usum scutulorum minorum et clipeorum quam thoracum aëneorum, non contrarium. Fieri ergo potest ut cantoribus, etiam qui florerent aetate Mycenaea extrema, cum non sui sed vetustioris temporis habitum, quo thoraces aënei ignoti essent, in carminibus proponere vellent, tamen licuerit constanter sibi milites illis clipeis et scutulis armatos fingere. Atque etiamsi quis hoc non admittat censeatque clipeos et scuta minora, quoniam in monumentis vetustioribus Mycenaeis non occurrant, id temporis ne cognita quidem fuisse, itaque poëtas qui florerent Mycenaea aetate extrema, si milites illis armatos fingerent, non vetustioris sed sui temporis habitum tribuisse bellatoribus quos celebrarent, ne sic tamen sequitur ut hic ἀναχρονισμὸς etiam latius patuerit et ad aliorum armorum picturam pertinuerit. Prorsus enim credibile est, poëtas quos fugeret priscos heroes nondum eiusmodi usos esse clipeis et scutulis qualibus sui uterentur aequales, tamen probe tenuisse illos non indutos fuisse thoracibus aëneis, et minime animum induxisse his eos cinctos fingere.

§ 10.

Ἐυκνήμιδες qui sint, non esse cur eidem thoracati habeantur.

Ubicunque ἐυκνήμιδες vocentur milites Robert censet fieri non posse quin spectaverit poëta ocreas aëneas, has autem unice convenire ad thoraces clipeosque aëneos [1]). Hoc non diiudico, illud nego. Concedendum est ubi milites proponantur armati thorace aëneo, clipeo, ocreis, vix dubium esse quin intellegi poëtae voluerint ocreas aëneas. Sed ocreas scorteas quoque iis notas fuisse, inde apparet, quod Laërtes ω 228 eiusmodi ocreas induit. Eiusmodi ocreas sine necessitate Robert infitias it ad usum bellicum ad-

1) Il. p. 44 sqq.

hibitas fuisse. Quae enim in hanc sententiam profert v. d. partim pertinent ad locos ubi aliis de causis apparet thoracatos fingi milites, cetera levissima sunt. Contendit enim, quod ocreae dicantur ἐπισφυρίοισ' ἀραρυῖαι, easque qui induat „περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε", argumento esse aëneas fingi: quod quam verum sit ne refert quidem rogare, cum non legatur id nisi Γ 330 sq. de Paride, Λ 17 de Agamemnone, Π 132 de Patroclo, Σ 45 sq. et Τ 369 sq. de Achille, quibus locis, id quod supra vidimus [1]), aut cogimur aut minime vetamur credere eorundem heroum commemorari thoracem aëneum. Quid? cum e stanno confectae narrentur Achillis quas a Vulcano accepit ocreae Σ 613 Φ 592, uno tantum loco totidem verbis aeris hac in re mentio fit, Η 41, ubi Achivi nuncupantur χαλκοκνήμιδες, is autem locus, cuius auctorem nihil vetat credere thoracibus quoque aëneis indutos illos proposuisse, nullam omnino vim habet ad alios aliorum auctorum locos. At, inquit Robert, ocreae scorteae nullo modo dignae sunt propter quas ἐυκνήμιδες appellentur milites. Quod nemini credo persuadebit. Itaque, ut recte se habeat, ocreas aëneas quicunque bellatores induerunt, hos thoracatos fuisse, e voce ἐυκνήμιδες hac de re nihil discimus. Contra rectissime monuisse videtur Reichel [2]), ocreas ab origine non tam fuisse αἰχμῆς καὶ πετρῶν προβλήματα quam eo consilio adhibitas ne tibias laederet margo scuti talaris, quemadmodum de Hectore legimus Ζ 117 ἀμφὶ δέ μιν σφυρὰ 'τύπτε καὶ αὐχένα δέρμα κελαινὸν ἄντυξ ἣ πυμάτη 'θέεν ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης.

§ 11.

Duo esse galearum genera; qui galeis scorteis induti vel capite nudo in aciem prodeant, thoracatos non esse.

Galearum duo praecipue genera in carminibus Homericis discerni probabiliter Robert statuit [3]); quarum quae ad alterum genus pertinent scorteae sunt, munitae labro aëneo, στεφάνῃ [4]), et fistulis aëneis,

1) Supra p. 127. 2) H. W.² p. 57 sq.

3) Il. p. 47 sq.

4) Voce στεφάνη, quatenus ad galeam pertineat, designari labrum aëneum quo munita esset galea scortea ostendit Reichel H. W.² p. 100 sq. Duo autem modo

φάλοις [1]) sive φαλήροις [2]) — unde eiusmodi galea nuncupatur αὐλῶπις [3]) et τετράφαλος [4]) vel τετραφάληρος [5]), alterae cassides instructae genarum nasique tegumentis, unde audiunt χαλκοπάρῃοι, utraeque ornatae cristis, sed illae etiam sine cristis, ἄλλοφοι. Hoc genus aptius tribui militibus scutis vel clipeis scorteis non vero thoracibus aëneis armatis, per se perspicuum est. Neque tamen plus quatuor loci sunt, ubi manifesto bellatores eidem èt sine thorace aëneo prodeant èt cum galea scortea. Paridem volo, cuius cum Menelao certamen supra pertractavimus; cui Γ 371 legimus galeae a Menelao arreptae — quae etiam vs. 362 munita dicitur φάλῳ — lorum anxisse guttur: loris autem non opus erat cassidi; tum Ulixem et Diomedem, qui, somno experrecti alter K 149 solum ποικίλον ἀμφ' ὤμοισι 'θέτο σάκος, alter vs. 177 solum ἐέσσατο δέρμα λέοντος, deinde in castra Troiana explorandi causa profecturi alter vs. 260 a Merione, alter vs. 257 a Thrasymede accipiunt galeas quas, ample descriptas, apparet confectas nullo adhibito aere [6]),

---

apud Homerum loci sunt quibus ea sententia occurrat H 12, Λ 96. Nam K 30, ut Reichelii verbis utar „ist die στεφάνη als pars pro toto für den Helm gebraucht". Addit autem v. d.: „das ist ganz verständlich wenn sie der einzige oder hauptsächliche Metallschutz daran war. Einen Metallhelm nach dem an ihm unauffälligen Reifen zu benennen hat wenig Sinn." Contra Robert ad K 30 hoc (ll. p. 50): „die στεφάνη χαλκείη, die sich Menelaos in der Doloneia aufsetzt (ist) gewiss als Bronzehelm gedacht". At si στεφάνη hic est ipsa galea, nihil vetat χαλκείην intellegere „aëre munitam"; cf. supra p. 112.

1) Cf. Reichel H. W.² p. 98.

2) Eandem esse sententiam vocum φάλος et φάλαρον ostendit Robert ll. p. 48.

3) Cf. Reichel H. W.² p. 96 sq.

4) Cf. Reichel H. W.² p. 98.

5) τετράφαλος et τετραφάληρος non differre ostendit Robert ll. p. 48. At „ἀμφίφαλος" esse *fulgens*, cf. Schultze Quaest. Ep. p. 464. Legimus E 743 Minervam induere κυνέην τετραφάληρον χρυσείην ἑκατὸν πολίων πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν. Locum impeditum vLeeuwen in ann. ad hunc locum corruptum censet. Cui nolim obloqui. Sed interpolatum esse vs. 743 inde apparet quod vs. 284 sq. dea Orci galeam induit. Itaque capite nudo in proelium ierat. — Diomedes Λ 350 sqq. Hectoris caput hasta petens 'βάλεν .... ἄκρην κὰκ κόρυθα, 'πλάγχθη δ' ἀπὸ χαλκόφι χαλκός, οὐδ' ἵκετο χρόα καλόν· ἐρύκετο γὰρ τρυφάλεια τρίπτυχος αὐλῶπις. Robert ll. p. 47 censet vs. 353 interpolatum, neque dubitat, quin de casside hic sermo sit. At nihil prohibet sumere hastam icisse galeae cristam aëneam. — Ceterum animadvertendum e voce κυνέη, non aliter atque e vocibus ῥινός et βοῦς (cf. supra p. 156 in ann. 2) de materia unde galeae eo nomine designatae confectae sint, nihil apparere.

6) Supra apparuit (p. 160) poëtam videri Diomedi vs. 498 tribuere thoracem aëneum. Id tamen hac in re non magni momenti esse puto. Nam vs. 257 haud dubie nihil

postremo Dolonem speculatorem Troianum, qui K 333 sqq. ἀμφ' ὤμοισιν ἐβάλλετο καμπύλα τόξα, ἑέσσατο δ' ἔκτοσθε ῥινὸν πολιοῖο λύκοιο, κρατὶ δ' ἐπὶ κτιδέην κυνέην, ἕλε δ' ὀξὺν ἄκοντα. Ab altera parte Agamnon Λ 41 κρατὶ ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον ἵππουριν, qui tamen vs. 19 thoracem aëneum a Cinyra rege Cypri acceptum induit. Et Patroclo Π 793 Apollo galeam ademit, ἡ δὲ κυλινδομένη καναχὴν ἔχε ποσσὶν ὕφ' ἵππων αὐλῶπις τρυφάλεια, cuius deinde vs. 804 solvit thoracem aëneum [1]). Et Achilles X 314 κόρυθι ἐπένευε φαεινῇ τετραφάλῳ, cinctus armis quae ei praebuerat Vulcanus. Credibile est, id quod posthac demonstrabo [2]), alterum et tertium locum i. e. vss. Π 793 X 314 restitisse e carminibus vetustioribus, quibus non thoracati proponerentur Patrocles et Achilles, sed quoquomodo hoc se habet, prudenter egerit, qui, nomina αὐλῶπις, τετράφαλος, τετραφάληρος sententia exoleta etiam cassidibus tribui posse opinatus, eis tantum locis revera galeis scorteis milites tectos statuerit sibi proposuisse poëtas, ubi e rebus narratis hoc concludatur. Quapropter etiam κόρυθ' αἰόλος si interpretaris „vibrans galeam" [3]), quod aptius de galea scortea dicitur, quae cum prematur pondere cristae moto capite vibretur, quam de casside, quippe quae rigida sit neque vibrari queat, tamen, neglecta illa proprietate adhiberi potuit de bellatore hac armato. Ipse versus δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευε, quamvis ob eandem illam causam potius galeam scorteam intellegas [4]), tamen non eiusmodi

---

minus spectavit auctor quam ut Diomedem thoracatum fingeret, quippe cui vs. 178 pellem leonis pro solo vestitu dedisset, neque quidquam mutasset cum Ulixe ad speculandum proficiscenti, nisi quod galerum a Thrasymede accipientem faceret. Manifesto igitur parum horum memor vs. 498 eum hippobatae vice fungentem fecit.

1) p. 145.

2) Vide infra § 14.

3) Sed aequo iure intelleges „munitus galea variegata" (quemadmodum αἰολομίτρης est „munitus mitra variegata") quod, non minus quam ad cassidem, pertinet ad galeam scorteam quae quidem aere munita sit.

4) Miror Robertium l.l. p. 50 ita disserere: „Allerdings die Formel δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν schildert mit so lebendiger Anschaulichkeit den nach vorn herabnickenden Busch des Korinthischen Helms, während der des Mykenischen entweder nach hinten zurückfällt oder kammartig absteht, dass es schwer fällt, hierbei nicht an den Bronzehelm zu denken". Cristas tam resupinas quam pronas ostendunt imagines èt cassidum èt galearum scortearum. Neque id hic agitur, sed utrum crista nutet an immota stet.

esse videtur, praesertim cum in formulam abierit [1]), ut negare liceat de casside adhiberi potuisse [2]). Ceterum perpauci sunt loci, quibus pro certo statuere liceat de casside aënea agi. Nam praeter locos M 183, P 294, Υ 397, ω 522, ubi *χαλκοπάρῃος*, θ 403, λ 574, σ 378, ubi *πάγχαλκος* dicitur *ἡ κυνέη*, nulli alii huc pertinent nisi Π 411 sqq. ubi Patroclus Erylai, Π 577 ubi Hector Enipei galeam postquam percussit, caput *ἄνδιχα πᾶσ' ἐκεάσθη ἐν κόρυθι βριαρῇ*, unde apparere videtur ipsam galeam non fissam fingi [3]). Quod autem deciens occurrit *κεκορυθμένος αἴθοπι χαλκῷ* Δ 495, E 562, 681, N 305, P 3, 87, 592, Υ 111, 117, Φ 434, nihil aliud eo designari videtur nisi „armatus aere fulgenti" [4]). Nam Φ 434 Telemachus, qui nudo capite ibi est, arreptis gladio et hasta dicitur *κεκορυθμένος αἴθοπι χαλκῷ*. Neque repugnat, quod Γ 18, Λ 43, χ 125 iacula dicuntur *κεκορυθμένα χαλκῷ* i. e. praefixa aere et Π 802 iaculum *κεκορυθμένον* tantum, i. e. praeacutum vocatur. Restat ut moneam, ubi casside muniti milites describantur, inde non sequi ut thorace aëneo fingantur induti, ut σ 378, quod mox apparebit [5]), de milite agitur non thoracato. Ab altera parte non thoracatos esse consentaneum est, qui capite nudo in aciem procedant.

---

1) Propterea alia est causa versus Z 470 *δϝεινὸν ἀπ' ἀκροτάτης κόρυθος νεύοντα νοήσας*, quo non dubito quin galea scortea designetur. Conferre licet N 805 *ἀμφὶ δέ ϝοι κροτάφοισι φαεινὴ σείετο πήληξ* et O 608 *ἀμφὶ δὲ πήληξ σμερδάλεον κροτάφοισι τινάσσετο.*

2) Sic Λ 42 ubi de Agamemnonis galea sermo est, quem thoracatum ibi fingere poëtam vidimus supra p. 145. Versus bis redit, Γ 337, quem versum supra demonstravimus (p. 126) interpolatum esse, et Π 138. Hic Patroclus depingitur arma induens, inter quae est etiam thorax aeneus (cf. supra p. 126 in ann. 1).

3) Υ 387, qui locus ceteroquin non differt, absunt verba *ἐν κόρυθι βριαρῇ*, quapropter res ibi alia est. Ceterum Ξ 496 ubi Peneleus Ilioneo, Υ 478 ubi Achilles Deucalioni, gladio cervice caesa, *τῆλ' αὐτῇ πήληκι κάρη 'βάλε*, Robert (l.l. p. 236) fieri non posse ait ut agatur de galea scortea. At non video cur eiusmodi galea, quam vidimus (p. 163) sub mento loris aptari, non possit capite praeciso una cum eo in terram decidere.

4) Cf. supra p. 154.

5) Vide infra § 12.

§ 12.

Recensentur loci, quibus depinguntur vel bellatores vel arma bellica, ita ut neque mentio fiat neque ratio haberi videatur thoracis aënei.

Nunc locos conferam quibus vel bellatores vel arma bellica ita depinguntur ut thoracis aënei neque mentio fiat neque rationem auctores habuisse videantur.

Et primum quidem huc referendi sunt loci, quibus „παρ' ἀσπίδος" (παρ' ἀσπίδα) vel „στρεφθέντι" nudari dicuntur ad vulnera: *latus* Δ 468 sq., *pectus* Π 312, 399, *tergum* Μ 428, quae nudari non diceret poëta si thorax aëneus ea tegeret [1]), et similiter res se habet ubi non „nudari" quidem sed mere „vulnerari" narrantur *pectus* Δ 480 sq., 527 sq., Ε 19, 145 sq., 392 sq., Θ 121, 302 sq., 313, Λ 108 sqq., 144, 321, Ν 186 sq., Ο 419, 523, 577, 650, Π 481, 597, *venter* Δ 525, Ε 539, 616, 856, Ζ 64, Λ 423 sq., 579, Ν 411 sq. Ξ 447 sq., 517 sq., Π 318 sq., 465, 821, Ρ 349, Υ 469, 486, Φ 180 *tergum* Ε 40, 56, Θ 258, Λ 447, Ν 546 sqq., Υ 402, 488; quae tegit thorax aëneus [2]), quem minime est credibile perfodi quemquam sine verbis intellegi voluisse [3]). At haec ratio nonnisi caute ad-

---

1) Ab altera parte, quod Lycaonem Φ 50 γύμνον ἄτερ κόρυθος καὶ ἀσπίδος poëta dicit, item quod Hector Χ 124 secum meditatus, utrum praestaret cum Achille pugnare an positis armis conari eum placare, reiecto hoc consilio ait οὐδέ τί μ' αἰδέσεται, κτενέει δέ με γύμνον ἐόντα, alia res est, neque enim aliquam corporis partem nudari sed inermes Lycaonem et Hectorem esse poëta voluit, quae res eadem manebat, sive thoracati essent, sive minus.

2) Cum balteus tegat τὴν νέαιραν γαστέρα (vide supra p. 114), sequitur ut eam tegat etiam thorax aëneus. Hoc igitur tegitur etiam νείατος κενέων (Ε 867 sq. Π 821) et λαπάρη (Ζ 63, Ξ 446 sq. 516 sq., Π 318). Alia res est ubi vulneratur βούβων (Δ 491) vel ubi (Ν 567) αἰδοίων τε μέσηγυ. καὶ ὀμφαλοῦ vulnus infligitur, quas partes non tegit thorax nisi recte Aristarchus censet zoma thoraci affixum eiusque partem esse, quod negamus (vide supra p. 117, p. 121 sq.).

3) Robert cum censeat (l.l. p. 63 sq.) λαπάρην et γαστέρα νέαιραν thorace non tegi, nihil vetare putat Thrasymelum Π 465, Satnium Ξ 447, Hyperenorem Ξ 517, Atymnium Π 318, quorum in numero Thrasymelus νέαιραν κατὰ γαστέρα, ceteri κατὰ λαπάρην vulnerantur, thorace indutos credi et revera Thrasymelum ita fingendum esse quoniam νέαιρα γαστήρ — aliter quam λαπάρη — tegatur scuto talari, quod si perfossum esset, poeta non omisisset narrare. At nullo modo cogimur sumere Thrasymelum nisi thoracatus fuerit, armatum fuisse scuto talari (cf. supra p. 161). —

hibenda est. Nam bis legimus *στέρνον γυμνωθέντα παρ' ἀσπίδα* Π 312, 399, quater *'βάλε στῆθος παρὰ μαζόν* Δ 480, Θ 121, 313, Ο 577, ter *κατὰ στῆθος 'βάλε δουρί* Λ 108, Ν 186, Ο 420 (et *κατὰ στῆθος 'βάλεν ἰῷ* Θ 303), ter *ὑπὸ μαζοῖο* Δ 528, Ε 145, Λ 108, ter *στῆθος μέσον οὔτασε δουρί* Ν 438, Ο 523, Π 597, bis *παρ' ὀμφαλόν, ἐκ δ' ἄρα πᾶσαι 'χύντο χαμαὶ χολάδες* Δ 525, Φ 180, ter *νείατον ἐς κενεῶνα* Ε 856, Π 821, ter *οὖτα κατὰ λαπάρην* Ζ 64, Ξ 447, 517, ter *ἧπαρ ὑπὸ πραπίδων, εἶθαρ δ' ὑπὸ γούνατ' ἔλυσεν* Λ 579, Ν 412, Ρ 349, ter *μεταφρένῳ ἐν δόρυ πῆξε* Ε 40, Θ 258, Λ 447, bis *μετάφρενον οὔτασε δουρί* Ε 56, Υ 402, quae qui excogitaverunt, quamvis haud dubie non thoracatos sibi proposuerint milites, fieri tamen potest ut qui ea ab aliis excogitata in suum usum converterent, illud non curaverint. Ex quibus excipio eos locos, i. e. Δ 480 sq., 528, Ε 856, Ν 438, Ξ 517, Π 598, quibus singulis ea adduntur, ab aliis locis diversa, unde appareat velut ante oculos habuisse auctores imaginem eorum, quae depingerent. Ab altera parte

---

Tum Λ 579 Apisaonis *ἧπαρ ὑπὸ πραπίδων*, Ο 523 Croesmi *στῆθος μέσον*, Π 481 Sarpedon *ἔνθ' ἄρα τε φρένες ἔρχαται ἀμφ' ἁδινὸν κῆρ* vulnus mortiferum accipiunt. Has corporis partes thorace tegi etiam Robert, ut par est, assentitur. Sed putat illos, quamquam thorax non commemoratur, tamen hoc indutos fingi (l.l. p. 62), eorum enim arma cum deinceps narrentur ab humeris demi (Apisaonis Π 581, Croesmi Ο 524, Sarpedonis Π 663), sequi inde putat ut aut thoracati fuerint aut scuto talari armati, cumque huius nihilo magis quam illius mentio fiat, etiam durius censet illud sine verbis intellegi perfossum quam hunc. At non video cur arma quibus spoliari traduntur, non credi possint fuisse clipei, vel scuta minora, ita ut thoracibus caruerint (cf. supra p. 161). Clipeus vel scutum minus aliter quam scutum talare ita tegit corpus et ventrem ut tamen inconsultiore bracchii quo sustinentur motu, haec nudari possint. Robert ita agit, quasi clipeus vel scutum minus non possint a b h u m e r i s demi, i. e. quasi non possint pendere *ἐκ τελαμῶνος* (cf. supra p. 155). — Porro Odio Ε 39, Scamandrio Ε 56, Agelao Θ 257 tergum *ὤμων μέσσηγυ* percutitur. Quisque eorum cecidit, deinde autem *ἀράβησε τεύχε' ἐπ' αὐτῷ*. Rursus hoc Robert negat (l.l. p. 64) fieri potuisse, nisi aut thorace aëneo induti fuerint, aut scutum talare converterint in tergum, quorum neutrum cum commemoretur fingendos eos esse thoracatos. At clipeum *ἐκ τελαμῶνος* pendentem a tergo habere potuerunt, ita ut tamen locus inter humeros expositus restaret telis. Etiam Hippodamantem a tergo perfossum Υ 402 Robert thoracatum fingi censet (l.l. p. 66) licet non addat poëta in eo concrepuisse arma, sed quia exemplo fuisse videatur Ε 56. — Periphetem Ο 649 scuto talari impeditum ea quoque ipsa res arguit thorace aëneo non indutum (cf. supra p. 153 sq.) et Troi cum tunicae sinus sanguine impleri dicatur Υ 469, etiam inde apparet thorace non indutum fuisse (vide supra p. 109).

unus tantum locus est [1]) ubi non modo fidenter negare non liceat thoracis aënei rationem haberi, sed statuendum etiam sit contrarium: Φ 180 Asteropaeum παρ' ὀμφαλόν vulnerat Achilles, quem nihilo minus thorace indutum credere oportet, propterea quod Pelides ibi armis a Vulcano acceptis cinctus totidem verbis dicitur vs. 165, Asteropaeum autem, virum principem non secus quam Achillem, cum hic thoracatus proponatur, non licet credere nudum a thorace sibi proposuisse poëtam [2]).

Deinde animadvertendum est, quoniam scutum talare cum thorace aëneo non conveniat, quibuscumque locis illo milites armati appareant, hunc iis abrogandum esse [3]). Neque repugnat quod Λ 32 Agamemnonis ἀσπίς nuncupatur ἀμφιβρότη, cui tamen tribuitur thorax aëneus vs. 19 sqq. Nam quamvis aptius scutum talare quam clipeus vel scutum minus ita appelletur, potuit tamen, vocis vi propria neglecta, ea appellatio in hunc translata esse. Cuius rei documentum esse vidimus Τ 281 [4]). Atque in eadem causa, qua Λ 32, est Π 803, ubi Patrocli ἀσπίς dicitur τερμιόεσσα [5]), quod ad scutum talare melius con-

---

1) Nam Ν 191 Hectorem thorace aëneo indutum fingi ostendunt quidem verba οὔπω χροὸς εἴσατο, πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ σμερδαλέῳ κεκάλυφθ', neque tamen inde sequitur ut Amphimachum, quem vs. 186 Hector κατὰ στῆθος βάλε δουρί, thoracatum sibi huius loci auctor proposuerit. Nam verum quidem est fieri non posse ut is qui Troianorum principes thoracatos fingat aliam rationem sequatur in Graecorum principibus fingendis, in numero autem principum Amphimachum habendum esse apparet quia nepos dicitur Neptuni („Κτεάτοι' υἱὸς Ἀκτορίωνος"). Sed pro certo constituere non licet ab eodem auctore esse vs. 191 sq. atque ea quae praecedunt. Non quod ullo modo cogamur hoc sumere. At nihilo magis vetamur, res igitur incerta. Atque in eadem causa est locus Ο 523, ubi Meges vulnerat Croesmum στῆθος μέσον. Nam ex eis quae sequuntur post 529 sequitur ut Meges fingatur thoracatus (vide supra p. 110 sq.); quod si ita est, non licet aliter iudicare de Laomedontis nepote. Verum ecquis pro certo statuere audeat vss. 529—534 non a recentiore poëta insertos esse? Propterea quoque de vs. 577 (nam 515—591 cohaerent, nisi excipiendi sunt vss. 529—534) res incerta manet.

2) Asteropaeum Robert propterea thoracatum fingi censet (l.l. p. 63) quod vs. 175 narratur frustra conatus esse Achillis hastam humo evellere, quod scuto talari impedito ne conari quidem licuit. At clipeo armatus esse potuit ita ut tamen non thoracatus esset (cf. supra p. 155). — Ceterum, quod Ψ 560 Asteropaei thoracis aënei mentio fit, quem ludicri circensis praemium Antiocho dat Achilles, nullius hic momenti est, quoniam minime constat ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ eidem deberi auctori atque μάχην παραποτάμιον.

3) Supra p. 153. 4) Vide supra p. 156.

5) De voce obscura τερμιόεσσα cf. Reichel H. W.[2] p. 23, Robert l.l. p. 3.

venire videtur, quam ad clipeum vel scutum minus, cum tamen vs. sequenti illius thoracem aëneum Apollo solvere narretur [1]). Nisi praestat sumere hunc versum deberi poëtae recentiori [2]). Quoquo modo autem hoc se habet, etiam Λ 485, Ρ 128 ubi Aiax dicitur sustinere σάκος ἠύτε πύργον, Λ 245 ubi idem tergum vertit ὄπιθεν de σάκος 'βάλεν ἑπταβόειον, res non certissima est. Nam etiam clipei antiquissimi et scuta minora, cum ex fasciis penderent [3]), in tergum conici poterant, appellationes autem illas σάκος ἠύτε πύργος, σάκος ἑπταβόειον, quamvis clipeis minus proprias, tamen locis nostris, cum nihil addatur, unde appareat quid sibi proposuerint auctores, nihilo magis vetamur quam cogimur credere aliunde desumtas esse, propria earum vi neglecta [4]). Porro Β 388 sq., Μ 402 utrum ἀσπὶς ἀμφιβρότη intellegenda sit clipeus vel scutum minus, an scutum talare non apparet quamquam hoc apparet thoracum aëneorum rationem non haberi. Nam altero loco Agamemnon, milites cohortatus ut arma ad pugnam expedirent, diversis enumeratis, neque tamen thoracis facta mentione, ita pergit vs. 388 sq.: ϝιδρώσει μέν τευ τελάμων ἀμφὶ στήθεσφι ἀσπίδος ἀμφιβρότης, quod prohibet thorax aëneus, si quis eo inductus est. Altero autem loco Teucer sagitta icit Sarpedonis τελαμῶνα περὶ στήθεσφι φαεινὸν ἀσπίδος ἀμφιβρότης, ἀλλὰ Ζεὺς κῆρας ἄμυνε παιδὸς ἑϝοῦ, qui si thorace indutus fuisset, non fascia diceretur praesidio fuisse. Sed duobus tantum locis ἡ ἀσπίς sive τὸ σάκος eis nominibus nuncupatur, quae cum natura scuti talaris, non vero clipei vel scuti minoris congruant, ita ut simul e rebus ipsis narratis appareat illud spectari. Etenim in certamine singulari cum Hectore Η 17—40, 43—131, 161—196, 200—205, 219—312, haec enim cohaerent [5]), èt σάκος ἠύτε

---

1) Cf. supra p. 155.

2) Cf. infra § 14.

3) Cf. supra p. 127, p. 155.

4) Etiam clipeos antiquissimos vel scuta minora e compluribus coriis sibi superimpositis constructos esse documento est clipeus Achillis a Vulcano confectus Σ 478, cf. supra p. 156. Aiacis sodales qui eum expectant vs. Λ 593 clipeis armatos fingi vidimus p. 159.

5) Nolim perhibere fieri non posse ut etiam vss. qui intercedunt inter eos quos edidi, eidem debeantur auctori, sed puto fieri posse ut inserti sint. Itemque sciri nequit an ea quae praecedunt et quae sequuntur ab alio auctore oriunda sint. De

πύργος, σάκος ἑπταβόειον Aiaci praesidio est èt scutum talare intellegi inde patet quod hostem petit Telamonius vs. 224 τὸ πρόσθε στέρνοιο φέρων, clipeus autem vel scutum minus in proelio non „ante pectus" fertur, sed sustentatur bracchio laevo; accedit quod in eodem certamine etiam Hector scuto talari armatus est testibus vss. 238, 272 (de quibus vide infra in hac pagina). Atque O 646 Periphetes cadit impeditus τῇ ἀσπίδι, τὴν αὐτὸς 'φορέεσκε ποδηνεκέ' ἕρκος ἀκόντων, in cuius ἄντυγ' ἐπᾶλτο, quod accidere non poterat clipeo vel scuto minore armato [1]). Praeterea autem de scuto talari agi per se perspicuum est Z 116 sq., ubi Hector armatus incedit ἀμφὶ δέ μιν σφύρ' ἔτυπτε καὶ αὐχένα δέρμα κέλαινον ἄντυξ ἣ πυμάτη 'θέεν ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης [2]); H 238 ubi idem in certamine cum Aiace gloriatur ϝοῖδ' ἐπὶ δεξιά, ϝοῖδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βοῦν, et 272 ubi humi deiectus dicitur ἀσπίδ' ἐνιχριμφθείς, quod utrumque luculenter ostendit Reichel [3]) aptissime convenire ad scutum talare, non vero ad clipeum vel scutum minus; M 389 ubi Glauci bracchium nudatum videt Teucer; ei autem qui manubriis sustentat clipeum vel scutum minus, bracchium laevum numquam nudum est, dextrum semper [4]); N 405 sq. ubi Idomeneum frustra conatur vulnerare Deïphobus, 'κρύφθη γὰρ ὑπ' ἀσπίδι πάντοσ' ἐϝίσῃ, τὴν ἄρ' ὅ γε ῥινοῖσι βοῶν καὶ νώροπι χαλκῷ δινωτὴν 'φορέεσκε δύω κανόνεσσ' ἀραρυῖαν· τῇ ὕπο πᾶς ἐϝάλη [5]); Π 611 sq., P 527 sq. ubi verba πρόσσω γὰρ κατέκυψε nihil dubii relinquunt, quin agatur de scuto talari, nam ut

---

versu 41 sq. vide supra p. 162. Achivos universe non posse thoracatos proponi ab eo qui Aiacem a thorace aëneo nudum proponat, perspicuum est. Sed ne hoc quidem certum est, eum qui χαλκοκνήμιδας vocet thoracatos eos fingere. Ceterum revera insertos puto vss. 206—218, non tantum quod haud dubie Aiax vs. 207 thoracem aëneum induere significatur verbis πάντα περὶ χροΐ τεύχε' ἕϝεσσο, sed praeterea quod in contextum narrationis non quadrat Aiacem se armare, quippe qui armatus in aciem processisset. Nam quod de Menelao dicitur vs. 122 θεράποντες ἀπ' ὤμων τεύχε' ἕλοντο nihil obstat quominus τεύχεα intellegamus scutum cum fascia, ut vs. 193 ἀλλ' ἄγετ' ὄφρα κ' ἐγὼ πολεμήια τεύχεα δύω.

1) De hoc loco vide etiam supra p. 166 ibique in ann. 3 s. f.

2) Cf. supra p. 154 in ann. 3.

3) H. W.² p. 15, p. 28.

4) Cf. Robert l.l. p. 150.

5) Robert l.l. p. 9, p. 20 sq. spurium censet vs. 406, infitiatus scilicet scutum alare δινωτόν appellari posse; qua de re vide supra p. 157.

tueatur se a telo capiti imminenti is, qui clipeo vel scuto minore utitur, non caput inflectit, sed illud tollit quo telum excipiat (cf. N 163, Υ 261, 278 vide supra p. 143). Et quamquam non est certum, cum alter horum locorum manifesto alteri exemplo fuerit, utrius auctor verba illa excogitaverit, utrius imitatus sit, satis constat neutrum cogitasse de thoracatis. Nam loci Π 611 auctorem quid vellet probe scivisse eo patet quod duobus versibus ante Hectorem, quem vs. 611 caput inflectentem facit, *ὑπασπίδια προβιβάντα* fingit, quod rursus in eum quadrat qui scuto talari, non in eum, qui clipeo vel scuto minore armatus est; locus autem Ρ 527 manifesto eidem auctori debetur atque Ρ 519, quo loco thoracis aënei rationem non haberi infra (§ 12) ostendam. Porro eiusdem generis sunt Ρ 354 ubi Patrocli sodales Asteropaeus vulnerare nequit, *σακέεσσι γὰρ εἴρχατο πάντῃ*; tum Ε 452, Μ 425 ubi legimus *Τρῶες καὶ δῖοι Ἀχαιοὶ δῄοον ἀλλήλων ἀμφὶ στήθεσφι βοείας* [1]), quod ad clipeos vel scuta minora quae bracchio laevo sustentantur non convenit, sed ad scutum talare, quod totum virum adversum tegit; at horum locorum rursus alter manifesto alteri exemplo fuit, animadvertendum autem vs. Μ 425 cohaerere cum vs. 428, ubi milites fingi non thoracatos vidimus (supra p. 166), cuiusmodi nihil cernitur in vicinia loci Ε 452 (nam Ε 452—460, 462—507 minime incredibile est recentiores esse quam ea quae praecedunt vel sequuntur, cf. infra § 14), quo loco igitur num auctor rem penitus perspexerit non certum est (cf. supra p. 167); Λ 526 ubi Hectori auriga indicat Aiacem, additque *εὖ δέ μιν ἔγνων, εὐρὺ γὰρ ἀμφ' ὤμοισιν ἔχει σάκος*, quod rursus unice ad scutum talare convenit [2]); Π 360 ubi Hector proelium intueri dicitur *ἀσπίδι ταυρείῃ κεκαλυμμένος εὐρέας ὤμους*, itaque rursus eadem ratio valet; itemque Ρ 492 ubi progredi Hector et Aeneas, ξ 479 ubi in insidiis dormivisse milites narrantur *σάκεσιν ϝεϝλυμένοι ὤμους*. Atque Odysseae loci vis

1) Quae versu sequenti commemorantur *λαισήια*, Reichel (H. W.[2] p. 52) opinatur esse pelles a coriario non subactos eoque *πτερόεντα* i. e. fluxa. „Das Fell" inquit vir doctus „ist um den Hals befestigt und hängt ausser Gebrauch lose über den Rücken herab; um es als Schutzwaffe zu verwenden, wird es nach vorne gezogen und hängt dann vor der Brust."

2) l.l. p. 80.

confirmatur eo quod in eadem Ulixis narratione ipsum non thoracatum proponi mox videbimus (infra § 12), locus autem P 492 manifesto cohaeret cum locis P 519, 527 quorum auctorem supra monui (p. 171) thoracis aënei rationem non habere; porro N 420 ubi Antilochus mortuum defendens Hyperenorem *τοι σάκος ἀμφεκάλυψε*; P 132 ubi Aiax in simili causa *ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος εὐρὺ καλύψας* constitit, quod rursus nisi scuto talari apte fieri non posse monuit Robert; neque minus in aperto est res M 105 ubi legimus *ἀλλήλους ἄραρον τυκτῇσι βόεσσι*, N 130 *φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ*, Π 214 *ὣς ἄραρον κόρυθές τε καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι*, quibus locis demonstravit Reichel [1]) de testudine sermonem non esse, sed militum in acie stantium ingentia scuta talaria proximis quaeque contingi; atque N 543 ubi Apharei ab Aenea iugulati *ἐκλίνθη ἑτέρωσε κάρη, ἐπὶ δ' ἀσπὶς ἑάφθη*, quo versu significari vidit Reichel [2]), capite in pectus prolapso scuti fasciam trans caput de humero excuti, eoque scutum ruere; clipeus vero scutumve minus manubriorum ope sustentatum, etiamsi fascia instructum sit, si haec de humero delabatur, non propterea casurum est. Ut etiam Ξ 419, ubi, Hectoris pectore lapide percusso, quem ibi a thorace aëneo nudum fingi propterea sumere oportet quod de adversario, Aiace Telamonio, vs. 404 idem statuendum mox videbimus (infra § 12), recurrunt eadem verba *ἐπὶ δ' ἀσπὶς ἑάφθη*, poëta voluisse videtur saucii caput in pectus prolabi, ceteraque quemadmodum N 543 sq. Porro Ξ 380 ubi Tydides, Agamemnon, Ulixes militum arma in acie permutant ita ut optima optimis, deterioribus deteriora obveniant, ne res prorsus absurda sit, de scutis non de thoracibus egisse poëta intellegendus est; quocum congruit quod in proxime superioribus vs. 370 sqq. Neptunus ad arma vocans, cetera enumerat arma silet de thoracibus [3]). Tum Z 319, Θ 494 Hectori armato hasta praelonga undecim cubitorum, quae manifesto nisi duabus manibus tractari nequit, clipeum nulli usui

1) H. W.² p. 24.

2) l.l. p. 35 sq.

3) Mitto quod vs. 376 sq. totidem verbis deus monuerat *ὃς δέ κ' ἀνὴρ μενέχαρμος, ἔχῃ δ' ὀλίγον σάκος ὤμῳ, χείρονι φωτὶ δότω ὃ δ' ἐν ἀσπίδι μείζονι δύτω*, quos versus soloecismis laborantes omisit Zenod., damnavit Arist.

futurum fuisse patet, sed scutum, quod ante pectus e fascia pendeat (sed alter horum locorum i. e. Z 319 alteri haud dubie exemplo fuit)[1]; neque aliter iudicandum est O 677 de Aiace qui 'νώμαε ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσι κολλητὸν βλήτροισι δυωκαιϝεικοσίπηχυ, et O 388 de Achivis, qui a navibus pugnent μακροῖσι ξυστοῖσι τά ῥά σφ' ἐπὶ νηυσὶν ἔκειτο ναύμαχα κολλήεντα κατὰ στόμα ϝειμένα χαλκῷ, nisi quod utrobique res propterea minus certa est, quoniam pugnatur inusitatis armis, quae arripi potuerunt clipeis positis. Porro huc referendi sunt loci quibus heroes dicuntur ὑπασπίδια προβαίνειν sive προποδίζειν N 158, 806, Π 609. Demonstraverunt Reichel[2]) et Robert[3]) scutum talare milites fere cogere pedetentim prodire, cum praeterea ipsum τὸ „ὑπό" in „ὑπασπίδια" illuc spectare videatur potius quam ad clipeum vel scutum minus. Quapropter etiam „ὑπασπίδιοι ἑπόμεσθα" Λ 754[4]) de militibus scutis talaribus armatis dictum videtur[5]). Atque N 806 sq. haec ratio confirmatur eo quod Hector qui ibi fingitur προποδίζων et ὑπασπίδια προβιβάς, versu superiore galea indutus describitur quae κροτάφοισι 'σείετο i. e. galea scortea (vide infra § 12), quam supra monuimus (p. 163) aptius tribui militibus non thoracatis quam thorace aëneo indutis. Tum Π 606 cohaeret cum Π 611, ubi verba πρόσσω γὰρ κατέκυψε rursus ad scutum talare spectant, et quamquam hic locus recurrit N 671, P 617, tamen eo ipso quod τὸ ὑπασπίδια προβαίνειν et τὸ πρόσσω κατακύπτειν in eodem viro coniungit noster ostendit sententiam verborum quibus utitur se non fugere (cf. supra p. 171). Sed N 158 Deïphobus dicitur κοῦφα προβιβὰς καὶ ὑπασπίδια προποδίζων, quem tamen vs. 162 sq. docere vidimus[6]) clipeo vel scuto minore armatum. Robert spurios iudicat[7]) vss. 162ᵇ—164ᵃ Δηίφοβος δὲ ἀσπίδα ταυρείην 'σχέθ' ἀπό ϝεο 'δεῖσε δὲ θυμῷ ἔγχος Μηριόναο δαΐφρονος. At quamquam minime inepta haec coniectura est, pro certo sciri nequit non aliunde recepisse auctorem nostrum verba

1) Cf. infra § 14.

2) H. W.² p. 15, 33.

3) l.l. p. 5.

4) In libr. mss. legitur διὰ σπιδέος vel δι' ἀσπίδεος; correxit vLeeuwen.

5) Vs. 730 legimus καὶ κατεκοιμήθημεν ἐν ἔντεσι ϝοῖσι ϝέκαστος, sed nihil prohibet haec intellegere de scutis et galeis, non opus est cogitare de thoracibus aëneis.

6) Supra p. 144.

7) l.l. p. 109.

ὑπασπίδια προποδίζων, ita ut eorum vim non accurate perpenderit. Verum Σ 192, ubi Achilles Iridi respondens inquit ἄλλου δ' οὔ τευ ϝοῖδα τεῦ ἂν κλυτὰ τεύχεα δύω [1]), εἰ μὴ Αἴαντός γε σάκος Τελαμωνιάδαο, patet requirere Peliden scutum quod totum virum tegat, alioquin eius non interesset utrum aliquanto maius an minus esset illud quo se tegeret; itaque requirere scutum talare. Postremo huc pertinet versus notissimus ..... ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χάμαζε. Rectissime enim demonstravit Robert [2]) si quis, thoracatus an minus, cum clipeo vel scuto minore e curru desiliat, non esse cur armorum mentio fiat, sed hoc notatu dignum sive festinationis, sive robusti corporis documentum, si quis non haesitet cum praegravi scuti talaris onere desilire. Sed cum octiens ille versus occurrat Γ 29, Δ 419, Ε 494, Ζ 103, Λ 211, Μ 81, Ν 749, Π 426, hic quoque, ut in superioribus saepissime in simili re, distinguendus est is qui versum excogitavit ab eis qui eum imitati sunt. Inter hos enim, si res per se spectatur, ecquis scire potest quot fuerint, qui versum aliunde notum cum memoria tenerent, adhiberent neglegentius, suis si verbis usi essent rem enuntiaturi aliter [3])?

Iam vero supra monui [4]), a thorace aëneo nudos videri non modo qui cum scuto talari, verum etiam qui in aciem processisse tradantur aut nudo capite, aut galea scortea tecti, si satis appareat hanc revera spectari, non modo appellari nominibus sibi propriis. Itaque per se spectata huc non facere animadvertimus nomina αὐλῶπις, τετράφαλος, τετραφάληρος, neque appellationem κόρυθ' αἰόλος, neque ipsum versum δϝεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευε, quamvis haec ad galeam scorteam non ad cassidem proprie pertineant [5]). Sed Γ 362 sqq. Paridis, Κ 149

---

1) VLeeuwen suspicatur legendum esse ἄλλον δ' οὔ τινα ϝοῖδα ὅο κλυτὰ τεύχεα δύω.

2) l.l. p. 213.

3) Ad versum Δ 419 Robert animadvertit Diomedem thorace aëneo indutum videri propter versum sequentem δϝεινὸν δ' ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσι ϝάνακτος. Cui non assentiendum puto, de qua re vide supra p. 113. — Ab altera parte, quod de scuto talari agi censet Robert Π 367 Ἕκτορα δ' ἵπποι ἔκφερον ὠκύποδες σὺν τεύχεσιν, hoc addens: „bei einem gepanzerten und den Rundschild tragenden Krieger versteht sich das doch von selbst", rogare licet num hoc minus verum sit de bellatore scuto talari armato.

4) Supra p. 153 sq., p. 161.

5) Cf. supra p. 164 sq. Ab altera parte ad Ν 188 ubi Hector narratur erepturus

Ulixis, K 257 Diomedis, K 335 Dolonis galea ita describitur ut luculenter appareat agi de galea scortea, cum praeterea aliis quoque rationibus probari viderimus [1]) non thoracatos ibi proponi Paridem, Ulixem, Diomedem, Dolonem. Atque M 384, ubi Aiax lapide perfringit Epiclis τετράφαλον κυνέην σὺν δ' ὄστε' ἄραξε πάντ' ἄμυδις κεφαλῆς, nihil vetat propria sua sententia sumere vocem τετράφαλος. Tum Δ 459, Z 9, Λ 96 ubi frontem, Ξ 493 ubi supercilia, Π 739 ubi frontem simul et supercilia, E 291 ubi nasum, N 216 ubi èt frontem èt nasum vulnerari discimus, nulla frontis et nasi tegumentorum mentione facta quibus instructa est cassis aënea, porro Λ 109, Υ 472 ubi caeditur auris, O 433 ubi vulnus infligitur ὑπὲρ οὔατος, N 177, Π 339 ubi ὑπ' οὔατος, N 671, Π 606, P 617, ubi ὑπὸ γναθμοῖο καὶ οὔατος, Π 405 ubi γναθμὸς δεξιτερός, Δ 501 ubi tempora feriuntur, cum omnes illae capitis partes tegantur casside aënea [2]), cuius ll. ll. nullum cernitur vestigium, constat fere de ea auctores non cogitasse. Atque in eadem causa sunt H 11, ubi perfringitur ἡ στεφάνη i. e. labrum aëneum galeae scorteae [3]) (cuius etiam mentio fit Λ 95) et N 132 Π 106, 216, 338 ubi commemorantur φάλοι sive φάλαρα i. e. fistulae [4]) (quae etiam Δ 459, Z 9, obviam fiunt). Ab altera parte N 615 sqq. ubi Menelaus perfodit Pisandri μέτωπον ῥινὸς ὑπὲρ πυμάτης, Pisander autem Atridae ferit κόρυθος φάλον ἱπποδασείης ἄκρον ὑπὸ λόφον αὐτόν, ipsa haec verba ὑπὸ λόφον αὐτόν suspicionem movent huius loci

---

Amphimacho mortuo κόρυθα κροτάφοισ' ἀραρυῖαν, Robert animadvertit ll. p. 48 verba κροτάφοισ' ἀραρυῖαν non apte nisi de casside aënea dici, contrarium enim designari eius quod legitur N 805 ἀμφὶ δέ τοι κροτάφοισι φαεινὴ σείετο πήληξ; galeam enim scorteam laxam esse circum tempora, cassidem arte ea complecti. At non ita distinguendum esse puto, sed galeam scorteam cum loris capiti adaptetur (cf. Γ 370) recte dici κροτάφοισ' ἀραρυῖαν, quod autem dicatur σείεσθαι N 805, vel τινάσσεσθαι O 608, propterea dici, quod cum prematur pondere cristae aëneae, vibretur capite moto, cassis autem aënea, quae rigida sit, vibrari nequeat.

1) Supra p. 163 sq.

2) Aliter Robert l.l. p. 70: „die Augenlöcher des Ionischen Metallhelms sind weit genug um der Speerspitze zu gestatten auch die Schläfe zu erreichen", quod tamen plurimarum cassidum antiquarum imaginibus non confirmatur, tempora paene tota tegentium. Etiam magis miror quod Robert l.l. vulnera ὑπ' οὔατος et ὑπὸ γναθμοῖο καὶ οὔατος et διὰ γναθμοῖο casside aënea arceri negat, quod ex imaginibus aliter se habere perspicuum est.

3) Cf. supra p. 162 sq.

4) Cf. supra p. 162 sq.

auctorem vocem *φάλον*, neglecta eius sententia propria, fortasse obsoleta, de cono usurpasse galeae. Unde tamen minime sequitur ut constet Menelao eum cassidem tribuisse, non galeam scorteam qualem manifesto tribuit Pisandro. Sed Δ 459, Z 9 prorsus eisdem verbis legimus *τόν ῥ' ἔβαλε πρῶτος κόρυθος φάλον ἱπποδασείης, ἐν δὲ μετώπῳ πῆξε, πέρησε δ' ἄρ' ὀστέον εἴσω αἰχμὴ χαλκείη· τὸν δὲ σκότος ὄσσ' ἐκάλυψε*, itemque eisdem verbis N 671, Π 606, P 617 *τὸν βάλ' ὑπὸ γναθμοῖο καὶ οὔατος*, auctores igitur locorum Δ 459 aut Z 9, et N 671 et Π 606, aut N 671 et P 617, aut Π 606 et P 617, verba aliena imitati esse possunt re non penitus perspecta. (At vide de loco Π 606 supra p. 173). Etiam cum legamus E 584 *ξίφει ἤλασε κόρσην*, N 576 *ξίφει σχέδον ἤλασε κόρσην*, alter locus alteri exemplo esse potuit. Sed Mydon, qui caedi narratur E 580—586, auriga est regis Pylaemenis, et propter id ipsum verisimile est thorace aëneo et casside aënea caruisse, et N 576 verba *ἀπὸ δὲ τρυφάλειαν ἄραξε* ostendunt de casside non agi, utpote quae propter genarum tegumenta non possit a capite detrudi ictu temporibus illato. Loci autem N 132 et Π 216 quamvis inter se non differant, tamen propter versus praecedentes, utroque loco diversos, non dubium est quin milites scutis talaribus et scorteis galeis armati utrique auctori ob animum versati sint, de quibus locis egimus supra p. 172. Tum N 805 legimus *ἀμφὶ δέ ϝοι κροτάφοισι φαεινὴ σείετο πήληξ* et O 608 *ἀμφὶ δὲ πήληξ σμερδάλεον κροτάφοισι τινάσσετο*, quod pertinet ad galeam scorteam, non ad cassidem aëneam [1]). Postremo Υ 475, ubi gladio Achilles caedit Echeclum *μέσσην κὰκ κεφαλήν*, sanguine autem *πᾶν ὑπεθερμάνθη ξίφος*, eo ipso vix dubium est quin Echecli caput aut nudum aut tectum galea scortea icisse Peliden poëta voluerit.

Porro thorace aëneo carere videntur aliquot et Graeci et Troiani milites, qui tunicati in proeliis versari finguntur. Mitto, quod iuvenibus Troianis in flumine captis Achilles legitur Φ 30 sq. vinxisse *ὀπίσσω χεῖρας ἐϋ τμητοῖσιν ἱμᾶσι τοὺς αὐτοὶ φορέεσκον ἐπὶ στρεπτοῖσι χιτῶσι*, ubi haud dubie quidem voce *χιτών* significatur tunica (de qua re egi supra p. 107), sed fieri tamen potest, quamvis parum videatur verisimile, ut poëta

1) Cf. supra p. 174 in ann. 5.

illos — id quod sumitur in scholio A ad hunc locum (cf. supra p. 108) — thoracibus voluerit aëneis indutos supra tunicas. Sed E 539, 615, M 188, P 519, 578 balteo perfosso vulnus mortiferum infligitur. Credibile non esse supra vidimus [1]) balteum circumdari thoraci aëneo, at etiamsi aliter res se haberet, tamen si èt thorax aëneus et balteus perfoderetur, non hic sed ille, quippe qui multo maioris momenti in ea re esset, commemorandus erat. Tunicae igitur balteus hic spectatur et tunicati non thoracati fingendi sunt Deicoon E 539, Amphius E 615, Hippomachus M 188, Aretus P 519, Podes P 578. Tantummodo cum E 539 et P 519 inter se non differant, neque E 615 et P 578, non constat auctores utrorumque locorum E 539, 615 et P 519, 578 de tunicis cogitasse, sed alterutri fortasse alteros ita imitati sunt ut minus attenderent, quid enuntiarent. Ceterum vix dubium quin loco P 578 exemplo fuerit E 615. Illic enim Menelaus a t e r g o vulnerat Podem κατὰ ζωστῆρα, quod nescio quomodo friget. Et versui P 519 utrum exemplo fuerit E 539 an contra quamvis sciri non possit, tamen ex eis quae antecedunt apparet illius loci auctorem non inconsulte Aretum balteo perfosso occumbentem fecisse. Nam vs. 517 narrat Automedontem hasta perfregisse eius ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην, hanc autem simul et thoracem aëneum uno hastae ictu non perfodi fugere eum non potuit [2]). Porro autem Λ 620 Nestor et Machaon e proelio redeuntes antequam Nestoris tentorium intrant ἱδρῶ ἀπεψύχοντο χιτώνων, στάντε ποτὶ πνοιὴν παρὰ θῖν' ἁλός, quod quamquam fieri non poterat dum thoracibus induti erant, non tamen narrantur antea exuisse arma; et Υ 470 (de

1) p. 118 sq.

2) Robert l.l. p. 35, 63 locis E 539, P 517 voce ζωστήρ non balteum sed mitram intellegit, propterea quod vulnus sedet νειαίρῃ ἐν γαστρί. Nam his verbis imam partem ventris significari putat, eamque mitra non balteo tegi. Sed èt in Menelai vulneratione Δ 134 sqq. balteus et mitra eandem corporis partem tegunt — etenim tam illum quam hanc perforat Pandari sagitta — èt cum γαστήρ non tantum sit venter sed simul etiam stomachus, nihil vetat putare γαστέρα νείαιραν eandem esse atque νηδύν N 290 Υ 488, i. e. ventrem non imum sed totum, neque a solita vocis ζωστήρ sententia discedere opus est. Ceterum utrumcunque mavis, res eodem loco manet, nam etiam Roberti iudicio mitra nihilo magis quam balteus convenit ad thoracem aëneum. Obiter moneo levi errore sibi obloqui Robertum. Nam E 615 ζωστῆρα intellegit balteum, ubi etiam ἡ νείαιρα γαστήρ vulneratur.

quo loco supra egimus p. 109 sq.) Tros Alastoris filius, quem occidit Achilles αἷμα κατ' αὐτοῦ κόλπον ἐνέπλησεν, quod conspici non poterat si thorace aëneo indutus esset. Tum B 416, ubi precatur Agamemnon, ut sibi detur Ἑκτόρεον χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι, itemque Π 841, ubi Hector Patroclo morienti exprobrat in animo ei fuisse suum αἱματόεντα χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι, et Λ 100, ubi Agamemnon interfectos a se Bianorem et Oileum relinquit στήθεσι παμφαίνοντας ἐπεὶ περίδυσε χιτῶνας [1]), conspicuum est non praeter tunicam indutos fingi thorace aëneo Hectorem, ceteros. Neque aliter res se habet E 736, Θ 396, ubi Minerva in aciem progressura χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο τεύχεσιν εἰς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα, neque tamen inter τεύχεα quae deinceps enumerantur, aegis, galea, hasta, thorax aëneus est [2]). Postremo ξ 482, ubi Ulixes narrat, quantum frigoris in nocturnis insidiis toleraverit σάκος οἶον ἔχων καὶ ζῶμα φαεινόν, et, quod addit vs. 489, οἰοχίτων. Iamvero neutiquam incredibile puto a poëtis Homericis, recentioribus saltem, thoracem aëneum dictum esse χιτῶνα; atque in permagno numero locorum, ubi Graeci vocantur χαλκοχίτωνες, nonnullis, et N 439 ubi χάλκεος χιτὼν commemoratur, de illo forsitan auctores cogitaverint [3]). Sed nostris locis aut omnibus aut tantum non omnibus, parum verisimile id videtur. Nam locus B 416 manifesto ad idem carmen perantiquum pertinet ac vs. 382 sqq., ubi vidimus (supra p. 169) inter arma ab Agamemnone recensita thoracem deesse, deque loco Π 841, si quis animadvertit mirum esse si Hector ab eodem poeta a thorace nudus proponatur, qui teste Π 804 Patroclo ab illo interfecto thoracem tribuerit [4]), reputet fieri posse (de qua re agam infra p. 190 sqq.) ut versus Π 841 restiterit ex vetustiore Patroclea, quae neutrum heroem thoracatum habuerit [5]). Iovis

---

1) Locum corruptum esse ostenderunt Peppmueller v. d. alii. Cf. vLeeuwen in ed. Il. Requiritur vox qua significetur spoliis exui mortuos.

2) Aegidem non esse thoracem, quod suspicatur Vürtheim v. d. in hac bibliotheca XXX p. 56, ostendit Reichel H. W.[2] p. 54.

3) At recte etiam χαλκοχίτωνα dici, qui sit vestitus tunica laminis aëneis ad pectus muniendum instructa, quales reliquiae in sepulchris iuventae prodere videntur, demonstravimus supra p. 112.

4) p. 151 sq.

5) Supra p. 155, p. 160.

autem *χιτῶνα*, quem induit Minerva E 736, Θ 390, veremur pro thorace aëneo habere, si quidem nullus ex deis, ne Bellipotens quidem, usquam apud Homerum thoracatus obvius fit. Atque Oileum Λ 96 galea scortea tectum vidimus [1]), ad quam thorax aëneus parum convenit; neque Bianoris causam ab eo separari posse, docet ipse vs. 100. Nisi forte vs. 99 sqq. alii poetae debentur atque superiora, quod veri simile quidem non videtur, neque tamen utrum ita sit necne pro certo sciri potest. At hic saltem poeta neutrum thoracatum voluit. Restat locus ξ 481 sqq. Hic plerique interpretes censuerunt *ζῶμα φαεινόν* vs. 482 ipsum *χιτῶνα* intellegendum esse, cuius mentio fit 489, idque ita, ut utroque loco significetur tunica. Quibus libenter assentirer, cum praesertim apud recentiores quoque Graecorum scriptores *ζῶμα* sit tunica [2]), nisi obstaret vox *φαεινόν* ad tunicam parum apta. Itaque potius credam, id quod inesse videtur scholio A ad Δ 187 [3]), *ζῶμα* hic esse subligaculum simul et mitram, cui illud affixum est, et vs. 482 sileri potuisse de tunica, vs. 489 de scuto et zomate, cum utroque loco hoc tantum referret enuntiare, desiderari pallium. Sed quoquomodo illud se habet, de thorace aëneo hic non cogitari potest, nisi èt *χιτών* et *ζῶμα* hic idem est, et utroque nomine designatur thorax aëneus. At praepostere *ζῶμα* pro parte thoracis haberi, nedum de toto thorace aëneo sit intellegendum, ostendimus in pertractando loco Δ 132 sqq. (cf. supra p. 114 sq.). Postremo huc trahendus est Π 419. Ibi Sarpedonis sodales dicuntur *ἀμιτροχίτωνες*, eum autem qui thoracatus est per se patet mitra non uti (cf. supra p. 118 sq.), itaque quod memoratu dignum putat poëta *ἀμιτροχίτωνας* eos dicere, apparet eum non thoracatos fingere sed tunicatos idque ita ut mitram abrogaverint, quam alii multi sub tunica retinebant.

Reliqui loci ad res bellicas pertinentes, ubi thorax aeneus neque commemoratur neque eius mentio si de eo auctores cogitassent omitti potuit, non multi sunt. Iuque eis minoris

---

1) p. 175.
2) Cf. supra p. 117 in ann. 2.
3) „*καὶ ζῶμα φαεινόν*" (ξ 489) „*διὰ τὸν χαλκόν· ἡ μίτρα οὖν ἔσωθεν ἐριώδης ἐστὶ περὶ τὴν ἐπιφάνειαν χαλκῇ ὑπάρχουσα*" (cf. supra p. 116 in ann. 1).

momenti esse patet B 41 sqq., K 21 sqq., 29 sqq.[1]), 131 sqq., 149 sqq., 177 sqq., quoniam non in acie versantes vel eo progressuri, sed e somno experrecti et e lectulo surgentes, ad consultandum cum sodalibus, vestiendi se magis quam armandi causa tunicas et pelles ferinas ibi sumere narrantur Agamemnon, Menelaus, Nestor, Ulixes, Diomedes. Aliquanto maioris momenti est quod ne Diomedes quidem ubi cum Ulixe speculatum proficiscitur thoracem aëneum induit K 255 sqq.[2]) — nam Ulixem arcu armatum thoracem aëneum spernere consentaneum est — quodque K 75 sqq. ubi enumerantur Nestoris arma prope lectulum apposita *ἀσπὶς καὶ δύο δοῦρε, φαεινή τε τρυφάλεια, πὰρ δὲ ζωστήρ*, desideratur thorax aëneus. Porro huc pertinent B 382 ubi Agamemnonem, Ξ 370 sqq. ubi Neptunum milites exhortantem ad arma expedienda cetera recensere vidimus, silere de thoracibus; N 714 ubi milites Aiacis Oilei cominus non pugnare neque gravibus uti armis, cum sic significet poëta: *οὐ γὰρ ἔχον κόρυθας χαλκηρέας ἱπποδασείας, οὐδ' ἔχον ἀσπίδας εὐκύκλους καὶ μείλινα δοῦρα*, apparet eum nullo loco numerare thoraces aëneos; Ξ 404 sqq. ubi Hector Aiacem hasta ferit *τῇ ῥα δύω τελαμῶνε περὶ στήθεσσ' ἐτετάσθην, ἤ τοι ὁ μὲν σάκεος, ὁ δὲ φασγάνου ἀργυροήλου· τώ οἱ ἐρυσάσθην τερένα χρόα*, quo loco, non aliter atque M 401 sqq. ubi Sarpedonem Teucri sagitta ictum fascia praesidio fuit (de quo loco egimus supra p. 169), operae pretium non fuit commemorare fasciam si thorax aëneus ei subesset; O 125 ubi Martem armis exuens Minerva *ἀπὸ μὲν κεφαλῆς κόρυθ' εἵλετο καὶ σάκος ὤμων, ἔγχος δ' ἔστησε στιβαρῆς ἀπὸ χειρὸς ἑλοῦσα χάλκεον*, thoracis aënei nihilo magis mentio fit, quam E 707 ubi Oresbius ab Hectore interfectus dicitur *αἰολομίτρης* et E 855 sqq. ubi Mars vulneratur a Diomede *νείατον εἰς κενεῶνα ὅθι ζωννύσκετο μίτρην*[3]), mitram vero et thoracem aëneum non ab eodem indui vidimus supra p. 115 sq.; O 470 sqq. ubi Teucer, armatus ante arcu solo sagittisque, fracto arcu a fratre monitus ut cominus inter graviter armatos pugnaret, morem illi gerens *ἀμφ' ὤμοισι σάκος θέτο τετραθέλυμνον, κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ*

1) De hoc loco cf. supra p. 162 in ann. 4.
2) De hoc loco vide supra p. 160, p. 163.
3) Vide etiam supra p. 166.

κυνέην εὔτυκτον ἔθηκε, εἵλετο δ' ὄβριμον ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ, non vero thoracem aëneum induere narratur, quocum loco conferendus est E 238 sqq. ubi Pandarus arcum, quo ante in proeliis usus haud dubie thorace aëneo carebat, hasta mutat [1]), cetero habitu immutato Aeneae currum ascensurus ut cominus Diomedem petat; quocum congruit quod vs. 291 nasum ei Diomedes prope oculum hasta perfodere narratur nulla cassidis mentione facta, unde sumere licet neque hac armatum neque thoracatum eum fingere poetam (cf. supra p. 175). Postremo in Odyssea praeter locos supra pertractatos ξ 479 [2]), 482 [3]) alii nonnulli hic notandi sunt. Nam α 255 sq. Mentes, sive Minerva, Ulixis desiderium ita enuntiat: εἰ γὰρ νῦν ἐλθὼν δόμου ἐν πρώτῃσι θύρῃσι σταίη ἔχων πήληκα καὶ ἀσπίδα καὶ δύο δοῦρε, qua in re acute animadvertit Reichel [4]), ipsum illud δύο δοῦρε ostendere plene armatum, neque tamen thoracis mentionem fieri. Cui frustra obloquitur Robert [5]) monens etiam ensem desiderari. Ensem autem gerunt etiam qui non plene armati sunt, non igitur opus erat eum hic commemorare. Eiusdem autem generis est σ 637 sqq. ubi Ulixes, quo significet quam non sit invalidus, haec profitetur: εἰ δ' αὖ καὶ πόλεμόν ποθεν ὁρμήσειε Κρονίων σήμερον, αὐτὰρ ἐμοὶ σάκος εἴη καὶ δύο δοῦρε καὶ κυνέη πάγχαλκος ἐπὶ κροταφοῖσ' ἀραρυῖα, τῷ κε ἴδοις πρώτοισιν ἐνὶ προμάχοισι μιγέντα, ubi rursus thorax desideratur; porro π 284—298, τ 32, 33, quorum locorum altero Ulixes filio mandat ut ceteris remotis armis quibus conclave regiae domus ornatum sit, ipsi sibique reservet duos enses, duas hastas, duo scuta, nullos

---

1) Sive potius dicit se mutaturum; et mox, vs. 280 mutavisse apparet. Sed subobscurus locus est. Unde enim Pandarus cepit hastam qua petivit Diomedem? Et scutum, quod significatur vs. 294, ubi legimus: „ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ, αἰόλα, παμφανόωντα"? Sagittarii enim haec non secum ferunt. Ab altera parte Meriones, quem ceteroquin nonnisi hasta pugnantem offendimus, N 650 sqq. sagitta vulnerat Harpalionem regis Pylaemenis filium. Ex his efficias sagittariorum et gravis armaturae militum aut non distinxisse habitum huius ἐπεισοδίου auctorem, aut discrimen non curasse. Neque repugnat, quod Paris qui Γ 16 Τρωσὶν μὲν προμάχιζεν ..... παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων καὶ καμπύλα τόξα, certamen singulare cum Menelao initurus thoracem induere narratur Γ 330—338, hos enim versus apparuit interpolatos esse; cf. supra p. 125 sq.

2) Supra p. 179.

3) p. 178.

4) H. W.[2] p. 69.

5) l.l. p. 32.

thoraces, altero pater et filius auferunt κόρυθάς τε καὶ ἀσπίδας ὀμφαλοέσσας ἔγχεά τ' ὀξυόεντα, nihil aliud; tum χ 180 ubi Melanthius, postquam vs. 144 sqq. e cubiculo attulit duodecim scuta totidem hastas galeasque, rursus eo profectus θαλάμοιο μυχὸν κάτα τεύχε' ἐρεύνα reditque cum una galea unoque scuto. Robert [1]) ad hunc locum animadvertit propterea thoraces a poëta omitti quod induendi eos spatium non daretur, neque igitur referret ea quaerere. Sed hoc argumentum, etiamsi forsitan sufficiat ad explicandum cur Telemachus vs. 110 sqq. nonnisi scuta et galeas petat, quapropter illum locum omitto, ad Melanthium non pertinet, utpote qui cubiculum perlustrasse dicatur ad arma investiganda, ita ut dubitari nequeat quin poëta si voluisset eum offendisse quidem thoraces at nihili fecisse, significaturus fuerit.

§ 13.

Recensentur loci, quibus ita milites describuntur, ut quamvis thoracis aënei nullo mentio fiat, tamen thoracatos fingi appareat.

Perpauci sunt loci quibus ita milites describuntur ut quamvis thoracis nulla fiat mentio, tamen appareat thorace aëneo indutos fingi. Nam, id quod supra monui [2]), nego nisi alia accedant huc pertinere locos, quibus clipeis vel scutulis minoribus armati proponantur, quos locos in superioribus recensuimus [3]), vel quibus θωρήσσεσθαι dicantur [4]), vel quibus θωρηκταί [5]) vel χαλκοχίτωνες vel ἐυκνήμιδες audiant [6]). Neque χάλκεος Ἄρης E 704 huc facit, nam ut χρυσείη Ἀφροδίτη metaphorice sic dicitur. Atque eadem est causa Υ 102 ubi Aeneas gloriatur modo aequi sint dei non facile Achillem se superaturum: „οὐδ' εἰ παγχάλκεος εὔχεται εἶναι". Neque Paris „ἐπεὶ κατέδυ κλυτὰ τεύχεα παμφανάοντα Z 504, atque τεύχεσι παμφαίνων ὥς ἠλέκτωρ ἐβεβήκει Z 512, propterea sumendus est induisse thoracem aëneum. Quodque Hippolochi filius Z 235

1) l.l. p. 31.
2) p. 160.
3) p. 157 sqq.
4) Vide supra p. 152 sqq.
5) Vide supra p. 154.
6) p. 161 sq.

πρὸς Τυδεΐδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε χρύσεα χαλκείων, non licet infitiari fieri posse ut alterius scutum et galeam aere, alterius auro instructa fingi voluerit poeta, non opus esse ut credatur voluisse mutare Diomedem thoracem aëneum aureo. Atque eodem modo res se habet K 438 sqq. ubi de Rheso Thracum rege speculator Troianus: ἅρμα δέ ϝοι χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ εὖ ἤσκηται, τεύχεα δὲ χρύσεια πελώρια, θαῦμα ϝιδέσθαι, vel ubi de Hectore legimus Λ 65 πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ 'λάμφ' ὥς τ' ἀστεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο. Etiam M 396, N 181, Ξ 420, ubi legimus ἀμφὶ δέ ϝοι 'βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ, quamvis Robert censeat [1] ἀμφὶ .... βραχεῖν rectius dici de thorace aëneo quo indutus bellator concidat, quam de scuto quo obruatur occisus, huius enim lapsum aptius significari verbis ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ, nihil tamen obstare puto quominus ἀμφὶ .... βραχεῖν dicatur de scuto, galea, ense, quibus humi quis prolapsus velut circumdetur, ut revera de Marte, qui nusquam thoracatus proponitur, hoc invenimus Φ 408: τεύχεα δ' ἀμφαράβησε.

Sed B 578 in navium catalogo Agamemnon narratur induere („ἐδύσετο") νώροπα χαλκόν. M 463 sq. Hector fulgens dicitur χαλκῷ σμερδαλέῳ τὸν ἕϝεστο περὶ χροΐ; N 191 idem proponitur tectus („'κεκάλυπτο") πᾶς χαλκῷ σμερδαλέῳ [2]; N 245, ubi Idomeneus, X 32, ubi Achilles in pugnam procedit χαλκὸς ἔλαμπε περὶ στήθεσσι θέοντος [3]; N 497 sq. militum pugnantium περὶ στήθεσσι χαλκὸς σμερδαλέον κονάβιζε; P 376 de Achivorum militibus armorum pondere laborantibus legimus τείροντο δὲ νήλεϊ χαλκῷ; Σ 522 in clipeo a Vulcano confecto cives urbis obsessae depinguntur in insidiis sedentes ϝεϝλυμένοι αἴθοπι χαλκῷ; Ψ 129 sq. Achilles Myrmidones, quos armatos vult, χαλκὸν ζώννυσθαι iubet, quibus locis omnibus vix dubitare licet, quin auctores voce χαλκός arma aënea, corpus totum tegentia significare voluerint, quod unice militibus tho-

1) Il. p. 23.

2) Aliter res se habet Λ 65 πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ 'λάμφ' ὥς τε στεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο.

3) Quod Robert censet l.l. p. 23 etiam Δ 420 δϝεινὸν δ' ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσι ϝάνακτος de thorace aëneo accipiendum esse, non necessarium videtur; cf. supra p. 112.

racatis proprium est. Eiusdem autem generis est H 207 Αἴας δὲ κορύσσετο νώροπι χαλκῷ, αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ πάντα περὶ χροῒ τεύχε' ἕεστο [1]); I 596 βῆ ῥ' ἴμεναι (Μελέαγρος) χροῒ δ' ἔντε' ἐδύσετο παμφανάοντα [2]); N 241 δύσετο (Ἰδομενεὺς) τεύχεα καλὰ περὶ χροΐ; Ξ 383 αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἕσσαντο περὶ χροῒ νώροπα χαλκόν; P 210 Ἕκτορι δ' ἥρμοσε τεύχε' ἐπὶ χροΐ; X 322 τοῦ (Ἕκτορος) δὲ καὶ ἄλλο τόσον μὲν ἔχε χρόα τεύχεα καλά [3]), χάλκε', ἃ Πατρόκλοιο βίην ἐνάριξε κατακτάς, quae nemo nisi de thoracatis apte dici contenderit. Porro huc referendi sunt vss. K 499, 513, 527, 530 ubi apparet hippobatae vicem Diomedi tribuere poëtam [4]). Postremo Υ 265, Φ 165, quoniam arma Achillis dei donum appellantur, haud dubium est quin arma a Vulcano accepta i. e. arma aënea poeta significaverit, et quia altero ex his locis cum Aenea, altero cum Asteropaeo Pelides proelium conserere narratur, neque credibile est poetam qui Achivorum principem thoracatum proponat, nudos fingere thoracibus Troianorum principes, nisi quos totidem verbis tales describat, fidenter licebit constituere nostris locis Aeneam quoque et Asteropaeum thoracibus aëneis indutos sibi proposuisse auctores.

§ 14.

Distinguuntur Iliadis Odysseaeque partes, ubi thoracati proponuntur bellatores ab iis, quorum auctores rationem non habuisse videntur thoracum aëneorum.

Videamus nunc de eis locis apud Homerum, qui incertum relinquant lectorem, utrum auctores thoracis aënei rationem habuerint necne. Quorum genus triplex est. Nam aut res narratae ne ansam quidem poëtis dabant huiuscemodi quidquam significandi; ut per tota carmina A et Ω vix ullus est locus qui eam occasionem offerat; ad quorum genus etiam referimus locos, quales per totam Iliadem occurrunt, ubi vulnus infligitur in aliquam

1) Cf. supra p 169 in ann. 5.

2) Aliter O 120 αὐτὸς δ' ἔντε' ἐδύσετο παμφανάοντα, qui locus tamen forsitan loco nostro exemplo fuerit.

3) Locus impeditus, vLeeuwen coniecit τοῦ δ' ἔκτοσθ' ἄλλον.

4) Cf. supra p. 160.

corporis partem, quam neque thorax aëneus, neque cassis vel galea tegit [1]), ut ubi vulneratur ima pars ventris, vel clunis, vel femur, vel tibia, vel humerus, vel bracchium. Aut occasionem datam spreverunt auctores; quemadmodum saepissime, ut hoc unum afferam, milites cum occiduntur, neque narratur qua in parte corporis vulnus sedeat, neque quibus armis vulnera defendere conati sint, cuius rei exemplo sunt inter alia E 677 ubi Ulixes, 703 sqq., Λ 299 sqq. ubi Hector, Π 692 sqq., 785 sqq. ubi Patroclus magnum hostium numerum obtruncat, quorum partim nomina recensentur, nihil amplius, partim ne recensentur quidem nomina. Aut militum arma designaverunt quidem auctores vel indicia dederunt, unde ea colligi possint, dummodo quid voluerint percipias, sed hoc ipsum, quid voluerint non constet; ut ubi χαλκοχίτωνες dicunt neque tamen perspicuum est, utrum his verbis thoracibus aëneis, an tunicis laminis pectoralibus instructis eos indutos voluerint, vel ubi θωρήσσεσθαι eos tradant, neque tamen sciri potest utrum eos thoraces aeneos induere an universe armari voluerint, vel ubi thoracem eis tribuunt, perspicuum autem non est, utrum voce θώρηξ thoracem aëneum an amictum linteum designare voluerint; vel ubi clipeis vel scutulis minoribus, vel ubi cassidibus aëneis armatos proponunt, quae tam thoracatos quam non thoracatos credere sinunt; vel ubi eos vulnerari narrant ita ut ex ipsis, quibus describitur vulneratio, verbis sequatur ut vulnerati nudi fuerint a thoracibus aëneis, sed verba illa cum saepius eadem per diversa carmina obviam fiant, incertum relinquant utrum ipsi ea excogitaverint, an imitati sint et utrum eorum vim ponderaverint an inconsiderata receperint. Ceterum vix opus est dici, fieri non posse quin inter locos qui per se spectati dubium relinquant utrum auctores thoracis aënei rationem habuerint necne multi sint qui ita cohaereant cum locis, quibus id satis apertum sit, ut eisdem tribuendi sint auctoribus, itaque de iis non aliter quam de his sit iudicandum.

Hinc autem necessario sequi videtur ut si quis recte atque

---

1) Si tamen scutum talare eam tegit, nullius momenti est ea res, hoc enim inconsulto aliquo motu tolli potuit, ita ut exposita telis fieret.

ordine expositurus sit, quas partes thorax aëneus in carminibus obtineat Homericis, in quibus quantisque eorum partibus regnet, in quibus aut ignoretur aut negligatur, in quibus hac de re nihil certi statuere liceat, facere non possit quin investiget quot cantores suam operam navaverint in Iliade et Odyssea condendis et qui sit cuiusque eorum operis ambitus. Nam si constaret utrumque carmen unius poëtae deberi ingenio, unus fere utriusque carminis locus, dummodo antiquus et genuinus esset, ubi princeps quispiam Graecus vel Troianus thoracatus proponeretur, sufficeret ad probandum nullo loco poetam thoracis usum heroïbus prorsus abiudicasse, unus locus ubi nudus a thorace aëneo in proelio cum hasta atque scuto talari princeps aliquis versaretur, argueret, dum genuinus esset, omnes locos quibus idem proponeretur thoracatus interpolatos esse. Sed neque illud constat, imo miratio fit quod post tot summorum virorum demonstrationes gravissimas etiamnunc ulli inveniuntur viri docti quibus non constet contrarium, neque ullo modo quicunque loci thoracatos ostendunt heroes, interpolatos habere licet. Interpolata dicenda sunt Πατρόκλεια, Ἕκτορος ἀναίρεσις, Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ? An ab eodem auctore cum Aiace pugnans Hector non thoracatus, cum Achille thoracatus fingitur? ab eodem Diomedes vulneratus a Pandaro non thoracatus, at cum Aiace certamen ludicrum agens? Aiax in hoc certamine thoracatus, non vero ubi cum Hectore dimicat?

Illud autem, ut singulorum auctorum singulas Iliadis partes, sive qui thoracis aënei rationem haberent, sive minus, distingueret ac divideret, egit Robert in libro utilissimo cui titulus „Studien zur Ilias". A quo tamen non modo multifariam censui discedendum esse in utriusque generis signis notisque constituendis [1]), sed de toto incepto dissentiendum puto. Quod quam verum sit, aliis diudicandum relinquo, mihi dicendum est id quod sentio. Neque vero, reor, definire licet

---

1) Robert verba θωρήσσειν, θωρήσσεσθαι, θωρηκτής usurpata censet post inventum thoracem aëneum (de qua re vide supra p. 152 sqq.); χαλκοχίτωνας et ἐυκνήμιδας nonnisi thoracatos dici putat (vide supra p. 161 sq.); scutum talare negat dici ἀσπίδα πάντοσ' ἐϜίσην vel εὔκυκλον (vide supra p. 154 sqq), quique clipeo vel scutulo minore vel casside aënea armatus sit, non dubitat quin thoracatus fingatur (vide supra p. 156, 182); alia eiusmodi.

Iliadis et Odysseae partes quo quaeque ambitu, quot auctoribus distribuendae sint; singula multa ita cohaerentia cernimus, ut manifesto debeantur iisdem auctoribus, ab aliis ita discrepantia ut diversis tribuenda sint, circumscribere pleraque non licet.

At tamen ita hac in re aliquid profici posse puto, si omnia persequentes, cetera mittimus, retinemus vero quaecunque ita cohaerent ut a nullo negari possint ab iisdem auctoribus oriunda esse, idque non quo contendamus fieri non posse ut ad singulos hos non multo plura pertineant, quam quae nos iis assignemus, verum ne statuamus incerta. Ordiendum videtur ab iis locis, qui thoracis aënei usum bellatoribus tributum habeant.

Huius generis locos in carmine A nullos invenimus. In carmine B obviam factus est huius generis vs. 578 (cf. supra p. 183). Praeterea alicuius momenti sunt vs. 529 ubi Aiax Oilei filius et vs. 830 ubi Amphius Percosius λινοθώρηξ dicitur. Nam ex ea appellatione sequitur, ut auctor, cum operae pretium censeret notare principes qui thoracibus linteis induti essent, in universum tribuerit principibus thoraces aëneos. Is enim qui utitur voce λινοθώρηξ non ignorat usum thoracum aëneorum, is autem qui huius usus gnarus paucos aliquos λινοθώρηκας appellat, manifesto ceteris, si non omnibus at tamen plerisque qui cum illis in eodem bello versentur, manifesto vult thoracatos esse. Iamvero et B 578 et 529, 830 in „Catalogo" leguntur, qui nemo dubitat quin aut totus ab uno, aut ita a duobus confectus sit, ut quae pars ad Graecos pertineat alteri, quae ad Troianos alteri debeatur. At illius partis sunt versus 529, 578, huius vs. 830. Statuendum igitur per totum catalogum regnare thoracem aëneum, itaque etiam B 544, ubi Abantes dicantur longis suis hastis θώρηκας ῥῆξαι δηίων ἀμφὶ στήθεσσι, de thoracibus aëneis agi aut tam de his quam de tunicis linteis.

In carminibus Γ Δ E Z nullus est locus qui per se spectatus thoracis aënei usum prodat; sed Γ 332, quem locum supra demonstravimus (p. 126) interpolatum esse, cum auctorem viderimus ob oculos habuisse Ψ 813, ubi thoracati proponuntur Aiax et Diomedes, cumque praeterea manifesto ei exemplo fuerit T 371, ubi Achilles induit arma aënea a Vulcano accepta,

quin idem spectetur non est dubium [1]). In carmine autem H unus eiusdem generis est locus 207—218, quem item demonstravimus interpolatum esse (vide supra p. 184). Porro unus in carmine Θ vs. 194 (cf. supra p. 151). Carmen autem Θ aut totum, aut paene totum (nam de postrema parte abinde vs. 489 dubitare licet) ab eodem poeta confectum esse post Naberum vulgo consentiunt vv. dd. Itaque vs. 62 χαλκεοθώρηκες utrum de thoracatis accipiatur an de militibus munitis laminis aëneis pectoralibus nullius est momenti. Neque repugnat quod vss. 121, 258, 306, 494, bellatores fingi videntur non thoracati. Nam horum locorum nullus est, quin alibi recurrat (121 = 313 = Δ 480 = O 577; 258 = E 240 = Λ 447; 306 = Λ 108 = N 186 = O 420, tantum nostro loco legitur διστῷ ceteris δουρί; 494 = Z 319; vide supra p. 166, p. 172 sq.) cumque satis constet poëtam nostrum alia expilasse carmina quo opus suum conflaret, minime dubitandum est, quin illis versibus alii ita nostro exemplo fuerint ut quid auctores voluerint nou accurate perpenderit. Tum in carmine I rursus unus est locus eius generis quod nunc spectamus, vs. 596 (cf. supra p. 184). Hic autem locus pertinet ad Phoenicis in Achillis tentorio orationem, quam cum ceteris, quae in eodem carmine ad Phoenicem spectant ab uno poëta insertam esse constat. Sequitur Δολώνεια, cuius omnes consentiunt auctorem unum esse, cui cum propositum fuisse videatur heroes nudos fingere a thoracibus aëneis (cf. supra p. 180), tamen inconsultius, reor, Ulixi hippostrophi, Diomedi hippobatae vices tribuentem vss. 499, 513, 527, 530 arguunt probe novisse thoracis aënei usum (cf. supra p. 161, 184). Porro in carmine Λ rursus unus locus est, ubi haud dubie agatur de thorace aëneo, vs. 19 (cf. supra p. 151). Sed versus 1—46 uni auctori deberi patet, quem locum nec non ea quae sequuntur usque ad vs. 83 [2]), cum clades Graecorum, quae deinde narratur, ab initio

---

1) De versu parallelo Π 133 vide infra p. 193.

2) Versibus 47 sq. exemplo fuerunt M 84 sq. Nam cum Troianorum principes, ne in fossa ducta ante Graecorum castra navalia equi et currus haereant, Polydamante ductore ad pedes desiluissent, rectissime sequebatur ut quisque mandaret equos prope fossam retinendos; nostro vero loco hoc sine iusta causa fit, et repugnant Λ 192, 207, 280, ubi Agamemnon vulneratus curru e proelio vehitur; quod facere non

pertinuisset ad proelium quod statim post Agamemnonis somnium in B consereretur, postquam alia interposita sunt, non obscurum est insertum esse ne illa careret introitu. Sequitur carmen M, ubi rursus uno loco bellator thoracatus proponitur, Hectorem volo 463 sq. (vide supra p. 183). In hoc autem carmine aut duas aut plures manus distinguendas esse, ita ut recentior ab Hectore, vetustior, ab illa praecisa, a Sarpedone Graecorum murum captum habuerit, et in ipso carmine sunt quae suspicionem moveant et probatur eo quod auctor loci Π 538 hanc solam cognovit; quod ostendunt eius verba *κεῖται ἀνὴρ* (i. e. Sarpedon) *ὅς· πρῶτος ἐσήλατο τεῖχος Ἀχαιῶν*. Cohaerent manifesto 437—471, quae praecedunt non cogimur eidem auctori tribuere, vss. 428 sq. ratio non habetur thoracatorum (cf. supra p. 166) itaque hi saltem versus ad eum non pertinent. Tum in carmine N quattuor sunt loci, ubi thoracis aënei ratio habetur, vs. 191 ubi Hector, vs. 241, 245 ubi Idomeneus thoracatus prodit, vs. 497 ubi militum pugnantium circum pectora aes concrepuisse narratur (cf. supra p. 183). Versus 191 sqq. nihil vetat credere recentiores esse quam qui praecedunt. Atque 195 sq. quidem satis recentes esse videntur propter Atheniensium ducem Stichium, cuius ne in catalogo quidem mentio fit; cumque vs. 206 parum apte se habeat ad versum praecedentem, multoque melius iungatur vs. 187, totus locus 188—205 insertus videtur. Porro vs. 345 aptius applicatur ad 209 quam ad 344, et vs. 290 sq. offendunt, cum ineptum sit in medio proelio Idomeneum in tentorio suo arma induere, neque id satis explicetur eo quod sodalem vulneratum convenit (vs. 211). Itaque etiam locus 210—344 vix dubium quin insertus sit. Postremo vs. 497 separare non licet ab eis quae praecedunt abinde vs. 420, ab iisque quae sequuntur usque ad 539; quod ne primo quidem adspectu quemquam fugiet. Sed vs. 405 sqq. Idomeneus fingitur armatis scuto talari (vide supra p. 170) itemque vs. 420 Antilochus (vide supra p. 172) et vs. 543 Aphareus (vide supra p. 172), permirum autem sit qui principes nudos a thoracibus

---

potuit, si currus ad fossam restitisset. Etiam vs. 56 recurrit Υ 3, ubi melius se habet. Hic enim post „Τρῶες" aegre desideratur verbum, quod ibi facillime suppletur e vs. 1.

depingat milites in universum thoracatos fingere, cumque vs. 424—539 sine ceterorum detrimento tollere liceat, verisimillimum rursus est hunc locum insertum esse [1]). Obiter moneo versu 265 ubi commemorantur *θώρηκες λαμπρὸν γανάοντες*, 342 ubi mentio fit *θωρήκων νεοσμήκτων*, 439 sq. ubi Idomeneus narratur perfringere Alcathoi *χιτῶνα χάλκεον*, 507 ubi idem traditur Oenomai scindere *θώρηκος γύαλον*, quibus locis supra animadvertimus (p. 112 sq. p. 127 sq.) si per se eos spectes, non constare utrum auctores thoraces aëneos an linteos intellegi voluerint, nunc apparere de illis agi. Sequitur carmen Ξ, in quo unus locus est huc pertinens. Nam legimus vs. 383 sqq. milites Graecos a regibus vulneratis in aciem instructos in hostem contendere *ἐπεί ῥ' ἐϝέσαντο περὶ χροΐ νώροπα χαλκόν*, quod vix aliter nisi de thoracibus aëneis accipere licet (cf. supra p. 184). Verum cum hoc èt ipsum, quippe quod in medio proelio fiat, absurdum sit èt repugnent quae praecedunt (vide supra p. 172), suspicio in promtu est interpolatos esse vss. 383—387. Tum in carmine O rursus locus est quem hic afferre oportet vs. 529 sqq., ubi Megetis thorax describitur et laudatur ea ratione qua credere cogamur agi de thorace aëneo. Cohaerent vs. 515—565. Vs. 515 commemoratur Schedius Perimedis filius Phocaeensium dux, repugnante catalogo B vs. 517, ubi Schedius Phocaeensium dux est filius Iphiti, quem Schedium occidit Hector P 306. Vs. 501—512 Aiax Telamonius adhortatur Graecos, et idem rursus 560—564 idque versibus undique conflatis. Omnia igitur eo tendunt ut censeas insertos esse vss. 514—565. Deinde Π 804 legimus *'λῦσε δέ ϝοι* (i. e. Patroclo) *θώρηκα ϝάναξ Διὸς υἱὸς 'Απόλλων.* Perspicuum esse vidimus (cf. supra p. 151) de thorace aëneo hic agi; tunica enim non opus fuisse Apollini exuere Patroclum quo inermis fieret. Sed Σ 192 sq. Achilles dicit *ἄλλον δ' οὔ τευ ϝοῖδα τεῦ ἂν κλυτὰ τεύχεα δύω εἰ μὴ 'Αίαντός γε σάκος Τελαμωνιάδαο* [2]).

1) Tangitur hic locus O 110 sqq., hunc autem locum, qui aut pertinet ad *Διὸς ἀπάτην* aut etiam recentior est, nihil vetat credere aut eidem poetae deberi atque N 424—539 aut recentiorem etiam esse.

2) VLeeuwen in Ed. Iliad. versum 192 sq. expungit èt quod obscuri sint et quod in iis offendant novicia *τευ, τεῦ*. Sed ipse vir cl. tentavit *ἄλλον δ' οὔ τινα ϝοῖδα ὅο κλυτὰ τεύχεα δύω*; obscuri autem versus ei modo sunt, qui persuasum habeat auctorem huius loci non dubitasse quin Achilles soleret thoracatus in proelia prodire.

Supra vidimus (cf. p. 174) requirere hic Achillem *σάκος* quod totum virum tegat i. e. scutum talare, alioquin eius non interesse utrum aliquanto maius vel minus illud sit. Huius igitur loci auctor Aiacem non thoracatum finxit. At minime credibile est qui Aiacem non thoracatum finxerit, Achilli tribuisse thoracem aëneum. Neque igitur hic poëta voluit Patroclo mutuum dedisse Achillem thoracem aëneum. Ipse vs. Π 804 mire friget, quis enim fert deo, postquam tergum humerosque viri percussit — quo solo planae palmae ictu galeam a capite, scutum ab humeris deiecit, hastam fregit — opus fuisse ut thoracem solveret? Accedunt alia. Nolim urgere quod, cum inter Patrocli arma quae P 210 induit Hector, appareat esse thoracem aëneum — dicit enim ibi poëta *Ἕκτορι δ' ἥρμοσε τεύχε' ἐπὶ χροΐ* (cf. supra p. 184) — ipsa spoliationis ratio, qualis in carmine Π significatur magis quam narratur, parum convenit ad Π 817, ubi legimus Patroclum ab Apolline armis exutum et ab Euphorbo vulneratum recessisse ad sodalium gregem, unde sequitur ut ab interfecti corpore arma aliquo spatio seiuncta fuerint, neque opus fuerit Hectori, id quod narratur P 105—114, Menelaum corpus tuentem proturbare quo arma raperet, quod deinde fecisse significatur P 125 [1]. Quod tamen propterea mitto quoniam non constat vel Hectoris permutationem armorum, vel ipsam spoliationem, quales nunc in Iliade leguntur, quibus fieri potest ut vetustior earundem rerum narratio extrusa sit, non recentiorem esse quam ipsum versum Π 804. Verum in carminibus Π et P nonnulli loci obviam fiunt, ubi principes Graecorum a thoracibus nudos esse apparet. Inter quos rursus praetermitto locos Π 106 ubi Aiax non thoracatus proponitur (cf. supra p. 175), quem locum credibile est non venire in *Πατροκλείας* partem sed vetustiorem esse, et Π 215 ubi Myrmidonum aciem vidimus thoracibus aëneis carere (cf. supra p. 172), qui eis carere potuerunt etiamsi principes eis induti essent. Sed in certamine singulari cum Patroclo Sarpedonem vs. 481 apparet (vide supra p. 166) thorace non indutum esse, principes autem sive Graecorum sive Troianorum

1) Cf. P 205 sq. *τεύχεα δ' οὐ κατὰ κόσμον ἀπὸ κρατός τε καὶ ὤμων εἷλε'*. Sed haec etiam recentioris originis forsitan sunt quam P 125.

alios thoracatos alios a thoracibus aëneis nudos proponi ab eodem poëta — nisi hoc aut cum aliqua emphasi notatur (ut B 529 Aiax Oïlei filius, 830 Amphius Percosius λινοθώρηξ vocatur), aut arcu sagittisque illi uti finguntur — negandum censeo. Itaque in eo certamine de Patroclo non aliter quam de Sarpedone iudicandum videtur. Tum thoracibus aëneis caret Peneleus dux Boeotorum Π 337 sq. (cf. supra p. 175), Hector 358—363 (cf. supra p. 171), Meriones 609 sqq. (cf. supra p. 173), itaque etiam Aeneas a quo ille petitur 608, Patroclus qui eum alloquitur vs. 626 sqq.; porro Aiax P 132—139 (cf. supra p. 172), Hector et Aeneas 492 (cf. supra p. 171), Aretus 519 (cf. supra p. 177), qui cum θεοειδής dicatur 493 (manifesto autem cohaerent 459—542) ad principes referendus est; Automedon 527 (cf. supra p. 171). Omitto locos qui aut minus certi sunt, aut ubi milites e numero, non principes a thoracibus nudi proponuntur. Sed locus Σ 192 sq., ceterique loci quos recensui, cum repugnent Patroclo thorace aëneo induto, aut restiterunt e Patroclea quae thoracum aëneorum usum non haberet, aut inserti sunt. At omnes illos locos insiticios esse minime verisimile, praesertim cum P 459—542 [1]), Σ 192 sq. antiquissimi esse videantur. Quid autem? Credibile est eos qui inventa sua insererent carmini quod Patroclum thoracatum haberet, eum proposuisse a thorace aëneo nudum? Mitto quod versus insiticii recentioris sunt originis quam carmen cui inseruntur, cum tamen poetae qui thoracis aënei rationem non habuerint in universum vetustiores sint iudicandi quam qui habuerint. Omnibus autem de causis statuendum est in Patroclea quam nunc habemus aut plures aut duas manus distinguendas esse, quarum recentiorem demum vel recentiores thoracatos fecisse bellatores [2]).

---

1) De hoc loco vide ann. 2.

2) Ben. Niese, cui complures vv. dd. assensi sunt, si recte vidit (Die Entwickel. der Hom. Poesie p. 92 sqq.) in antiquissima Patroclea non Achillis, sed sua arma induisse Patroclum, aut plures, aut *tres* manus in nostra Patroclea distinguendae sunt, quarum *vetustissima* Patroclum habuit *sua* arma induentem, inter quae *non* esset *thorax aëneus*, recentissima *Achillis* arma, inter quae *esset*, *media Achillis* arma, inter quae rursus *non* esset. Verisimiliter Robert demonstrat (ll. p. 16) secundum *hanc* scuto Aiacis talari Achillem tectum, non armis a Vulcano acceptis, occidisse Hectorem, Patrocli autem caedem Achilli nuntiasse *Automedontem*, non *Antilochum*, Automedontis autem ad Achillem verba pro parte superesse in Iridis oratione Σ 170 sqq.

Quo praeter locos Π 804 et Ρ 210 (i. e. 210—214, an plura, sciri nequit; saltem quae praecedunt de Patrocli armis vs. 191 sqq. non necesse est eidem poetae tribuere, neque ibi cogitare de thorace aeneo; ceterum cf. supra p. 191), referendi videntur Π 133 (i. e. 131—139 vel 131—143), ubi Achillis thoracem induere narratur Patroclus; Ρ 314 (i. e. 311—319), ubi Aiax Phorcynem *μέσην κατὰ γαστέρ' ἔτυψε· 'ρῆξε δὲ θώρηκος γύαλον*; Ρ 605 sqq. (i. e. 605—625 vel etiam 597—625, nisi etiam plura, sed optime cohaerent 596 et 626). Quibus locis etsi supra (p. 127 sq.) monuimus per se spectatis sciri non posse an de tunica agatur (modo postremo loco sumas eam laminibus pectoralibus munitam esse, percussa enim ea frangitur hasta), tamen eo ipso quod in Patroclea recentiore thorax aëneus regnat, satius videtur illuc referre eos; accedit quod locus Π 131—136 non differt a Τ 369—373, ubi Achilles induit arma aënea a Vulcano accepta [1]). Alii loci ubi de thorace aëneo agi appareat in Π aut Ρ nulli sunt. Reliqua autem paucis absolvere licet. *'Οπλοποιΐα*, quamquam in hac quoque plures cernuntur manus, tamen cum thoracem Σ 460 a Vulcano Thetidem petentem faciat, et hunc fabricantem 610, nihil dubii relinquit, quin thoracem aëneum spectet. In clipei descriptione, quae forsitan inserta sit, obsessae urbis cives thoracibus aëneis indutos proponi Σ 522 vidimus (supra p. 183). Tum *Ἕκτορος ἀναίρεσις* quamvis nullum offerat locum, qui obstet quominus credamus thoracis aënei usum tribuisse auctorem militibus, atque haud dubie thoracatus depingatur Achilles Χ 32 (cf. supra p. 183), Hector 322—325 (cf. supra p. 184), tamen cum Patrocleam nullam cogitare liceat nisi cui Hectoris caedes iuncta fuerit [2]), antiquissima autem Patroclea thoracis aënei rationem non habeat, colligere debemus, illam ab initio in eadem causa fuisse. Sic autem etiam hoc explicatur, quod in proeliis, quae inter *Πατρόκλειαν* et *Ἕκτορος ἀναίρεσιν* intercedunt et cum utraque cohaerent, etiamnunc duo loci restiterunt, ut omittam

---

1) Totum locum Π 131—143 insiticium esse puto, ita ut versibus 131—136 exemplo fuerint vss. Τ 369—373. De loco parallelo Γ 330 sqq. vide supra p. 125 sq.

2) Ab altera parte credibile est, antiquissimam aliquam fuisse *Ἕκτορος ἀναίρεσιν*, quae Patrocli nullam rationem haberet.

Polydori vulnerationem (cf. supra p. 117), et alia minus certa, ubi thorax aëneus negligitur [1]). Nam Υ 463—477 Troem Alastoris filium, Molium, Echeclum Antenoris filium; 484—489 Rigmum filium Piroi nudos fingi a thoracibus aëneis vidimus (supra p. 166, 175, 176), inter quos Echeclus propter patrem, et Rigmus cum curru vehatur in principum numero habendi sunt. Ab altera parte Υ 367b sqq., Υ 156—352, Φ 139—208, ubi arma a Vulcano accepta memorantur, manifesto Achilles habendus est thoracatus (cf. supra p. 184). Itaque etiam Υ 361 vocem θώρηξ intellegendam esse apparet thoracem aëneum, cohaerere enim 357—424 perspicuum est. Postremo Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ tres praebent locos Ψ 129 sqq., 560 sqq., 811 sqq. (cf. supra p. 150 sq., p. 183) ubi bellatores proponuntur thoracati, quod carmen quamvis vix dubium sit quin auctum et dilatatum habeamus, nihil tamen est cur credas id ab origine thoracis aënei expers fuisse.

Succedant nunc loci ubi thorax aëneus negligitur. Praemonendum autem, non aeque multum singulos hos valere, sed rursus tria horum esse distinguenda genera. Nam si quis e numero militum nudus a thorace aëneo fingitur, inde non sequitur, ut idem poëta cui talia debentur, non principes potuerit fingere thoracatos; ab altera autem parte is qui vel unum militem gregarium thoracatum depinxerit non dubitandum videtur quin in usu communi belli Troiani temporibus sibi proposuerit thoraces aëneos. Huiusmodi locus vix unus est apud Homerum; illi quoque perpauci, nullos repperi nisi Δ 473 sqq., Ε 49 sqq., 584, Λ 95 sqq., Μ 188 sqq., Ν 545 sqq., 601 sqq., 663 sqq, Ο 430 sqq., 575 sqq., 638 sqq., Π 312 sqq., 338 sqq., 463 sqq., 737 sqq., Φ 26 sqq., σ 376 sqq. [2]). Ceteroquin ubicumque milites e numero

1) Etiam Achillis certamen cum Scamandro Φ 212—382 cum ipsa natura sua antiquissimum esse pateat, quamvis nunc nihil praebeat unde dignoscere possis utrum in eo thoracatus necne pugnet Achilles, olim eum nudum a thorace habuisse indicandum est.

2) De his locis egi supra p. 166, 167, 170, 171, 174, 175, 176. Simoïsi Δ 473 sqq., Scamandri Ε 49 sqq., Hippomachi Μ 188 sqq., Lycophronis Ο 430 sqq. Melanippi Ο 575 sqq. cum patris nomen addatur, fortasse tamen hi inter principes referendi sunt. Sed malui vero maiorem sumere numerum locorum e quibus nihil demonstrare liceat, quam e quibus colligendum sit auctores ignorasse vel neglexisse usum thoracis aënei. Euchenoris (Ν 663 sqq.) quamvis addatur nomen patris et hic dives dicatur, tamen cum μάντις esse tradatur, ad principes non refero. Etiam Ple-

caedi narrantur, siletur de eorum armis, siletur de vulnere quo occumbant; contra ubicunque ea commemorantur, etiamsi bellatores occisi non sint in numero heroum nobilium et notorum, etiamsi, ut ita dicam, in scenam modo prodeant ut statim evanescant, tamen eo quod cognati referuntur heroïbus illustribus (ut nulli inter eos crebriores sunt, quam filii sive genuini sive spurii Priami) vel deis, vel nympharum filii sunt, vel quod vocantur duces, vel „spectati ac divites", vel quod curribus vehuntur, alia eiusmodi, apparet eos inter principes habendos esse. Ubi vero aut Graecorum aut Troianorum, aut utraque acies in universum ita describitur ut poeta thoracum aëneorum usum ei non tribuisse videatur, ut ubi Agamemnon (Β 382 sqq.), Neptunus (Ξ 370 sqq.) milites adhortantur ad arma expedienda [1]); Diomedes, Agamemnon, Ulixes militum arma in acie permutant (Ξ 380 sqq.) [2]); militum in acie scuta se invicem contingunt (Μ 105, Ν 130, Π 214) [3]); Troiani et Achivi scuta circum pectora alteri alteris scindunt (Μ 425) [4]); ei qui terga vertunt in pugna terga nudare dicuntur (Μ 428) [5]); Aiacis Oïlei militibus quae arma desint enumerantur (Ν 714) [6]); Sarpedonis sodales vocantur *ἀμιτροχίτωνες* (Π 419); Patrocli commilitones frustra conatur Asteropaeus vulnerare, *σάκεσσι γὰρ εἴρχατο πάντῃ* (Ρ 354); milites in insidiis dormire narrantur *σάκεσιν ϝεϝλυμένοι ὤμους* (ξ 479), ex omnibus his locis iure tantum hoc quis contendat sequi, ut ab auctoribus vulgus militum a thoracibus aëneis nudum fingatur, sequi igitur ut noluerint horum usum communem esse, non sequi ut etiam principes voluerint eis carere. Utrumque igitur locorum genus in sequentibus praetermittere licebit. Verum aliter res se habet ubi e principum numero sive Graecorum sive Troianorum thoracis aënei aliquem expertem fingi apparet. Etenim, id quod supra iam monui (p. 191 sq.),

---

riphetis pater commemoratur Ο 639, sed hunc apparet ministrum fuisse Eurysthei. De loco σ 376 monendum est Ulixem mendici partes agentem, cum glorietur se si armis induatur (inter quae desideratur thorax aëneus) in prima acie pugnaturum, non tamen veri simile esse se principibus adscribere. — Simoïsium Δ 473 sqq., Scamandrum Ε 49 sqq., Euchenorem Ν 663 sqq., Thoonem Π 312 sqq. ne certum quidem est nudos fingi a thoracibus aëneis; cf. supra p. 167, 175.

1) Cf. supra p. 169 sq., 180.
2) Cf. supra p. 172.
3) Cf. supra p. 172.
4) Cf. supra p. 171.
5) Cf. supra p. 166, 171.
6) Cf. supra p. 180.

credibile non videtur habitum eorum bellicum antiquis temporibus aut ita variari potuisse aut varie ab eodem poeta depingi, ut promiscue thoracati et non thoracati in proeliis congredi traderentur. In proeliis certaminibusque ludicris equitum medii aevi, quod dicitur, eiusmodi extitisse varietatem quis unquam legit apud huius aetatis scriptores? Immo quibus temporibus nobiles fere soli graviter armati sunt, graviter armatorum arma vix differunt. Idque in nostra causa etiam eo confirmatur, quod Catalogi auctor ab usu thoracis aënei duos principes Aiacem Oïlei filium et Amphium Percosium nominatim excipit (vide supra p. 187 sqq.). Tertii igitur nunc illius generis locos inspiciamus.

Nulli autem in carminibus A et B cum obviam fiant, primum huc referendum est certamen singulare inter Paridem et Menelaum Γ 245—382, quod ita describi vidimus supra (p. 124—126), modo excipiantur vss. 330—338, 340—343, quos interpolatos esse demonstravimus (supra l.l.), ut luculenter appareat Paridi a poëta thoracem aëneum non tributum esse. Neque igitur hic Menelaum thoracatum sibi proposuit. Porro nemo dubitabit quin vss. Γ 15—120 eundem auctorem habeant atque 245—382, unde rursus sequitur ut ne ceteri quidem Achivi Troianique, quos vs. 89 Hector iubere narratur *τεύχεα κάλ' ἀποθέσθαι ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ* (cui obsecuti vs. 114 *τεύχεά τ' ἐξεδύοντο*) thoracibus aëneis induti fingendi sunt. Ex reliquis autem carminis Γ partibus nihil colligere licet de eo quod nunc quaerimus. In carminis Δ ea parte quae continetur vulneratione Menelai, i. e. 105—122, thoracis aënei rationem non haberi supra ostendere conati sumus (p. 117 sqq.). Porro nudos a thoracibus aëneis proponi heroes apparet ab auctoribus vss. 468 sq., 480, 501, 528 (vide supra p. 166 sq., 175). Minus certum est quid voluerit auctor vs. 420 (vide supra p. 174) et vs. 459 sqq. (vide supra p. 175). Patet autem vss. 463—472 unius auctoris esse, item vss. 473—487, item vss. 487—504 (unde sequitur ut *αἰολοθώρηξ* vs. 489 sit „indutus tunica variis signis picta" [1]), non „indutus thorace aëneo fulgenti"), item

1) Eiusmodi tunicas in monumentis Mycenaeis conspici monuit Robert ll. p. 39 sq. vide supra p. 112.

vss. 505—516, item vss. 517—538. Sed utrum cuncta illa uni an duobus an pluribus poëtis tribuenda sint, et quae praecedunt quaeque sequuntur quatenus ad hunc vel ad hos pertineant, sciri nequit.

In carmine E Diomedem demonstravi (supra p. 105 sqq.) a thorace aëneo nudum proponi èt ubi vulneretur a Pandaro atque hunc interficiat vulneretque Aeneam et Venerem, quae dividi non posse patet, etenim uni deberi auctori vss. 1—8, 85—143, 166—191, 384, 405—431, 445 [1]), èt in suo cum Marte certamine, i. e. 461, 508—511, 596—600, 607, 711—909, quod neque cogit neque vetat quidquam credere ab alio poëta additum. Congruit quod etiam Pandarum apparet carere thorace aëneo vs. 291 (vide supra p. 175, p. 181 sq.). Ex eis quae intercedunt, sive ab eodem poëta oriunda sunt atque illa (vel, si illa duobus debentur, ab altero horum), sive ab alio vel aliis, uni saltem poetae debentur 9—26, item 37—42, item 144—151, item 615—626, item 703—710, qui loci omnes propter vss. 18 sqq., 40, 45, 615, 707 (vide supra p. 166 sq., 177, ibique in ann. 2, 180) ostendunt thoracis aënei rationem non haberi; quibus fortasse adiungere licet 533—544 (propter vs. 539), ubi tamen res non certissima est (vide supra p. 177). Cetera huius carminis ad propositum nostrum non faciunt.

In carmine Z ei loci, ubi sine thoracibus aëneis in proelia

---

1) Robert negat (Il. p. 182 sqq.) vss. 259—273, 319—329, quibus agitur de Aeneae equis a Diomede captis, ad veterem Διομήδους ἀριστείαν referendos esse. Cui non assentiendum puto. Antiquitus enim in fabulis, quae de Diomede ferrentur, equos divinos aliquas partes egisse, inde colligendum puto, quod Diomedes ille Bistonius, quem a Tydei filio primitus non fuisse diversum — utrumque autem in deorum numero fuisse antequam pro regibus mortalibus haberentur — multi viri docti graves ob causas, quas hic non attinet referre, opinati sunt, insignis erat propter equos. Quod Troïs equi semine ab aetherio orti, quos in Iliade Diomedes capere narratur, ad Diomedeos initio minime pertinuerint, hac in re nullius momenti est. Porro Bergk (Griech. Literaturgesch. I 576), quem sequitur Robert Il. p. 183 sqq., Veneris interventum et vulnerationem interpolata censet: „Dass jetzt zwei Götter bemüht werden" inquit vir clar. „ist wunderlich und nicht geschickt". Causam non video Robertiique rationi obstare puto, quod cogitur expungere vs. 131 sq., quibus eiectis friget vs. 130, manifesto enim ne in alios deos impetum faciat unice propterea ei praecipit Minerva ut excipiat Venerem. Praeterea cur Aeneam arcessiverit poeta nisi ut matrem a Diomede vulnerari narraret non intelligitur; Diomedes autem Venerem vulnerans et certamen cum Marte iniens propterea antiquissimae arti tribuendus videtur, quod manifesto oriunda sunt haec e fabulis, quibus Diomedes celebraretur inter deos. Sed minime constat certamen cum Marte ab eodem poeta in Iliadem insertum esse atque Veneris vulnerationem.

ire fingantur bellatores, ita distribuendi videntur ut uni auctori tribuantur vss. 73—118, 242—278, 286—310 et uni rursus vss. 312—342, 503—505, quorum alter quid sibi proposuerit hac in re, cognoscitur vss. 117 sq. (cf. supra p. 170) alter vs. 318 sqq. (cf. supra p. 172 sq.). Itaque vs. 322 θώρηξ non est thorax aëneus, sed tunica (vide supra p. 128). Minus certa res est vs. 10 sq. i. e. 5—11 (cf. supra p. 175 sq.), 64 i. e. 37—64 (cf. supra p. 167). De ceteris nihil statuere licet, quod ad propositum nostrum pertineat.

Carminis H eam partem, quae continetur certamine singulari inter Hectorem et Aiacem, i. e. 17—40, 43—131, 161—196, 200—205, 219—312, neutrum pugnatorem habere thoracatum, supra ostendimus (p. 124 sqq., p. 169). De ceteris carminis partibus non est cur hic agatur. Neque vero de carmine Θ, de quo toto egimus supra (p. 188); neque de I, neque de sequenti (vide supra p. 188).

Sed in carmine Λ nonnulli loci, quales quaerimus, obviam fuerunt. Atque primo quidem loco, teste vs. 96 sqq., non thoracatos heroës finxit is qui confecit vs. 99—121 (vide supra p. 179); neque qui 122—147 teste vs. 144 (vide supra p. 166); neque qui 218—283, teste vs. 236 (vide supra p. 122 sqq.); neque qui 310—327 teste vs. 321 (vide supra p. 166); neque qui 401—488 teste vs. 457 (vide supra p. 127 sq.); neque qui 521—539, teste vs. 527 (vide supra p. 171); neque qui 596—668ª, 763ᵇ—805, teste vs. 621 sqq. (vide supra p. 177); neque qui 669ᵇ—688, 696—763ª teste vs. 754 (vide supra p. 173). Nam singula haec cohaerere nemo negabit. Minus certa est res vs. 570—580 (vide supra p. 167).

In carmine M aut plures aut duas cerni manus ostendimus (cf. supra p. 189 sq.), quarum recentior Hectorem habebat thoracatum, vetustior Sarpedonem a thorace aëneo nudum. Utriusque etiamnunc statuere fines non licet, cum praesertim altera mutilata sit. Sed quoquomodo hoc se habet, praeter locum de Sarpedone non thoracato teste vs. 401 (vide supra p. 180) i. e. 400, sive potius 397—429, eiusdem generis sunt 187—189 teste vs. 189 (vide supra p. 177), 387—399 teste vs. 389 (vide supra p. 170).

Carminis N qui ad nostrum propositum pertinent loci sunt

hi: vss. 169—187 propter vs. 177 (vide supra p. 175); 402—420, propter vss. 405, 408, 420 (vide supra p. 170, 172) [1]); 540—544, propter vs. 543 (vide supra p. 172); vss. 545—554, propter vs. 546 sq. (vide supra p. 166); 576—580, propter vs. 577 (vide supra p. 176); 802—808, propter vs. 805 (vide supra p. 173, 176). Minus constat de loco 660—672 (vide supra p. 176) [2]).

In carmine autem Ξ nonnisi tres loci commemorandi sunt. Vs. 402—439, propter vs. 406 (vide supra p. 180), et 516—519, propter vs. 517 (vide supra p. 166 sq.), et 442—448, propter vs. 447, quorum tamen postremus non certissimus est (cf. supra p. 167).

Tum in carmine O notandi sunt 419—457, propter vs. 433 (vide supra p. 175) 458—483, propter vss. 474 sq., 479 sqq. (vide supra p. 180 sq.); 606—622, propter vs. 608 (vide supra p. 176). Verisimile autem videtur eidem poetae deberi 419—512, 565—567 [3]). Locis 381—389 (vide supra p. 173), 520—542 (vide supra p. 167), 676—678 (vide supra p. 173), sintne heroes fingendi nudi a thoracibus aëneis non prorsus certum, quod tamen primo saltem et postremo horum locorum verisimile est, cum antiquissimi esse videantur [4]).

In carmine Π unus locus est, quem a Patroclea separandum putem 102—111, vel 123, ubi manifesto Aiax non thoracatus proponitur (cf. supra p. 175). De Patroclea autem iisque quae post eam in Iliade nostra sequuntur supra disserens (vide supra p. 190 sq.) omnium locorum, quibus apparet thoracis aënei rationem non haberi, mentionem feci; sunt hi Π 335—341, 358—363, porro pugna Patrocli cum Sarpedone i. e.

---

1) O 9, 15 sqq., 42 hic locus tangitur, neque tamen inde sequitur ut eidem auctori sit tribuendus.

2) De loco 156—168 vide supra p. 173, de loco 424—495 vide supra p. 159 178.

3) De loco 514—564 vide supra p. 190.

4) Vs. 125 Mars manifesto nudus fingitur a thorace aëneo, neque tamen inde quidquam de hominum habitu bellico colligere licere opinor. Aliter Reichel H. W². p. 84: „vielleicht noch schwerer fällt in's Gewicht, dass selbst der Kriegsgott Ares, der als solcher nur die vollkommenste Rüstung tragen kann, augenscheinlich ohne Panzer gedacht ist.

419—430, 477—491[a], 503[b]—507, 659—660 [1]); tum 604—632; P 132—139, 459—542, Σ 192 sqq., Τ 460—483, 484—489, quibus addere licet etiamsi non certissimus est locum P 346—349 (vide supra p. 166 sq.).

Postremo huc referendi sunt Odysseae totum carmen *α*, quod dividi posse nemo censet, quo in carmine vs. 255 sq. huc pertinet (vide supra p. 181), deinde *ξ* 457—510, propter 479—482 et 489 (vide supra p. 181); *τ* 1—59, propter vs. 32 sq. (vide supra p. 181); postremo *χ* 126—204, propter vs. 184 (vide supra p. 182).

Videamus autem nunc, quid ex eis quae indagavimus proveniat. Atque Iliadis quidem, de Odyssea enim mox agam, apparet aliquanto crebriores esse locos ubi ignoretur vel negligatur thorax aëneus, quam ubi prodeat eius usus, cum praesertim *Τειχομαχία*, *Πατρόκλεια*, *Ἕκτορος ἀναίρεσις* vetustiore forma quam qualem earum nunc habemus in illorum numerum referendae sint. Iamvero haud obscurum est, locorum qui ad neutrum genus pertineant maiorem quam ceterorum esse ambitum. Quo maioris momenti est animadvertere eas Iliadis partes in quibus regnet thorax aëneus recentissimae esse originis. Quod de iis locis quo posterior demum manus eum invexit sine verbis perspicuum est. Sed *Βοιωτίαν*, *κόλον μάχην*, Phoenicem legationis ad Achillem socium, carminis Λ introitum, Idomenei in carmine N cum Neptuno cumque Merione colloquia, eiusdemque *γενεαλόγημα* N 449 sqq., tum carminum N et O locos ubi Stichius dux Atheniensium, Schedius Perimedis filius in scenam prodeunt, postremo *Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ* — omittenda enim est *Δολώνεια*, cuius auctor uno tantum loco ibique sibi repugnans Diomedem thoracatum facit [2]) — illos locos quis nescit ab omnibus viris doctis, qui quidem distinguant Iliadis partes vetustiores et recentiores, iam dudum iudicatos esse recentissimos? Ab

1) Vix opus est memorari, post ea quae iam saepius monui, neque aliis locis quorum fines et ambitum descripsi, neque hoc loco ullo modo infitias me ire fieri posse ut sive quae antecedunt, sive quae sequantur locum a me descriptum, sive quae intercedant, ab eodem poeta oriunda sint, sed tantum hoc significare me velle ea saltem quae eidem auctori tribuam a nullo negari posse eidem deberi, de ceteris dubitari posse.

2) Supra p. 188.

altera parte inter eos locos quibus thoracis aënei ratio non habetur non desunt quos neutiquam ad antiquissimas Iliadis partes referre liceat. Nam ne vetustissimam quidem Patrocleam pertinuisse ad antiquum de Achillis Ira carmen aliis omissis inde efficitur quod Achilles per matrem a Iove petit Α 411 sq., 508 sqq. ut Troianos iuvet donec Agamemnonem superbiae poeniteat, quod excogitare non potuit qui Atridem aut frustra temptaturum Achillem donis placare aut omnino non temptaturum vellet [1]); unde sequitur ut in antiquo illo carmine Patrocleae locus quo stet nullus relinquatur, sed credere oporteat huius auctorem veterem carminis exitum repudiasse in eiusque locum alium constituisse qui ipsi pulchrior videretur [2]). Praeterea recentioris etiam originis quam Patrocleae, vetustissimae saltem, est Patrocli missio ad Nestorem in Λ, nam ad Achillem reversus Patroclus et popularium cladem miserans id ipsum propter quod ab illo missum erat ne verbo quidem tangit [3]); at in iis quae cum Patrocli missione cohaereant, vidimus supra (p. 198) nihilo magis quam in Patroclea ipsa thoracis aënei rationem haberi. Tum *τειχομαχίαν*, cuius antiquissimam partem a thorace aëneo nudum habere Sarpedonem vidimus (supra p. 189), non fuisse partem antiquissimae Iliadis iam dudum multi vv. dd. probabiliter demonstraverunt [4]).

---

1) Fusius egi de ea re in hac Bibliotheca 1895 p. 403 - 407, 409—414 et in Societate Ultratraiectina A. et D., vide Aanteekeningen v. d. Verhandelingen in de Sectie voor Letterk. en Wijsbeg. 1897 p. 27 sqq. Ceterum fac ne ipsum quidem locum Α 411 sq., 508 sqq. antiquo cantori deberi, sed postea insertum esse, id quod minime verisimile, res tamen suo loco manet, nemo enim inserere potuit qui Patrocleam cognovisset.

2) Propterea is, qui utrumque carminis exitum copulavit, invito antiqui vatis proposito, *πρεσβείαν* et *Μήνιδος ἀπόρρησιν* dissociavit, illius mutato exitu, itemque *Πατρόκλειαν* et *Ἕκτορος ἀναίρεσιν* et cladem Graecorum, quae ab initio *πρεσβείαν* antecederet, post eam posuit, deinde *Πατροκλείαν*, tum *μήνιδος ἀπόρρησιν*, postremo *Ἕκτορος ἀναίρεσιν*. Atque *κόλον μάχην* addidit ne *πρεσβεία* careret causa.

3) Recentiorem non esse posse Patrocleam, vetustissimam saltem, quam Patrocli legationem patet. Itaque si male cohaerent, haec est recentior. Si vero quis censet fieri posse ut cum vetustissima Patroclea melius cohaeserit Patrocli missio quam cum nostra, reputet quam non sit credibile eum qui Patrocleam reformaverit perturbasse sine causa ea quae cohaererent.

4) Optime Ben. Niese v. cl. (l.l. p. 96): „richtig sagt Bergk dass die ursprüngliche Dichtung nicht nur keinen Mauerkampf, sondern auch überhaupt keine Mauer um das Schiffslager gekannt habe. Wäre diese ursprünglich, so würde

Quibus de causis statuere licet, dum excipias partes quarum origines constat aetate succedere aut non praecedere eis in quibus thoracem aëneum regnare ostendimus, Ἕκτορος λύτρα volo, neque non Πρέσβειαν et Μήνιδος ἀπόρρησιν, quales eas nunc habemus (perantiquum enim in eis latere nucleum sequitur ex eis, quae de Patroclea supra disputavimus p. 201), tum fortasse Διὸς ἀπάτην et γερόντων βούλην in B, quibus locis non recuso quominus ei adiungantur, ubi non certum quidem sed verisimile sit auctores principes finxisse thoracatos [1]) — his igitur exceptis statuere licebit ceteris locis tantum non omnibus, qui per se spectati incertum relinquant, quem sibi antiquorum heroum habitum bellicum proposuerint auctores, hos ipsos hac de re interrogatos inter arma thoracem aëneum non fuisse commemoraturos. Quapropter sic concludendum videtur: per totum corpus Iliadis nostrae, non tantum in iis quae ex antiquo de „Ira" carmine ducta sint, i. e. fere tota

---

gewiss nicht der Kampf um die Schiffe, sondern der Kampf um die Mauer der entscheidende Moment sein". Praeterea neque ulla fit muri mentio aut in B aut in Λ, ubi in proelium Graeci proficiscuntur, neque ubi Agamemnon vulneratos commilitones in campo certantes hortatur Λ 276 his verbis: „nunc vos defendite naves, cum me non amplius Iuppiter sinat cum hoste pugnare", neque Λ 310 ubi futurum fuisse dicit poëta, ut Graeci e campo fuga se in naves conicerent, nisi Ulixes advocasset Diomedem; neque Λ 557, ubi invitus dicitur Aiax e campo recessisse metuens navibus. Fac autem nullum ex his locis antiquissimae „Irae" partem fuisse, quod minime verisimile est, tamen horum auctor vel auctores, muro in antiquo carmine commemorato, non ita rem proposuissent, quasi nullus esset. Ceterum ne Patrocleam quidem murum cognitum habuisse propterea verisimile est, quod ubi Patroclus Troianos a navibus propellit Π 369 sqq. sola fossa eorum fuga impediri narratur, nulla muri mentione facta, qui multo etiam magis eos prohibere debebat; et rursus ubi mortuus ad naves reportatur P 760, fossa sola nullus murus commemoratur. Patroclus autem ubi miserum popularium casum Achilli exponens, vulneratos Agamemnonem, Diomedem, Ulixem docet, id tacet quod si accidisset multo gravius esset, murum expugnatum esse, commemoratur quidem murus Π 397, 558, Σ 215, sed nullo modo certum est hos locos non esse insiticios. Locum Π 558 si constaret veteri assignandum esse Patrocleae, sequeretur ut haec recentioris etiam originis esset quam Tichomachiae pars antiquissima.

1) Sed horum complures cohaerent cum locis ubi constat thoracatos proponi. Hos volo: B 544 (vide supra p. 187), Θ 62 (vide supra p. 188), N 265, 342, 439, 507 (vide supra p. 190), Π 131—139 (p. 193), P 314 (p. 193), P 605—625 (p. 193), T 361 (p. 194). Soli loci ubi dubium maneat θώρηξ quid sibi velit sunt Δ 448 sq. (quam interpolatum esse ostendi p. 112 in ann. 3), Λ 373, N 371 sq., 397, 591, Π 173 (vide supra p. 127 sq.). Voces αἰολοθώρηξ Δ 489 et θώρηξ Z 322 de tunica intellegendae videbantur (cf. supra p. 127 sq. p. 198).

rhapsodia A et partibus quibusdam rhapsodiarum B, Λ, N et O nec non I et T, sed etiam in additamentis, exceptis quae recentissimae sint originis, thoracis aënei nullam rationem haberi.

Haec autem conclusio eo confirmatur, quod Odysseae ratio cum ea congruit. Discrepat utrumque poëma, quod neque in Odyssea ullum omnino thoracis aënei reperitur vestigium neque loci obviam fiunt, nisi perpauci, id quod in superioribus ostendimus (vide supra p. 181), ubi non thoracatos appareat prodire milites. In his nullus est, qui pertineat ad mythos perantiquos, quales sunt quibus agitur de Ulixis erroribus, neque unquam fuit qui eorum origines aetate antecedere putaverit originibus vetustissimae Patrocleae vel Tichomachiae. Sed Iliadem quicunque poëtae postremi auxerunt vel reformaverunt (ut additamenta minus cum antiquo carmine vel cum aliis additamentis cohaerentia cum iis consociarent) non temperaverunt ab inserenda imagine sui temporis, quo thorax aëneus vulgatus esset: cuius rei Odysseae amplificatoribus et diasceuastis, etiam qui postremi ei operam navarunt, quorum aetatem haud dubie antecessit Iliadis perfectio, ipsa poëmatis natura minus praebebat opportunitatis.

§ 15.

Quaeritur utrum illi cantores, qui thoracis aënei rationem non habuerint, eius usum ignoraverint, an noverint quidem sed spreverint.

Oritur postremo quaestio, utrum illi cantores, qui in heroum antiquorum rebus gestis celebrandis thoracis aënei rationem non habuerint, ipsi eius usum ignoraverint, an noverint quidem sed de eo tacuerint consulto, ne suos mores inmiscerent memoriae antiqui temporis. Qua in re satis fidenter contendere licebit, eos qui voce *θώρηξ* usi sint ad tunicam linteam significandam, aut thoraces aëneos nondum cognitos habuisse aut ita rarum horum usum fuisse eorum temporibus, ut homines cum eam vocem audirent, non de his sed de tunicis cogitarent statim. Nam posteriore tempore, cum thoracum aëneorum usus vulgatus esset, quamvis viderimus ne tum quidem prorsus obsolevisse priscam vocis sententiam (vide supra p. 109 sq., p. 153 in ann. 3), tamen hanc qui spectaret, haud

dubium est quin apertius significaverit, quemadmodum inde quod in „catalogo" Aiax Oïlei filius et Amphius Percosius λινοθώρηκες vocantur, iure nostro effecimus quo tempore Catalogi auctor floreret plerosque milites fuisse thoracatos. Sed qui conderent carmina quo tempore voce θώρηξ significari inciperet praecipue thorax aëneus, memoria autem tenerent alienum esse eius usum ab antiquis bellatoribus, eos non inepte conicias maluisse aut omnes aut plerosque illa voce prorsus abstinere in illorum armis describendis, deinde vero, cum iam evanesceret priscorum temporum imago, irrepsisse imaginem temporis recentioris, idque eo facilius, quod in ipsis antiquissimis carminibus vox θώρηξ se offerret, in omnibus autem vel θωρηκτής vel θωρήσσειν. Facile sic explicatur quod ex omnibus locis ubi vetamur credere thoracatos proponi milites, ne decem quidem numero sunt quibus assignetur iis θώρηξ. Ea autem ratio si valet, sequitur ut saeculi fere spatium intercesserit inter thoracis aënei originem et mentionem de eo factam in carminibus. Neque enim cogimur credere ante medium saeculum X vocem θώρηξ evanuisse e carminibus, neque post medium saeculum sequens apparuisse denuo. Quod temporis spatium intercessisse minime incredibile erit ei qui perspexerit non aliter neque minus pertinaciter obtinuisse in poetarum arte sermonem priscum, in usu cotidiano iamdudum oblitteratum. Neque repugnant artis monumenta e solo effossa. Nam quamvis in vasis geometricis inque imaginibus muralibus Mycenaeae aetatis extremae, quae vulgo viri huius rei periti assignant saeculis X—VIII, nulla thoracum aëneorum vestigia cernantur, neutiquam inde concludendum esse vidimus (supra p. 160 sq.) tum temporis eorum usum ignotum fuisse [1]).

1) Ridgeway solus, quantum scio, vasorum geometricorum originem saeculo XII tribuit (Il. 109, cf. p. 206, p. 265 sq.). Si res ita se habet, ne opus quidem est sumere, thoracis aënei usum cognitum habuisse artifices.

INDEX LOCORUM.

CORRIGENDA.

p. 105 vs. 6 a s. ei, leg.: eum.
p. 113 „ 15 ab i.: transfigere simul et laminam, leg.: transfigere simul humerum et laminam.
p. 123 vs. 7 ab i.: 152, leg.: 252.
p. 126 „ 11 a s.: ψ 813, leg.: Ψ 813.
p. 128 in ann. 2: Λ 251, leg : A 251.
p 151 vs. 5 ab i.: Π 304, leg : Π 804.
p. 152 „ 12 a s.: K 71, leg.: K 78.
p. 158 „ 13 „ „: Σ 418, leg.: Σ 478.
p. 158 „ 16 „ „: Σ 468, leg.: Σ 458
p. 159 vs. 6 a s.: X 186, leg.: χ 186.
p. 166 in ann. 2: E 867, leg.: E 857.
p. 169 „ „ 4: s. f. supra p. 156, leg.: supra p. 158.
p. 175 vs. 9 a s.: N 216 leg.: N 616.
p. 178 „ 1 „ „: Tros Alastoris filius, leg.: Troïs Alastoris filii.
p. 178 „ 11 „ „: Θ 396, leg.: Θ 387.
p. 179 „ 1 „ „: Θ 390, leg : Θ 387.
p. 189 „ 6 ab i.: 420, leg.: 424.

COMMENTUM AELI DONATI AD TERENTIUM.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

I.

DE PRAECIPUO SCHOLIORUM AUCTORE POST DONATUM.

Plurima scholia quae Aeli Donati nomen prae se ferunt ex illius commentario perpetuo ad Terenti fabulas derivata esse inter omnes constat, nec minus apertum est ipsius commentum ad nos pervenisse truncatum laceratum aliorum additamentis identidem interpolatum. „Si quaeritur (sic Wessner in praef. ed. p. XLVI), num fieri possit, ut aliqua ex parte genuinum Donati commentum ex hac scholiorum farragine eliciatur, equidem hoc non prorsum negaverim, sed res mihi videtur admodum lubrica et intricata". Attamen temptata est et temptari debebit, donec genuina a spuriis, quantum fieri potuerit, separaverimus. Fuerunt qui certa scholiorum genera Donato plerumque addicenda, alia ab eo in genere abiudicanda esse censerent, sed ii parum profecerunt, cum de his generibus varium et anceps sit iudicium. Alii formularum quarundam et coniunctionum usum („ut diximus", „ego puto", „sed", „nam", „et simul', alia permulta) interpolatorum nationem vulgo prodere aestimaverunt; atqui ne Donatus quidem occasione oblata ab his formulis aut coniunctionibus, ut par est, abstinuit. Verissime olim Wessnerus, in Bursiani Ann. a. 1902 p. 176 sqq., hos virorum doctorum conatus adhuc irritos fuisse iudicavit atque ita conclusit: „Ein annäherndes Ergebniss lässt sich nur erwarten von

einer sorgfältigen Analyse des Kommentars durch Zerlegung der Scholienconglomeraten in ihren einzelnen Bestandtheile unter strenger Berücksichtigung der überlieferten Anordnung bezw. Unordnung und durch Ausscheidung der sicheren Interpolationen". Hanc viam ego quoque ingrediendam esse credidi, cum in Albo gratulatorio in hon. Herwerdeni (Trai. ad Rhen. 1902) p. 129 specimina quaedam scholiorum componerem, quorum forma et indoles ostenderent ea profecta esse ab uno aliquo magistro cum a Donato tum a reliquis interpolatoribus prorsus diverso. Sed ea res cum fructu tractari tandem potuit post fidam scholiorum editionem egregio Wessneri labore nunc perfectam. Itaque inquisitionem retractare institui et in genere confirmata vidi, quae tunc de magistro illo ita declaraveram: Decorabo eum nomine Philosophi [1]), non quo revera dignus sit hoc titulo, sed quia laborat immodica philosophandi cupidine ac paene furore, unde factum est, ut eius adnotationes, communi sensu saepe destitutae, adfectent nescio quem interiorem rerum ac verborum intelligentiam, quae a sano et simplici Donati iudicio [2]) mirum quantum est remota. Abstinuit ille ab iis interpretis officiis, quae requirunt sinceram doctrinam: vix tetigit artem grammaticam, criticam, rhetoricam, scenicam, nihil habet de exemplis Graecis, sed scripsit maxime de sententiarum interpretatione et de verborum etymologia, significatione, differentia. In manibus habuit commentum Donati, quem modo supplet, modo tecte aut aperte cavillatur et corrigit, lubenter ita, ut contra illum non unam opinionem proferat, sed plures atque optionem faciat lectori, ut eligat adhibitis particulis *aut — aut, vel — vel, utrum — an, an quia, potest — potest etiam,* similibus. Eximendus tamen est ex illorum numero, qui levibus brevibusque adnotatiunculis minoris pretii commentum onerarunt. Immo pro suo ingenio dedita opera in textu explicando laboravit <usus scribendi ratione perplexa quidem, sed quae adfectat elegantiam et ubertatem; fecit hoc> perverso

1) Scholia philosopha fere solus observavit Usener in Mus. Rhen. 1868 p. 495, qui ea tamen perperam Donato attribuit. (Cf. Gerstenberg de Eugraphio, p. 70).

2) Iustas prudentesque Donati adnotationes identidem laudavit J. J. Hartman in comm. de Terentio et Donato a. 1895.

quidem iudicio, sed sedulo et ita ut sibi aliquid praestare videretur, quod cognitu esset dignissimum et lucem afferret Terentium legentibus.

Cum huius magistri lucubrationes, qui a reliquis interpolatoribus non minus distat quam a Donato et medium quendam locum inter utrosque obtinet, cuique post ipsum commenti auctorem scholia, non dicam optima, sed plurima et longissima adsignanda esse videntur, huius igitur lucubrationes cum persequerer, aliorum quoque magistrorum duorum vel trium vestigia satis certa repperi, de quibus postea agendi locus mihi dabitur. Nunc unius Philosophi scholia, quae deprehendi, omissis dubiis et incertis tripartito referam, nempe quae tractant sermonis differentias, vocabulorum significationes et etyma, sententiarum interpretationes. Addam etiam duo scholiorum genera, quae has peculiares formulas ostendunt: *non* (*nec*) — *sed* et *utrum* — *utrum an* sim., quas ille non quidem solus, sed praeter ceteros adamavit ita ut in scholiis originis dubiae patronum suum quasi designent. Initium faciam ab Andria.

De hominis aetate hoc tantum adfirmari potest, eum scripsisse post Donatum, qui teste discipulo Hieronymo circa a. 353 Romae insignis habebatur, et ante medium saeculum VI, quo tempore nostra commenti recensio orta esse videtur (Wessner praef. p. XLV). Puto autem eum non multo post Donatum laborasse, cum huius aemulatio, quam affectat, inter aequales aut suppares probabilior sit quam inter aetate nimis distantes.

Sed alia res est gravissima. Ex peculiari scholiorum condicione ad Phormionem II 3, ubi non omnia in unum congregata leguntur ut in reliquo commento, sed divisa in duos ordines inter se diversos, quorum prior scholia Donati et interpolatorum continet a vs. 7 ad finem scaenae vs. 93, alter alia eorundem a vs. 5 ad vs. 93, Wessnerus post Sabbadini (Stud. Ital. II p. 4 sq. 12 sq.) de commenti origine sic concludi posse suspicatur, praef. p. XLVI: „Genuinum Donati commentum in duorum excerptorum manus incidit, qui servato auctoris nomine (cf. praef. p. XXXVIII de schol. Victor.) scholia maximam partem plus minusve transformata in Terentianorum codicum margines transtulerunt. Procedente tempore evenit, ut variae adnotationes

diversae originis sive ab ipsis excerptoribus [1]) sive ab aliis adicerentur. Tum sexto saeculo nescio quis duo illa scholiorum corpora admodum aucta in unum cogere studuit atque rem ita instituit, ut primum singulos scholiorum ordines binis columnis iuxta positis ex codicibus transscriberet, deinde Terentianorum versuum ordinem secutus confunderet; id quod ei non semper contigit (cf. praef. p. XLVII infer.). Simul commissuras quam maxime occultare conatus est, ut unius et simplicis operis speciem efficeret; fortasse etiam alia nonnulla de suo addidit. Compilator vero „cum per quattuor [vel quinque, scilicet Andr. Eun. Heaut. Ad. Hec.; cf. supra § 5, 1] fabulas id egisset, ut duos commentarios in unum concinnaret et contaminaret, in Phormionis II 3 abiecta subito industria integros posuit, primum alterum a vs. 7 (nam huc usque contaminati sunt) ad vs. 93, deinde alterum a vs. 5 ad vs. 93; dehinc autem quae sequuntur scholia usque ad finem fabulae, ea ita comparata sunt, ut unum commentarium adhiberi intelligas. Quare certum est Phormionis commentum fuisse ultimum, ad quod cum pervenisset compilator, fastidio concepto destituerit quam usque dederat operam (Rabbow p. 331 cett.). Hinc igitur numerosissimae illae repetitiones, hinc saepenumero perturbatus scholiorum ordo, hinc porro mira illa ad Phorm. II 3 commenti forma, hinc denique rarescentia ad Phorm. III—V scholia!"

De postrema conclusione, quam Wessnerus protulit secundum Rabbovium hoc observo, diversam commenti formam inde a Phorm. II 3 etiam sic oriri potuisse, ut duo compilatores fuerint, quorum alter compilaverit commentum nostrum ab initio Andriae ad Phorm. II 3, ibi quacumque de causa subsistens, idque fecerit ex aliis fontibus, quam quos W. descripsit (duas editiones Terentianas scholiis munitas), alter vero postea ea ratione iisque ex fontibus quos indicavit W., commentum ad finem perduxerit. Sed aliud est, quod imprimis cognoscere nunc refert, hoc scilicet: Sintne in scholiis ad Phormionem II 3, quae adsignari Philosopho debeant et inveniaturne ea in uno tantum ordine an in utroque. Cum hac mente scholia lustrarem

1) Hinc igitur bis in commento laborarunt, antea cum transferrent, postea cum supplerent?

non pauca repperi in utraque serie, quae eundem auctorem proderent atque ea quae ex Andria referam nec minus ut illa Donatinis nonnumquam sunt affixa, quod ut appareat, haec quoque scholia in fine disquisitionis ordine proponam. Iam si Wessnerum audimus, excerptores illi genuinum Donatum transtulerunt, itaque philosophus sua additamenta postea demum in ipsis marginibus subiunxisset Donatinis. Sed hoc non unam ob causam parum verisimile est. Primum refragatur quod modo de aetate Philosophi suspicatus sum; deinde non intelligitur cur adnotationes suas non omnes in unius editionis margine appinxisset, sed partim in una editione partim in altera; tandem obstat scholion, quale legitur in serie *b* ad vs. 20 (Sabbad. p. 111) [1]). Hoc de philosopho. Fuerintne iam in commento, quod excerptores transferebant, aliorum quoque magistrorum adnotationes postea inquiram. Sed aliud est in quo magnopere haereo. Excerptores illi nimirum scholia in suam quisque editionem transferebant in utilitatem lectorum, unde consentaneum esset, utrumque excerpsisse optima et utilissima ac non raro eadem. Sed res aliter se habet. Uterque sedulo vitavit ea quae alteri placuerant, nam ordines numquam fere eadem exhibent [2]). Diceres eos operam praestitisse ex compacto, nisi haec coniectura nimis esset inepta. Duo illi ordines sese invicem explentes ita tantum explicari possunt, ut sumamus excerptorem aliquem ex commento in editionis marginem continua scriptura transportasse quae sibi maxime placerent et postea alterum, vel potius eundem, in eiusdem editionis marginibus vacuis reliqua quoque adiunxisse scriptura continua, sed inde a II 4 haec supplementa addere supersedisse taedio captum, unde factum, ut dehinc unus tantum scholiorum ordo legeretur. Si res ita accidit, compilator in describendis scholiis Phormionis (inde a II 3) unam modo editionem adhibuit, qualem dixi, et hoc veri similius est, quam ut putemus hominem, qui per IV vel V fabulas indefessam operam praestiterat, repente defecisse cum

1) Don. „in vita" explicuerat „in moribus". Phil. subiunxit: „utrum „in vita" in moribus, an „in vita" hoc est cum viveret?" Haec scholia procul dubio partes fuerunt unius scholii in commento, quas divellerunt demum excerptores. Cf. quae disputavi infra p. 227 ad I 1. 11.

2) Concinunt tantum in quatuor levissimis: 16 opera VII casus est; 25 male loqui pro maledicere; 26 Lucilius: carcer vix carcere dignus; 62 pro ob id.

ad carceres appropinquasset et ea quae in editionum marginibus praesto erant ad finem usque describere noluisse.

Hinc sequitur quid aestimem de reliquarum fabularum scholiis. Hic quoque credere nequeo duos excerptores ex composito operam sic divisisse, ut uterque e commento in suam editionem optima pessima, sed numquam eadem transportarent. Nec tamen ab altera parte contendo unum illum excerptorem, quem posui, ab Andria ad Phormionem in singulis fabulis prius temeraria adscripsisse excerpta primi ordinis, dein identidem intulisse supplementa; id nimis ineptum esset credere. Ut res nunc se habet, tutius videtur ex Phormionis scholiorum forma inde a II 3 nihil adhuc statuere de commenti origine in reliquis comoediis.

Ceterum nequaquam omnes adnotationes quae in commento ad Andriam philosopho adiudicandae videbuntur exhibui; harum enim magna pars etiam latet in iis scholiis, in quibus eaedem res verbis fere similibus bis ter quater tractantur. Haec scholia duplicia, triplicia, quadruplicia nonnumquam, quod ad originem et auctores attinet, omnium longe difficillima sunt, quocirca eorum indagatio post simpliciorum naturam et auctoritatem satis bene perspectam meliore eventu instituetur.

§ 1. Differentiae verborum.

Prol. 4. Verum aliter evenire multo intelligit.

Inepte adnotat philosophus: quod credimus plerumque falsum est, quod intelligimus certum est. (Iam Wessnerus haec inclinatis litteris expressit.)

Ibid. 8. Quam rem vitio dent.

Donatus: vituperent, culpent. Philosopho praeter textum scholion Donati hanc mirabilem differentiam suppeditavit: vituperare est mala, vitio dare etiam bona. (Wessner. ut supra.)

Scholii quadruplicis exemplum praebent, quae leguntur

Ibid. 12. Dissimili ratione sunt factae et stilo:

Proferuntur quattuor differentiae:

Oratio in sensu est, stilus in verbis.

Oratio ad res refertur, stilus ad verba.

Stilus non est in pectore sed in prolata oratione, oratio autem et in cogitatione et in prolatu.

Orationem in sententiis dicunt esse, stilum in verbis, argumentum in rebus. Ergo et poema oratio.

Prima et secunda ad Donati commentum referenda videntur. Tertia philosophi ingenio maxime respondet. Quarta a magistro quodam ex scholari doctrina addita videtur. Unde alius denuo magister conclusit: ergo et p. o.

I 1. 3. Curentur recte.

Don.: diligenter coquantur. Idem denuo V 4. 52 (3) „recte" interpretatur diligenter. Vide praeterea ad I 144. Sequitur Phil.: curatio proprie medicorum est, cura reliquorum; sed coquina medicinae adulatrix. (Cf. Platonis Gorg. 465 D sq. Wessn. haec iam dedit inclin. litt.)

Hoc praesertim philosophi proprium est, aberrare a textu rebusque propositis et undecunque insanientem sapientiam corradere.

4. „Efficere" facere est in opere esse, efficere autem perfectionem desiderat.

7. Donatus breviter: fide ad complenda, taciturnitate ad celanda mandata. Philosophus loquaciter: fides est commendatorum fida exsecutio vel observantia, taciturnitas vero observantiae genus, in silentio constituta et in celando secreta. Quaerit autem taciturnitatem ne prodat Pamphilo secretum, quod ei commendaturus est. (Cf. Don. ad Eun. III 2. 23.)

13. Don.: plus dixit „in memoria habeo", quam si dixisset „scio". Addit Phil.: nam quae scimus, possumus oblivisci, quae vero memoriae mandamus, numquam amittimus.

33. Don.: non dixit „laudabam", sed „gaudebam". Addit Ph.: laudat enim etiam alienus, gaudet qui pater est.

35. „Perferre ac pati". Phil.: ferre est cum certo tempore, perferre finem exspectat effectus. His magister alius addidit: feruntur onera et sustinentur supplicia.

47. Don.: „duriter" contra rationem regulae: „dure" ab eo quod est durus dicere debuit. Phil. ipse differentiae repertor hic exstitit, cum subiungeret: tamen est differentia: est enim duri-

ter sine sensu laboris, dure autem crudeliter: illud ad laborem hoc ad saevitiam relatum est. Dein alius magister haec addidit: Sed dure in alterum, duriter in nos aliquid facimus.

Scholii initium esse Donati, docet Servii Comm. in Don. G. L. IV 439: nam Terentius ait duriter, cum dure dicere debuit. Ceterum Gramm. Latini nullam de his vocibus praebent differentiam, sed citant duriter iuxta humaniter, ignaviter, largiter. Igitur philosophi doctrina propria fuit et sine auctoritate.

75. Don.: „despondi proprie". Addit Ph.: nam desponsa dicitur, quia spondet puellae pater, despondet adulescentis. Falsa differentia ab ipso inventa.

93. Don.: „modestus" ad probitatem vultus et morum pertinet, „venustus" ad naturam corporis. Ph. observat: atque adeo vultum sibi fingere multi possunt, formam nemo. Idem mox ad 96, Donatum inepte imitatus: „honesta" ad formam, „liberali" ad vultum rettulit.

I 2. 28. Don.: dare est quod repetas, dedere ad perpetuum. Ph. addit: et damus etiam amicis, dedimus tantum hostibus. Cf. I 1. 36 Don.: plus est dedere quam consentire, ubi Ph. addit: quemadmodum in hostium potestatem hostes se dedunt; et V 3. 26 Don.: bene „dedo", quasi hostilia et contraria volenti (scil. patri). Ubi Ph. pergit: „nam deditio in hoste fieri solet".

29. Don.: bene „lege atque omine", quia leges auspiciis servatis ferebantur. Ph. autem: „lege" ad homines, „omine" ad rem divinam refertur, id est firmamentum per humana et divina.

I 5. 22. Ineptum est, quod a quovis reprehendi potest, falsum est, quod etiam prudentem possit fallere. Haec quoque inepta et falsa differentia philosopho assignanda est [1]). Nec minus quae legitur in

II 1. 12. Oramus quae bona sunt, supplicamus in adversis malis vel cum lacrimis, nec non quae sequitur

1) Vid. Eun. I 2. 24 schol. Donati (1) et Philosophi (2).

34. Fit quod verum est, fingitur quod falsum est, invenitur, ne temere fiat. „Invenite" ergo cogitate dixit, post cogitationem „efficite" (scil. dixit), id est in effectum perducite. Sallustius (Catil. 1. 6); exemplum parum commodum.

Donatus apte haec tantum: „Facite, fingite, invenite" mire exprimit animum Pamphili nuptias metuentis, cui quicquid dixerit parum est. Cf. Don. ad Eun. V 8. 5.

II 5. 1. Phil.: Observatio duplex est, vel captationis vel obsequi.

Obversabatur ei quod Don. dederat ad I 1. 142: observatio in duabus rebus est in obsequio et in speculando.

III 2. 16. Veretur liber, metuit servus. Mirabile dictu vereri hoc ipso loco adhibetur de servo.

III 3. 2. Et „adierunt" non „accesserunt", quia aditus arduus difficilisque est. Don.: „adierunt" sic alibi „adeon ad eum" (vs. 315). Cf. Phil. ad Eun. II 2. 28. 3.

III 4. 20. Plus est nullum esse quam perisse; nam qui perit vel corpus habet reliquum, qui vero nullus est, ita non est, ac si non natus sit.

IV 1. 9. Post Donatum sic pergit: Et melius „timent", quam si diceret „pudet eos"; nam timor etiam malorum, pudor tantum bonorum. Atqui mox de iisdem hominibus adhibetur pudet, vs. 13.

15. Don.: expostulatio est adversus eum, quem incusamus, quod Ph. sic illustrat: nam expostulare est querellam dicere de altero apud alterum.

IV 3. 20. Tu ut subservias orationi, utcumque opus sit, verbis.

Don.: recte „ut subservias" dicit, non enim tantum loquetur Mysis quantum Davus.

Phil.: „orationi" meae, tuis „verbis"; plura enim loquetur Davus, inde „orationi" dixit, illa subsequetur, ideo „verbis".

Donati adnotationem insulsa distinctione amplificat.

V 3. 20. Et „inventi" non „geniti", secundum illud: „hoc ergo scio, neminem peperisse hic" (vs. 506). Non raro doctri-

nam suam munivit exemplis, sed plerumque falsis, ut h. l., ubi „inventi" subiecta habet „domus, uxor, liberi."

4. 36. „Gaudemus nostris, gratulamur alienis, ut Sallustius: „ei voce magna vehementer gratulabantur (fr. Hist.)". Differentia inepte illata, nam in textu legitur tantum „gaudeo" proprio sensu; porro exemplum nihil probat; denique Ph. gaudeo h. l. pro gratulari sumpsit perperam, ut apparet ex eius scholio quod sequitur (5): incertum utrum qui gratulatur Simo sit, quamvis Pamphilus respondeat: potest enim pater et Chremes videri. Quam totum hoc falsum sit, nemo non videt. Ad vs. 43 idem repetit: supra adnotavimus: nostris gaudere, alienis gratulari. Sallustius etc. Ampliavit hoc alius magister addendo: plus est ergo gaudere quam „laetari".

Differentiarum agmen claudat insigne exemplum philosophantis magistri. Ad verba Charini:

V 5. 3. Ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriae sint,

adnotavit haec:

Omne quod habemus aut mutuum est aut proprium. Mutuum est, quicquid ad tempus habemus nec postmodum nostrum futurum sit, ut villa, domus, uxor, filii et cetera in hunc modum, proprium, ut virtus animi, est bonum sempiternum, quod proprie de diis dicitur, non enim aliunde venerunt, sed apud se ipsos sunt semper. Et Epicurum secutus hoc dixit. Proprie ergo de diis „sempiternum" dixit, nam inter sempiternum et perpetuum hoc interest, quod sempiternum ad deos, perpetuum proprie ad homines pertinet.

Similia iam dederat ad IV 3. 1 ubi Mysis:

Nilne esse proprium quoiquam!

Omne quod habemus aut mutuum est aut proprium, ergo „proprium" perpetuum [1]), ut „propria haec si dona fuissent" (Verg. VI 871). Ergo nihil nobis proprium esse potest — quod enim non fuit, ne esse quidem potest, aut quod eripi potest, non est nostrum — nisi illa quae eripi non possunt, ut sa-

1) Wessn. haec tria verba alii magistro dedit, minus recte, ut opinor.

pientia, iustitia, prudentia, quae fortuna neque dare neque eripere cuiquam potest.

Utrobique autem philosophi contemplatio pendet ex simplicissimis Donati notis, qui ad V 5. 3 et 4 („Ego deorum vitam sqq.") haec dedit: non dixit quod sit, sed quod verum putet et est dogma Epicureum, quod a ceteris philosophis repudiatur, de otio deorum ac perenni voluptate. Dein (ad v. „propriae sunt"): perpetuae, sempiternae, quae non sint accommodatae ad tempus ac mutuae. Sic et supra „nihilne esse „proprium cuiquam." Idemque ad IV 3. 1: „Proprium" perpetuum, non temporale ac mutuum. Donatus inter perpetuum et sempiternum non distinxit.

Neminem fugit has differentias omnes esse ficticias, et argumenta atque exempla quibus fulciuntur, vana et inepta. Stilus hominis, quamquam affectat structurae elegantiam et aliquam orationis copiam, peccat inani prolixitate et sententiarum obscuritate, veluti in his: „fida exsecutio vel observantia", „in silentio constituta et in celando secreta" (I 1. 4), „finem exspectat effectus" (35), „sine sensu laboris ... crudeliter ... illud ad laborem, hoc ad saevitiam" (47), „id est firmamentum per humana et divina" (I 2. 29), „querellam apud ipsum deponere" seqq. (IV 1. 15), „non enim aliunde venerunt" seqq. (V 5. 3), „quod enim non fuit" seqq. (IV 3. 1).

Pleraeque differentiae scholiis Donati adiunctae sunt, pauciores libere interpositae. Quaedam aliorum magistrorum observatiunculis ansam dederunt.

§ 2. Definitiones verborum.

Transeo ad scholia philosophi, quae vocabulorum definitiones et nonnumquam derivationes continent. In his peculiare hominis ingenium non minus facile agnoscitur quam in differentiis.

Prol. 7. Qui malevoli veteris poetae maledictis respondeat. Vetus plerumque refertur ad laudem, interdum ad vituperationem.

Haec Donati esse ostendit scholion ad Eun. IV 4. 21 (4).

Philosopho mecum tribues hoc: „Veteris" pro cariosi et

rancidi posuit, atque ideo malevoli. Et ad Eun. l.l. hoc (7): senex utrum senex an quia ita videtur ob deformitatem?

8. Animum attendite (v. l. advertite)

Don.: legitur et „attendite". (Cf. Eun. prol. 44: nos ἐλλειπτικῶς dicimus <„advertite" ut> „attendite", veteres plene „animum advertite".) Addit ille: unde(!) manifestum est et attendite et advertite non esse plenum, nisi addideris animum.

Hausit hac ex scholio Donati ad Eunuchum.

16. Contaminari non decere fabulas

(1) „Contaminare" proprie est manibus luto plenis aliquid attingere et polluere. Vergilius: linqui pollutum hospitium (Aen. III. 61).

(3) „Contaminari" tangi [et relinqui] polluta manu ac per hoc foedari aut maculari, ut ipse ait: ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua. (Cf. Eun. III 5. 4).

Illud Donato hoc propter formam prolixiorem philosopho dederim. Ex exemplo Vergiliano Donati in (3) irrepsisse videtur emblema „et relinqui".

I 1. 12. Simo: Quod habui summum pretium, persolvi tibi. Phil.: quia „pretium" dixerat, „persolvi" dixit proprie.

18. Don.: „uno verbo" uno ἀξιώματε, una sententia. Phil. ita pergit: nam ἀξίωμα sententia est vel enuntiatio uno verbo nexam continens et perfectam intelligentiam; ἀξίωμα enim constat ex nomine et verbo. Cf. ad I 5. 5 et ad Eunuchum I 2. 95, ubi haec leguntur:

(1) „Istuc verbum" pro tota sententia.

(2) „Verbum" pro dicto. Sed proprie ἀξίωμα id est sententia vel enuntiatio, quae uno stringitur et ligatur verbo, „verbum" a veteribus dicebatur.

Et ibid. 98 „istuc verbum" (vs. 95) et „uno verbo" (vs. 98), ut diximus, sic accipe, ut „verbum" dictum intellegas, quod verbo complectitur completae sententiae pronuntiationem, quod ἀξίωμα nominabatur.

Ex hac postrema axiomatis definitione Donati, quae planis verbis enuntiata est, fluxerunt definitiones perplexae philosophi cum ad Andriam, tum ad Eunuchum (2).

22. Don.: „pacto" modo. Phil.: hoc ita explicat: quoniam antecedit pactum, sequitur modus: ergo ab eo quod sequitur, id quod praecedit.

Hanc regulam ei in deliciis fuisse docent haec eius scholia: ad III 2. 22: „dicas" pro credas, non enim dicimus nisi quod credimus: ab eo quod sequitur, id quod praecedit. Idem ad Eun. IV 6. 24: ab eo quod praecedit („prospicere") id quod sequitur („cavere"); ibid. IV 7. 10. Don.: „servat" pro remanet et observat. Ille: vel pro sedet et servat: ab eo quod sequitur id quod praecedit: nam non servat nisi qui prius in eodem loco sederit.

Usurpaveritne hoc Donatus nondum cognovi.

46. Don.: bene „apportet". Ph.: quia apportare ignotis est.

56. Don.: „Habet" sic dicitur de eo qui letaliter vulneratus est, Vergilius (Aen. XII 296). Phil.: proprie de gladiatoribus dicitur „habet", quia prius alii vident, quam ipsi sentiant se esse percussos. Notandum est hoc non coniunctum esse cum scholio ipsius Donati, quod citavi, sed excerptoris alicuius Donati, ut videtur.

66. Don.: „Conflictatur" id est atteritur. Ph.: conflictatio est tactus invicem corporis et collisus.

80. Don.: Sic „una aderat frequens", ut supra „cum quibus erat cumque una". Phil: possumus enim et adesse et frequentes non esse, si praesentes non adhaereamus his, quibus adsumus.

84. Don.: „Familiariter <fert>" quasi familiaris. Phil.: „familiariter" id est graviter, nam quae nobis sunt familiaria, gravia sunt animo nostro.

90. „Efferre" Graecum est, quod vitans Vergilius, ne diceret „efferunt", „exportant (scil. apes) tectis, inquit, corpora luce carentum" (Georg. IV 255).

100. „Et bene „funus procedit, nos sequimur" dixit quasi „post ipsum morituri". Haec allegorica comici sermonis interpretatio omne tulit punctum.

101. „Sepulcrum κατ' ἀντίφρασιν dicimus, quod sine pul-„chra re sit". Sic Donatus secundum Varronem (C. Gloss. V 481. Charis. I 73), cui suum etymon opponit philosophus per interrogationem, ut saepe: „An quod ibi sine pulsu sint, id est mortui?" Quod dein sequitur: „an quod illuc animae a vivis sepelantur, id est separentur?" sitne eiusdem an alius magistri non discerno.

102. Don.: bene hic impersonaliter „fletur": ab omnibus. Ille subiungit: extrema enim quaeque mortuorum omnes commovent ad lacrimas.

105. Ad verba „bene dissimulatum", Don.: „bene" multum. Ille pergit ex interpretatione prorsus falsa: an quasi dolens, quia etiam negaturus sit Chremeti, dixit „bene"?

119. Quomodo „sedulo", si negabat? an „sedulo" ... id est simpliciter?

120. Quid „denique"? Ad summam properat et ad finem dictorum. Don.: „denique" i. e. postremo.

137. Ad verba „mala mens malus animus". Don.: „animus" voluntas est. Addit alter: „mens" etiam ratio.

I 2. 4. Quid sit „eri semper lenitas" Don. bene indicavit loco Lucretii I 125 „semper florentis Homeri". Phil. putat talem lenitatem simulatam esse debere, quod sic expressit: ac per hoc (i. e. propter τὸ semper?) simulata usque nunc lenitas; nam nemo in diversis actibus semper lenis est nisi forte fictus adsimilator et callidus.

I 4. 2. Don.: „sane" multum, valide. Pergit ille: namque validus est, qui multum rerum necessariarum habet ad salutem. Non poetam, sed Donatum explicat, ut I 1. 22. Cf. I 2. 24 et V 2. 7: „sane" valide, quia „qui sanus, et validus est".

II 2. 14 et 15.

PAMPH.: quam primum hoc me libera miserum metu. DAV. Em, libero: uxorem tibi non dat iam Chremes.

Scholiasta ad 14: bene „libera": perfecta enim securitas liberatio nominatur. Ad 15: bene „iam", quod si non dixisset,

intelligeret Pamphilus vel postea Chremetem filiam esse daturum; sed addito „iam" plena securitas est, iam enim renuntiatio est perpetuitatis.

Haec omnia propter res et dicendi rationem Philosopho tribuenda esse videntur, qui identidem particulae iam peculiarem vim adsignavit. Sic ad III 5. 11 „iam expediam" adnotat: duo promisit simul: et tempus cum celeritate et effectum. IV 2. 1 „iam ubi ubi erit" cett., hoc adscribit: non solum se adducturum promisit, sed et tempus addidit. V 4. 19 „iam sciri potest" addidit et temporis celeritatem et magna maturitate dixit. Ibid. 50 „Davo istuc dedam iam negoti": addidit et temporis celeritatem. II 3. 8 „Cito": Donatus adnotat: „illo admirante hic (Davus) etiam confirmavit", quibus Phil. adnectit: addidit etiam tempus celeritatis.

Nostro loco particulae significationem dedit „perpetuitatis" prorsus insolitam. Donatus de significatione particula tritissimae in Andria, quantum vidi, siluit, nec non in Eunucho, ubi scholia III 2. 39: „τὸ iam increpatio morae est" et IV 5. 8: „quia „iamdudum" infinitae mora est, addit „aetatem", ut ostenderet multum abiise temporis, ut factus est," etiam ad philosophum referenda esse docent Donati scholia iuxta posita.

Quod II 2. 14 ad verba „obsecro te quam primum" cett. adnotatur: „cum precibus et tempus admiscuit" eiusdem notae est et originis.

16. De significatione verbi aio hoc finxit: ait proprie, quia contemnenda dicuntur. Cf. Eun. I 2. 59, unde hoc fortasse sumptum est.

II 4. 7. Don. „commutaturum verbum" recte interpretatur „altercaturum" addito exemplo Phorm. IV 3. 33. Phil. suam opinionem diserte sic opponit: „Ego puto „commutare verba" esse pro bonis dictis mala ingerere, hoc est iracundia in maledicta compelli", quod falsum. Ceterum usum pronominis ego (nec magis at mihi sim.) non certum indicium esse scholii genuini aut spurii docent loci ubi ipsum Donatum habemus sic loquentem: III 2. 1 (4) „quod ego non probo", et in Eunucho IV 4. 22 „at ego", ibid. 7. 16 (2) „ego ... puto"; contra philosophum in Eun. V 1. 7 „sed ego agnosco".

II 5. 1. Ad Byrriae verba:

Erus me relictis rebus iussit Pamphilum observare

Phil. doctrinam sic ostentat falsisque exemplis exornat: Imponitur manus rebus, cum perficitur id quod coeperit, ut Verg. „imponit regina manum" (VII 573); relinquuntur vero res, cum imperfectae relinquuntur, ut Verg. „atque opere in medio defixa relinquit aratra" (Georg. III 519).

Ibid. 12. Valde suspectum est hoc: Cadere spe dicuntur, qui levati a summo ad inferiora labuntur.

II 6. 5. Don.: εἰρωνικῶς „virum" dixit defessum senem. Phil. id sic explevit: vir enim modo ad vituperationem cum ironia, modo ad laudem sumitur sine ironia. Incredibili confidentia identidem talia ex tempore fingit et h. l. imitari videtur quae dedit Donatus ad Eun. II 3. 16 et IV 3. 18.

III 1. 2. Don.: „Ferme" pro facile posuit. Phil.: et ferme facilitatem significat, quia sunt adverbia aestimationis.

11. Et bene „adeo", quia iam demens est, quod amat.

21. Don.: „Adortus" aggressus. Phil.: „adortus" dicitur, qui ex insidiis repente invadit: dictum ab eo, quod corpora aggredientium exsurgant subito atque increscant. Rerum causas reddendi furore laborat.

III 2. 1: Sic veteres scribebant „adhuc", quando incerti futurarum rerum ex praesentibus firmum intimabant, quod est genus cautissimae promissionis et certae.

III 3. 40. „Don.: „Quid istic?" concedentis et veluti victi verbum, tamquam si diceret „quid?". Phil.: vel potius „quid istic?" significat hominem de loco ac sententia secedere, ut e contrario perstare ac resistere dicitur, qui aliquid negat.

„Vel potius" ut in eiusdem scholio IV 2. 13.

III 4. 21. Bene „proficiscar": proficisci enim in rem aegram et difficilem dicimus.

III 5. 3. Non „commendasse", sed „commisisse": committimus enim, quae magno cum periculo volumus esse servata.

IV 1. 32. „Apparari" cum dativo casu iunctum semper cladem et perniciem significat, ut „mihi sacra parari" (Verg. Aen. II 132). Ecce scholion ad illustrandum hunc versum: „Haec nuptiae non adparabantur mihi". Repetitur ad IV 2. 7.

43. Semper τὸ „dic mihi" iniuriosum est, ut ille: „dic mihi Damoeta, cuium pecus?" (Ecl. III 1).

IV 2. 24. Ad verba: „hinc vos amolimini, nam mi impedimento estis", Don.: amoliri dicuntur ea quae cum magna difficultate et molimine submoventur et tolluntur e medio. Phil.: molestum impedimentum ex rei magnitudine iacentis in medio, et ideo impedientibus se „amolimini" dicit, non abite.

V 2. 1: Animo nunc iam otioso esse impero. Don.: „otioso" securo. Phil. addit: quia negotium sollicitudo est.

Ibid. Don.: „impero" pro volo. Phil.: An ut statim fiat tanquam illud quod imperatur? Et „impero" superbe dixit: summum enim indicium securitatis est superbia.

15. Videtur esse quantivis pretii,
Don.: ad magnitudinem refertur „quantivis", <non> ad parvitatem pretii. Phil.: sed interest inter quivis et quantivis, nam alterum contemptionis est, alterum laudis.

V 3. 6. „Num facti piget" philosophus dictum esse putat: quia „praedicant" dicit, non „dicunt"! Legitur nempe vs. 5 hoc:

Ain tandem, civis Glyceriumst? PA. Ita praedicant.

25. „Peccare" secundum Phil. h. l. dicitur: quia amor deus est, non voluntas. Cf. Donati scholion (3).

§ 3. Interpretatio sententiarum.

In sententiarum interpretatione eadem vitia aliaque insuper auctorem nostrum coarguunt: sermo prolixus et fucatus, argutiae cuiuscumque generis, impudens audacia in excogitandis et promendis argumentis ineptissimis et in exemplorum usu quae nullius momenti et saepe perperam adhibita sunt. His subsidiis

Donati interpretationes sanas et utiles interpolat, corrigit, evertit, dum totum commentum philosophematis suis onerat et depravat.

Prol. 22. Dehinc ut quiescant porro moneo.

Don.: moneo terribiliter dixit. Cicero in Verrem: moneo, praedico, ante denuntio (I 1. 36). Quae autem sequuntur: „liberatus culpa etiam terret alibi criminaturus adversarios", haec haud scio an Donato dari etiam possint pro supplemento praecedentis scholii.

I 1. 3. „Ars" ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta est per συγκοπήν.

Sic Donatus docebat, teste Servio in arte Don. IV 405, Isidoro Orig. I 1. Philosophus hoc ita explet: ἀρετή autem virtus est; virtutis vero quattuor generales sunt species: prudentia iustitia patientia fortitudo; sed prudentia in multis rebus descendit.

Idem ad vs. 6 haec adnotat: ipse hic signatissime ostendit multas variasque artes esse, id est ἀρετὰς, quae virtutes intelliguntur.

10. Dulcem libertatem fecit operatione et tractatione verborum dicendo: „ex servo libertum"; non enim tantam haberet gratiam, si dixisset „feci libertus ut esses", sed „ex servo ut esses libertus", ac si quis dicat „feci ut esses sanus", non tantam haberet gratiam, quam si dicat „feci ut ex aegro sanus esses".

Paulo post sequitur: aut ideo „mihi" additum, quia libertus ad aliquid dicitur. Sitne hoc nostro an alii magistro tribuendum, non discerno. Simile legitur ad III 1. 18: nomen est ad aliquid discipulus, ut magister. De hoc dogmate confer Priscianum I 60, II 218: ad aliquid dictum est, quod sine intellectu illius, ad quod dictum est, proferri non potest, ut filius, servus, e. q. s.

Propterea quod servibas liberaliter

(1) „Liberaliter" bene, quia omne bonum libero aptum est, malum servo. Idem alibi (Ad. IV 5. 28—30): factum est a nobis .... inliberaliter". (2) Et bene admonuit, cur dederit beneficium, eadem et nunc officia

quaesiturus. Non enim dixit „artificiose", quia supra (vs. 5) ait „nihil istac opus est arte". (3) „Quod serviebas" bene imperfecto tempore, non perfecto, ut ostendat [1]) potuisse eum etiam atque etiam servire, quale est illud Vergilianum (Aen. VI 113): atque omnis p. m. c. f. i., ut ostendat [1]) eum, quamvis invalidus esset, tamen adhuc potuisse laborem exitiumque ferre.

Ecce tria scholia quorum eae partes, quas laxatis litteris exprimendas curavi, Donato dandae sunt, reliqua omnia Philosophi cerebro debentur.

Scholiorum ordo frequenter is est, ut in mediis Donatianis legantur interpolata philosophi vel aliorum [2]). Hinc quaestio oritur utrum compilator nostri commenti ea interposuerit per errorem, an hunc ordinem in exemplari iam invenerit. Locus, quem supra descripsi, ostendit compilatorem interpolationes philosophi iam firmiter ita insertas invenisse, uti hodie leguntur. Adhibuit igitur exemplar commenti a philosopho interpolati. Confirmant hoc loci permulti supra tractati et mox tractandi, in quibus Phil. per varias coniunctiones (et, sed, nam, enim simul, al.) suas notas Donatianis subiunxit.

13. Ad Simonis verba: „haud muto factum" post notam Donati (2) hoc legimus: An secundum ius, quod adversum libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur? Sed hoc non convenit senem dicere. Deprehendimus Philosophum, qui adamat huiusmodi interrogationes cum vel sine responsione [3]). Refutat autem explicationem, quae invenitur apud Eugraphium: Mihi videtur iuris rationem respicere, ingratus enim libertus a patrono revocari in servitutem potest.

Ecce nova questio, quae ratio intercedat inter Eugraphium et philosophum reliquosque interpolatores, nec non inter illum et Donatum, quocum aliquoties convenit.

---

1) Ostendit, ut ostendat, sim. identidem Phil. adhibuit, nec tamen inde ille agnosci potest, nam hoc quoque sumpsit a Donato in cuius scholiis frequens est hoc verbum.

2) Cf. Sabbadini Stud. Ital. III 342 sq.

3) De hoc scholiorum genere vide infra.

14. Et fecisse se et adhuc facere ostendit, quamvis manu emissus sit. Adnotatio nimis otiosa.

19. „Ita faciam" hoc est, uno verbo dicam. Sic Donatus. Phil. hoc sic ampliavit: et quod verbum promisit? <illud>, ubi dicit „nunc tuum est officium" e. q. s. (vs. 141).

24. Donatus: necessario positum „is" pronomen, ἀναφορᾷ ad illud „gnati vitam". Pergit alter: nam si non posuisset hoc pronomen, Sosia erat intelligendus. (!)

33, 34. De verbis Sosiae ad Simonem:

Non iniuria: nam id arbitror adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis

Phil. observat: intempestive Sosiae respondet, sed prudentia tantae sententiae (n. q. n.) compensavit importunitatem.

Huiusmodi reprehensionem respexit Eugraphius: Quidam arguunt Terentium, quod istam sententiam dixerit servus, quam sapientum summus ex septem protulisse dicitur e. q. s.

Donatus (2): sententia non incongrua servo, quia et pervulgata <est> et non refertur ad personam domini dicentis (i. e. non ad Simonem, sed ad filium). Dein philosophus pergere videtur per interrogationem contra Donatum: Sed de quo dicitur? [1]) an magis quia convenit Sosiae cor (i. e. audacia) eiusmodi, χαρακτήρ in verbis est?

Usurpat ille nonnumquam verba Graeca male intellecta. De characteribus cf. Gloss. V 175. 13. Sabbadini l.l. p. 339.

Eugraphius cum Donato fere: Fieri potest, ut ista sententia a sapiente dicta percrebuerit et omnium in ore versetur.

41. Obsequium amicos veritas odium parit

Phil.: Huius versus pars (l.l. per) improbior est „veritas odium parit". Falsum est autem, quod Cicero putat (Lael. 89) „obsequium" primo dixisse Terentium cum et Plautus et Naevius ante dixerint.

Hanc culpam Ciceroni stulte imputavit ex eius verbis male intellectis: „In obsequio autem, quoniam Terentiano verbo libenter utimur". Ceterum locum Tullii debebat Donato, ut ap-

1) Hoc modo codicum lectio servari posse videtur. Cf. Wessner.

paret e scholio sequenti (2): Sententia παράδοξος et magis theatro apta quam officio, de qua Tullius multa dixit. Scholion (3): „ἀμφίβολος sententia et probabilis magis quam necessaria aut honesta", auctorem habere debebit ab utroque diversum, quod ideo moneo, quia reliqui magistri raro observationibus ethicis operam dederunt.

Sed quid faciendum est scholio quod de eadem re legitur ad vs. 40? „Improbatur a sapientibus haec sententia, nam obsequium adsentator debet, amicus veritatem; sed in theatro dicitur, non in schola"?

Convenit fere cum scholio, quod Donato adsignavi (2). Estne huius ampliatio ab alio denuo magistro? Locum agitasse interpretes demonstrat adnotatio Eugraphii ab illis denuo diversa: „hoc tempore" (vs. 40) mihi videtur ad omnia tempora spectandum; nusquam enim non valet ista sententia. Vide etiam Donatum opportuna philosophantem de hoc adagio ad Eun. II 2. 20.

42. „Mulier quaedam" sic dixit ⟨non⟩ quasi ignoraret nomen eius paulo post Chrysidem nominaturus, sed ideo, ut gratam exspectationem faciat simulque avidum lectorem nominis audiendi reddat, ut Vergilius paulo post nominaturus ait „ecce manus iuvenum interea" e. q. s. (Aen. II 57).

Ut philosopho hoc adscribam facit illa grata (cf. supra ad 10) exspectatio et aviditas lectoris, et quod Vergilius Simonem statim nominare omnino non potuit.

58. Andriae illi id erat nomen

Donatus scite: attico more peregrinis meretricibus a patria nomen imponit. Cf. idem ad III 1. 11 (3). Philosophum esse credo, qui speciose sic pergit: et simul celebrat nomen comoediae dicendo (vs. 43!) „ex Andro commigravit" et nunc „Andriae illi id erat nomen".

63. Ad Simonis verba: „Gaudebam .... comperiebam nil ad Pamphilum quicquam pertinere (scil. meretricem)", Donatus egregio animi candore nihil adnotavit nisi hoc: vide, si non patris verba sunt. Phil. corrupit et horum verborum candorem et loci sententiam addens: et de rebus veneriis circa filii mentionem agentis.

75. „Placuit" συντομία. Sic Donatus. Quae adduntur: adeo bona condicio fuit, ut quamvis ultro obiceretur, tamen statim placeret — non explicant συντομίαν, nec veram causam continere videntur cur propositio Chremetis Simoni placuerit.

83. Parvae consuetudinis causa
Donatus: hoc est convivii tantum. Phil. otiose adiungit: et quia dixerat puer, hoc solum egisse Pamphilum nihil aliud: „symbolam dedit, cenavit" (vs. 61).

86. Haec ego putabam esse sqq.
Adnotatur: cum adhuc nihil peccationis ostenderit, tamen dolor in futura prorumpit, ut „gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat" (Aen. II 344). Quid haec adnotatio et exemplum Vergilianum commune habeat cum verbis Simonis, alius viderit.

105. Ibi tum exanimatus Pamphilus
Don.: bene dissimulatum amorem et celatum indicat: adcurrit, mediam mulierem complectitur.

Phil.: omnia significanter: non „ostendit", inquit, sed „iudicat", non „accedit" sed „accurrit", non „vestem aut manus" sed „mediam mulierem", non „tenet" sed „complectitur".

Amat antitheses cum alias tum praesertim per sed ... non, quas infra recensebo.

107. Mea Glycerium, inquit, quid agis? Cur te is perditum?
Phil.: „mea" quasi amator, [hoc] „Glycerium" quasi familiaris dixit, „quid agis" quasi perturbatus, „cur te is perditum" quasi consolatus.

Ecce nova quaesitarum et inanium oppositionum species per particulam quasi quater repetitam.

117. Chremes indignatus iis quae Pamphilus egit in sepultura Chrysidis adit Simonem, recusaturus filiam.

Adnotat ille: Ergo hic causa iusti doloris (Simonis) ostenditur, quando dolet etiam Chremes; nam potuit non daturus filiam non venire. Dolor Simonis nequaquam pendet e dolore Chremetis. Et quomodo ille cognosceret filiam Chremetis non datum iri, nisi hic venisset id dicturus?

118. Ad verbum „comperisse" adnotat: ergo ab aliis (sane! nam Chremes sepulturae non interfuit), ut appareat eversum, quod ait „tum uno ore omnes" (69) et „hac fama impulsus Chremes" (72).

Quid sit „eversum" non intelligo. Legendumne „esse verum"? Tum adnotatio non quidem falsa est, sed tamen otiosa.

121 (3). Nonne sic legendum: adhuc superest ut ostendat, quam non sit irascendum <sibi> quin iuste irascatur?

125. Prope adest, cum alieno more vivendumst mihi

Donatus simpliciter: prope adsunt nuptiae. Philosophi ampliatio esse videtur quod sequitur: id est in proximo sunt metae libertatis et ideo avidius voluptuaria sub fine carpenda sunt.

135. Non enim, inquit, prodest filio amare meretricem.

Adnotatio prorsus fatua.

137. Mala mens, malus animus.

Don.: argumentum a natura. Addit ille: et an aliquis <sit> sine causa malus an ab impulsione.

I 2. 14. Meum gnatum rumor est amare

Graviter constanterque senex nondum se fatetur credere (scil. quia dixit „rumor est") nec verum scire, ne amittat vim vindicaturi, si rescierit. Adnotatio a veritate prorsus aliena.

23. Davus sum non Oedipus

Don.: facete se negavit Oedipum, ut senem Sphinga esse confirmet. Phil.: Multiplex contumelia: potest enim senem quasi Sphingam dixisse, id est deformem monstrique similem; potest etiam inhumanum et ferum, ut Sphinx; potest etiam per Oedipodem se ultorem promittere futurum atque oppressorem sapientiae senis.

Et forma, triplex potest, et totius loci vaniloquentia coarguit philosophum auctorem.

I 3. 6. „Difficile est", non dixit „impossibile est", ergo ostendit partem se sequi, quae pro Pamphilo est. Ineptum.

I 5. 13. Acta [1]) ac transacta.

Don.: proverbiale est in id negotii, de quo nihil supersit ad agendum. Phil.: „facta" a Pamphilo, „transacta" a Chreme.

Distinctio falsa.

15. Aliquid monstri alunt

Duplex contumelia est [2]) et „monstri" et „aliquid"; minus enim esset „aliquod monstrum". Sic alibi „quid hominis uxorem habes?" (Hec. IV 4. 21).

Codd. h. l. omnes „hominis" pro „mulieris", per librarii errorem, opinor. Nam idem ille ad Hecyrae locum hoc dedit: „Quid mulieris" dixit, ne diceret, „qualem mulierem" aut aliquid gravius. Ibidem Donatus: Totum percunctative potius quam pronuntiaret et diceret: „Pessimam mulierem et male moratam uxorem habes", et reprehensio est cum contemptu, sic et „quid hominis?"

44. Adeon porro ingratum aut inhumanum aut ferum,
Ut neque me consuetudo neque amor neque pudor
Commoveat

Don.: „consuetudo" adversus feritatem, „amor" adversus inhumanitatem, „pudor" adversus ingratum animum. Ille philosophice: non ordinem reddidit, „ferum" enim reddidit ad consuetudinem (codd. mansuet.), qua etiam ferae mansuescunt; „neque amor" ad illud „inhumanum": amor namque vehementior est in homines, Vergilius: „quid iuvenis, magnum cui versat in ossibus ignem durus amor?" (Georg. III 258); „pudorem" ad „ingratum" rettulit.

46. Ut memor esses sui

De imperfecto „esses" Donatus scite: invidiose quasi oblito: adeo commovetur hoc dicto Pamphilus. Alter: bene praeterito effert, quoniam quae praeterita sunt, in recordatione magis lacrimabilia et miserabilia sunt, ut Vergilius: „cui parvus Iulus, cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor?" (II 677); idem alibi: „per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat" (IX 300).

---

1) Sic Don. legisse videtur.

2) Cf. supra I 2. 23.

Ineptam distinctionem studiose exemplis munivit, et confer quae dixit de imperfecto ad I 1.11. Ceterum antea quoque pathetice disputantem audivimus de verborum significatione, e. g. ad 1.84 „familiariter", I 100 „nos sequimur", II 4.7 „commutare verba" IV 1.32 „apparare".

47. O Mysis Mysis!

Primum vocandi, alterum increpandi est. Immo utrumque exprobantis est. Distinctio falsa denuo ut ad vs. 13.

49. Iam ferme moriens me vocat

Don.: ex tempore probavit locutam vera esse. Phil. sic perrexit: et non ficta et simulata, nam [1]) qui sani sunt, spe longioris vitae adulantur.

51. Bene Donatus: vide redditam voci morientis densis intervallis intersumptam orationem utpote lasso anhelitu interveniente. Hinc alter haec finxit: amat compendium lassitudo: „formam" enim dicendo pulchritudinem significat, „aetatem" quod parva.

56. Ad „fidem" ne segreges rettulit, ad „solitudinem" neu deseras. Et mox (5 et 6) „Hanc segreges" propter formam et aetatem — „neu deseras" propter amorem.

Antitheses et distinctiones falsae.

60. Amicum, tutorem, patrem

Potest enim (cf. I 2.23) et maritus esse et non amicus: sed ‹ad› affectum mariti rettulit „amicum".

Ibid. (4). „Virum" ne segreges, „amicum" ne deseras ‹ad illud quod ait „ad rem tutandam" (53) „tutorem"› [2]) et ‹ad› illud quod ait „et ad pudicitiam" (53) „patrem".

Haec omnia aeque inepta sunt.

II 1.15. „Quidni? si nihil impetres?" recte per ironiam dictum esse ait Donatus. Philosophus hoc ita explicat: „nihil" ironia videtur dictum: „quidni? si nihil petas (sic)?" Quoniam petitionem saepe impetratio sequitur.

De „sequitur" cf. supra ad I 1.22.

---

1) Longa series est additamentorum per *nam*, *enim*, quae lector facile deprehendet

2) Sic recte explevit Wessn. cum Rabbow.

18. Donatus: non imperite Pamphilum priorem loqui fecit, sed ut fiduciam det Charino loquendi, quod et Vergilius eleganter (Aen. I 321). Philosophus eum sic imitatur: ad hoc prior incipit Pamphilus, ut ad confessionem Charini non nimis clausa sit via.

20. Similem paraphrasin habemus h. l., cum enim Don. adnotasset: „neque pol consili locum habeo" quia amo, „neque auxili copiam", quia sum miser, — alter ille: <neque consili locus> apud amantem neque auxili facultas apud inopem.

22. Si id facis, hodie postremum me vides

Donatus: nihil prius (i. e. potius) quam moriturum dixit pudenda dicturus. Inde datum est, ut ille instantius quaereret causam.

Respondet nempe Pamphilus: quid ita?

Phil. hoc inepte auget scribens: plus dixit, quam si moriturum dixisset.

24. Sponsam hic tuam amat

Phil.: Callide et „sponsam" et „amat", hoc est: neque adhuc uxor tua est neque aliquid admisit, qui amat tantum. Putide et argute.

37. Fugin hinc? Ego vero ac lubens

Adnotatio philosophum redolet: nemo liber fugit nisi necessitate coactus, hic (Byrria) etiam „libens" dixit, quod est libenter.

II 2. 10. Char. Interii. Pamph. [1]) Mea quidem hercle certe in dubio est vita

Donatus: bene „certe", quasi illud „interii" falsum sit. Ita Pamphilus plus fecit periturum se esse dicendo quam Charinus interiisse.

Philosophus impugnat: certa sententia est: videtur Charinus plus dixisse „interii", quam Pamphilus „mea quidem" etc. Sed non est hoc; plus enim Pamphilus dixit, nam qui vivit, non potest interisse, is autem qui vivit, potest in dubio vitam

1) Sic haec dividebant scholiastae, perperam.

habere; ideo et iuravit „hercle" et adfirmans iusiurandum „certe" addidit.

Ratiocinatio pro se loquitur. Cf. 22 supra. Illud quod est plus, amplius, minus est vel dixit, quo saepe utitur, etiam sumpsit a Donato.

30. Opinor narras?

Scholion rhetoricum Donati: quoniam argumenta sunt ex coniectura „opinor" dixit.

A philosopho hoc sic expletur: nam contra opinionem „certa res est" (31); quae autem opinamur, putamus, quae putamus incerta sunt.

. Donatus scholiis rhetoricis numquam aliquid eiusmodi interpretationis addidit.

34. Ridiculum caput

Don.: pro toto homine. Phil.: nemo enim ore contempto ex aliis membris hominem velit significare!

II 3. 6. Pater est Pamphile

Don.: hoc vultuose pronuntiandum est et [1]) mire „pater" dixit, ut in ipso nomine videatur habere auctoritatem. Phil.: veluti dormitantem(!) et oblitum potestatis paternae his tribus excitat: „pater est, Pamphile", „difficile est", „haec sola est mulier".

12. Hoc (i. e. huc) concludar

Ex ferarum translatione „concludar" dixit, ut alibi „conclusam hic habeo uxorem saevam" (Phorm. V 1. 17). Hoc Donatum ipsum dedisse, tametsi falsum est (cf. Spengel ad h. l.), puto propter scholium simile ad Phormionem: illaturus „saevam" bene „conclusam" praetulit, ut si diceret, „feram". Cf. etiam mox 25 (2).

24. Interea aliquid acciderit boni

Don.: nota „acciderit" etiam pro bono et ab hoc et apud veteres frequentatum.

Philosophus fuit, opinor, qui hoc negligens adscripsit: mortem patris adulescentis in delicto pro bono servus ostentat.

---

1) Ipse Don. haec per „et" coniunxit, opinor, ut alibi non raro.

Item alius magister: „acciderit" et ad causam refertur(?) et certe, quia mortem patris bonum denuntiat.

25. Quin taces?

Don.: correptio est silentium praecipientis de eo dumtaxat, ne timeat de nuptiis.

Phil.: „quin taces?" cur non securus es? significat, nam nunc tacere <est> securum esse, ut in Adelphis (II 2. 1): tace, egomet conveniam Pamphilum. Et ideo ille (Pamph. vs. 25) ut consentire dicenti „taces" videretur, „dicam" <ait>, ut scias illum non silentium, sed securitatem imperasse.

Postremum argumentum imprimis auctorem scholii ostendit corrigentem Donatum.

Ceterum prima verba: „quin taces? c. n. s. e.? significat" initium esse potuerunt scholii Donati supra positi.

Alius magister cum philosopho, sed breviter (6):

Id est: esto securus, nam tacere securi est [1]).

26. Puerum autem ne resciscat mi esse ex illa

Scholiasta: videtur hoc illi contrarium esse, quod dixit (I 3. 14) „quicquid peperisset decreverunt tollere". Sic ergo solvitur: quod ibi servus cum stomacho dixit, hic tamen Pamphilum verecunde locutum accipimus.

Scholion pertinet potius ad sequentia Pamphili verba „nam pollicitus sum suscepturum". Contrarium igitur in eo positum, quod Davus I 3. 14 cum stomacho „decreverunt" dixit, cum Pamphilus consilium tollendi verecundius expressisset. Est igitur prudens observatio Donati.

II. 4. 1. Donatus: quod supra dixit, non paenituit idem repetere „observes filium, quid agat, quid cum illo consilii captet" (I 1. 142).

Sic ille concise, ut solet. Philosophus asserit: quod enim prudenter dictum fuerit, non piget repetere; actio tamen (Bentley recte: autem) ex his tribus consistit: cogitatione, dicendo, gerendo.

---

1) De „tacere" et „taciturnitas" cf. Eun. III 2. 23, V. 1. 4.

3. Venit meditatus alicunde ex solo loco:
Orationem sperat invenisse se

Don.: „solo" deserto, ubi meditari facilius possit. — Dein haec sequuntur: et „orationem" dixit, quod quasi ad plenum cogitari potuisset, quippe „meditatus alicunde ex solo loco". — Menander εὑρετικὸν εἶναί φασι κ. τ. λ.

Interpolatio lineolis inclusa, quam deprehendit Sabbadini (II 14), philosopho deberi videtur.

III 1. 12. Vix tandem sensi stolidus.

Etiam Donatus nonnumquam philosophatur, sed opportune et vere, ut h. l. in scholio primo:

Pulchro colore vitae inducto poeta ostendit non minus falli suspiciosum, quam qui stultus est; huic (Simoni) enim veritas fallacia videtur, dum nimis est acutus ac perspicax. Et hoc est, quod ab eventu fingit poeta (scil. Simonem nimis acutum sic falli); non enim in Davo est sic errare nunc senem (i. e. non Davi astutia factum est, ut sic erraret).

Sequuntur autem quinque scholia inter se satis similia, quorum 3 et 4 dubitanter Donato dederim, 1 et 5 Philosopho, qui illius adnotationes suis circumsaepsit, hunc in modum: Don.: (3) „Sensi" quasi ad tactum rettulit, quo etiam pecora impelluntur ad sensum. (4) Duabus ergo rebus scimus: aut ratiocinatione aut sensu, quibus maxime praestamus ceteris animalibus.

Phil. praemisit locum communem de sensibus, ut supra I 1. 3 de virtutibus, cum exemplo ineptissimo et de pecoribus stulte aemulatus Donatum: (2) Quinque sunt sensus, quorum duo, visum et auditum, magis nos sensibiles habemus quam pecora. Unde(!) Cicero: non solum videam, sed etiam audiam planeque sentiam (Cat. 1. 8). Idem subiunxit conclusionem suam ex Donati scholio (4): Ergo senex se non sensu, non ratione sensisse ait, sed veluti calcaribus et stimulis (scil. ut equi et armenta!) punctum.

In hoc postremo scholio nimis delirat.

III 2. 30. Exempla Vergiliana a Wessnero recte inclinatis litteris reddita a philosopho derivanda videntur, a quo iam multa exempla temere addita cognovimus.

III 3. 12. Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat

Don.: haec plena vox est et caritatis et officii. (Cf. eius verba ad I 1. 63, 111, alia.)

Phil. corrupit adnotationis nativum candorem addens: quod enim amicus ab amico petit, iustum esse debet, nec pro eo quod est iustum supplicare oportet.

III 5. 1. Ubi illic est scelus?

Nimium terribile est saevire, antequam videas eum, contra quem irasceris!

5. Posthac incolumem sat scio fore me, si devito hoc malum

Donatus (1): sic dicere solemus in magno periculo positi: numquam nos periclitaturos, si illud periculum potuerimus evadere.

Phil. (2) in Davi verbis nimiam fiduciam reprehendendam esse censet: audacter se incolumem in futurum promittit(!) fore, cum vita hominis tam variis multisque sit periculis conferta.

Dein magister aliquis [1]) philosophi interpretationi suam opposuit per particulam adversativam (3): Sed hoc dicit: sic, inquit, periclitor: si hoc evasero, scio me postea non periclitaturum. Hic igitur Donati interpretationem pro viribus vindicavit.

Sed quid faciendum scholio postremo (4): Et est sensus: tam difficile est hinc evadere, ut qui hinc evaserit, videatur immortalis futurus?

Aut ipsi philosopho dandum est, qui tum post (2) sic perrexit, aut alii magistro, qui eius interpretationem suis verbis rettulit et ornavit. Sed talis magistri vestigia nusquam inveni. Quaestio cohaeret cum altera illa gravissima de scholiorum multiplicium dispositione. Et superest etiam adnotatio Graeca: Menander sic: ἂν θεὸς etc., quae legitur inter (3) et (4).

IV 1. 4. ex incommodis alterius sua ut comparent commoda

Don. recte: „comparent" hoc est adquirant.

Phil., opinor, addidit: vel aestiment, hoc est: non intelligunt commoda sua, nisi ex alterius incommodis ea aestimaverint. Interpretatio falsa, quam etiam Eugraphius habet: numquam se felicem credat, nisi sit cui comparatus insultet.

---

1) Iam Wessnerus hoc scholion cursive reddit.

9. „Res" malitia scilicet: id est quia mali sunt ad rem, quam praestare non possunt.

Spengel recte: „res" durch die Sachlage gedrängt.

55. Davus se excusat arguendo: parum succedit quod ago.

Don. (2): Bene „succedit", ut quod agimus ostendat successus esse atque fortunae.

Phil. idem generaliter (1): Si nostrum est officia praebere, at nostrum non est fortunam posse praestare.

IV 2. 12.

Per omnis tibi adiuro deos numquam eam me deserturum,
Non si capiundos mihi sciam esse inimicos omnis homines

Don.: mira verecundia „omnes homines" maluit dicere, ut in his parentes quoque significaret, quam aperte dicere „patrem", cuius metu promisit nuptias.

Phil. sic genio indulget: ita dixit de uno, hoc est patre, „omnis homines", ut idem alibi: „o caelum, o terra, o maria Neptuni!" (Ad. V 3. 4): numquid et caelum Neptuni est? Non utique, sed omnia haec mare vult esse, ut Vergilius, „omnia vel medium fiant mare" (Ecl. VIII 58).

13. Valeant qui inter nos discidium volunt

Don.: „valeant" hoc est abeant, recedant; et attende quam moderate pluraliter dixerit, cum significaret patrem.

Phil. mediis hisce suam doctrinam interposuit; nempe post „recedant" sic pergit: quia et discedentibus et mortuis „vale" dicitur, ut Vergilius: „salve aeternum" e. q. s. (XI 97); vel potius τῷ εὐφημίσμῳ: cum male optaturus esset, considerato patre παραδόξως locutus est et non dixit, quod intenderat, „pereant".

Haec omnia ei reddenda esse videntur.

Eugraphius: „valeant" ἀκυρολογία, id est „pereant".

20. Scio, quod (v. l. quid) conere

Dubitabatur hocine Charinus diceret an Pamphilus, hinc Donatus: Si Pamphili est persona, cum ironia dicitur, si Charini, simplex laudatio est.

De ironia perperam ei obloquitur philosophus: Sed si Pamphili est, hoc significat, quod supra „ex unis geminas mihi

conficies nuptias" (IV 1. 50). Hunc denuo alius magister (ut supra III 5. 1 (3)) impugnat ipse tamen aliter errans: Sed non esse personam Pamphili ex subiectis ostenditur.

21. Huic, non tibi habeo, ne erres

Post bona scholia Donati (1 et 2) hoc sequitur philosophi per triplex „vel": vel ut etiam Charinus pro se sentiat, hoc dicit, vel ut solent servi contumaciores adversus amicum domini, quia nuper a Charino accusatus est (IV 1. 45), vel quia et quid dicat non habet et videt tacendum non esse!

IV 3. 11. Ex ara hinc sume verbenas tibi

Don.: ex ara Apollinis scilicet, quam Ἀγυιαῖον Menander vocat. Dein hoc legitur: aut quod Apollini comoedia est dicata, in cuius honorem aram statuebant comoediam celebrantes.

Videntur haec esse philosophi. Alius magister dein sic conclusit (3): Apollini ergo comoedia, Libero patri tragoedia.

IV. 4. 16 impudenter mulier si facit meretrix

Phil.: bono ordine locutus est: primo enim causa impudentiae natura (scil. muliebris) est, deinde condicio (scil. meretricia).

IV 5. 3. Verba a Wessnero inclinatis litteris expressa (et nota — paupertatem) a philosopho Donati scholio interposita sunt. Cf. simile V 3. 8 (4).

Similiter in V 2. 3 verba: „et commodum — potest", atque iterum extrema: „etenim propter sensum verba sunt, non propter verba sensus", a Wessnero iam notata sunt.

V 2. 25. pol hodie, si vivo, tibi ostendam

„Si vivo tibi" qui certa minari volunt, incertam faciunt vitam suam. Ecce elegans sagacitas!

V 4. 3. Andrium ego Critonem video?

(1): Bonum initium cogrituri filiam, itaque compendii causa non laborat de agnitione personae Critonis, ut ab eo (a quonam?) facile doceri possit (quid vel quis doceri possit?).

(2): ne laboret ad persuadendum, miro compendio poetae iam Crito notus est Chremi.

Media verba: itaque — possit, interpolationem exhibent

Philosophi, obscure repetentis verba Donati in (2), cui etiam initium scholii debetur.

34. Vix sum apud me, ita animus commotust metu spe gaudio, mirando tanto tam repentino hoc bono

Don. (2): non sum apud me consuetudine magis quam ratione dicitur.

Additur: aut forte sic dicit, quasi abierit animus et rursus redierit.

Praecedit (1): hoc est argumentum sapientibus laetitiam vehementem in bonis moderandam, cum unusquisque gaudens ita perturbetur, ut apud se ipsum iam non sit.

Utrumque valde suspectum et philosopho dignum.

Tertium scholion sic se habet:

Duo carnifices futurarum rerum: spes et metus, dolor enim et gaudium praesentium rerum intelliguntur. Vergilius: „hinc metuunt" e. q. s. (VI 733); sed dolorem hic in laetitia non posuit. Et mire ordinem servavit, sic enim se invicem secuntur.

Videtur esse Donati, sumptum ex doctrinae copia Varroniana (cf. Servius ad Aen. l. l.).

Eugraphius de vocabulorum ordine loquacius idem docet.

37 (4). Aut dignus „odio", aut accusativus pro ablativo est positus, pro odio, aut separatim „odium" legendum, ut sit: dignus qui male habearis.

Mediam sententiam iam inclinatis litteris expressit Wessnerus. Sed initium quoque a Donato adiudicandum videtur, qui lectionem variam accurate indicare solet per „legitur et", nec minus tertia sententia (aut — habearis), cum ille significationem convicii „odium" iustius expressisset quam per „dignus q. m. h." Philosophus amat ter quater repetitum „aut".

52. Pater non recte vinctus est. Sim. Haud ita iussi

Amphiboliam in „non recte" designavit Donatus, cuius postrema verba sunt (3): Pamphilus enim dixerat „non iuste", ille sic respondit, quasi dixerit „non diligenter vinctus est".

Repetitur (3) in (1): id est „non iuste", sed hic ad causam rettulit „non iuste"; senex vero ad rem rettulit. Sunt igitur haec philosophi aut alius magistri.

§ 4. Formula „non — sed".

Transeo ad scholia quae cum tractant argumenta varia, enuntiantur communi formula, quae est antithesis per non (vel nec) ... sed. Donatus hanc formulam opportunitate data non fugit, veluti I 1. 108 et 118, sed apud philosophum abiit in morem ineptum.

Prol. 7. Non criminibus, sed „maledictis". Quid autem inter maledictum et crimen intersit docet Cicero in Tusculanis.
Locum in Tusculanis frustra quaesiveris.

Ibid. (9). Et non obsistat sed „respondeat".

I 1. 105. locum supra iam rettuli (cf. sub § 3).

I 5. 40. non paupertate, sed egestate, cui contrarium(!) inopia et cognatorum negligentia.

57. nec fratris solum, sed etiam germani.

II 1. 1. Ecce scholii genus ubi iuxta verba Terentii, exemplum a Donato aliove scholiasta allatum illustratur. Donatus attulit Vergilii locum Aen. IV 421, de quo haec adscripsit philosophus: Ergo non Aeneas, sed „ille" et item non hic Philumena, sed „illa" dixit.

II 1. 12. Nec studium aut voluntatem, sed „amorem", nec aperiam, sed „narrabo" dixit: totum magnifice.

35. Non dixit ego non instabo ut ducam, sed quod est amplius <„ego id agam, mihi qui ne detur">.

II 3. 29. „Curabitur": non curabo, sed impersonaliter cum difficultate, quod quasi arduum est et grave, dixit.

II 4. 2. Non dixit „senex" aut „pater", sed „hic" cum odio, quoniam averso animo loquitur.
Haec omnia inepta esse brevis reputatio docebit.

II 5. 14. Nullane in re esse quoiquam homini fidem!
Non in nullis rebus, sed neque in rebus neque in persona,

ut Vergilius „nusquam tuta fides" (IV 373), cum in amore fracta esset ab eo, „quem subiisse umeris confectum aetate parentem" (IV 599) audierat. Alibi Terentius „cuius tu fidem in pecunia perspexeris, verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri est?" (Phorm. I 2. 10 sq.); et hic ad rem „perspexeris".

Doctrina longe quaesita et mihi saltem in postremis obscura. Donatus a textu sic late vagari non solet.

III 4. 23. Nec immisi, sed „conieci" quod impetum iniuriamque significat.

24. <Nec solum> „feci", verum etiam addidit tempus „hodie", ut ne diecula quidem eius sit, quod fecerit, mali.

III 6. 1. Bene „patri", non Simoni, ut de auctoritate huius nominis summus terror exsurgat.

IV 1. 17. Atque aliquis dicat „nil promoveris":
Multum: molestus certe ei fuero atque animo morem gessero

Ex sex scholiis ad hos vss. Donati esse videntur:

(3) Multum: subauditur „promovero".

(4) Molestus c. e. f. hoc est: si nihil aliud promovero, certe ei molestus fuero.

(5) Atque a. m. g.: erit fructus iracundiae ex vindicta.

His praecedunt et subiuncta sunt scholia quae inter se non multum discrepant:

(1) Non subiunxit quomodo „multum", sed: aliud faciam.

(2) Transitum fecit (scil. ad aliud) dicendo „mol. c. e f."

(6) Et per iracundiam atque turbationem non invenit, quid sit „multum", aliud ergo invenit „mol. c. e. f.".

Postremum (6) adiunctum duco a Philosopho praecedenti (5) Donati, cum ansam caperet a vocabulo „iracundiae".

Primum et alterum unum scholion esse videtur, in quo „transitum fecit" explicat „aliud faciam".

Eugraphius: „multum" hoc est m. promovero, dum meam compleam voluntatem.

IV 4. 47. nec in crucem, sed „in cruciatum".

V 2. 28. O, Chremes, pietatem gnati!
Don.: ἔλλειψις et est ironia pro „impietatem".

Phil.: et vide invidiam quasi parricidam accusantis: non enim pudorem dixit, sed „pietatem".

V 3. 15. Non me sed „meam senectutem", quod plus est et miserabilius, dicit.

28. Don.: „hunc senem" Critonem scilicet. Phil.: et non Critonem sed „senem" dicit, ut de hac appellatione pondus adiceret testimonio. Cf. III 6. 1.

29. „Sine pater": „ut me purgem", non „adducam".
Immo: „ut adducam".

V 4. 36. Non „multis modis inveniri", sed „tuam inveniri"; alii „multis modis tuam inveniri".
Ille perperam, hi alii recte intelligunt.

§ 5. Formulae interrogativae.

Accedant tandem scholia prolata per interrogationem et praesertim per an vel utrum ... an. Donatianis plerumque sunt adnexa, dum indoles philosophum auctorem ostendit.

I 1. 13, 19, 34. Vide supra sub § 3.

56. Certe captus est: habet
Don.: „habet" sic dicitur de eo qui letaliter vulneratus est. Verg. (Aen. XII 296). His additur: Ergo quid sequitur captum nisi occidi? Praeterea vide supra 101, 105, 119, 120.

137. „Mala mens, malus animus" argumentum a natura. Additur: et an aliquis sine causa malus an ab impulsione.

I 2. 21. „Tum si quis magistrum" μεταφορικῶς. Sic recte Donatus. Additur: an quia et paedagogus est Geta? (Wessner: <ut> Geta).

I 5. 50. Don.: habuit fidem, quod soli fuimus, quod nemo testis. Pergitur: an timuit, ne hoc pater ante firmatum amorem cognosceret? Falsum.

II 2. 27. Interea intro ire neminem video, exire neminem
Phil. ad „intro ire neminem": Quid si intus erant? ideo ait „exire neminem".

32. Phil. post Donatum: quid si „minutos" sed omnibus? Intelligere videtur: si numerus minutorum piscium fuisset sufficiens omnibus.

II. 6. 18. Donatus recte: apparet Davum nunc quaerere, quid respondeat e. q. s.

Inepte Ph.: utrum magis ideo suspendit, ut senex audire desideret, an quia necdum commentus est causam contra rependendam propositioni senis? (cf. IV 2. 21 (3)).

III 1. 3. Don.: simpliciter dixit „ab Andria est" pro „Andriae est", nam ex usu sic dicere solemus.

Phil.: an „Andriae favet", ut cum dicimus ab illo sto, hoc significamus: illi faveo, illi accommodo suffragium?

III 2. 14. „Si resciverim" utrum pro cum resciverim an quia stultum me putas?

IV 2. 3. „Si hic non insanit" ironia est (Don.). An laus ad mitigandum Pamphilum?

24. „Nam mihi impedimento estis" utrum hoc verum dicit an fingit, quia adhuc consilium non invenit, quod narrare possit? (cf. supra II 6. 18).

25. „Verum vis dicam?" pro initio sedulae narrationis hoc sumimus, an sic respondet Charinus, tamquam qui intellegat non dici sibi velle Davum quo eat, sed id agere ut abscedat?

Donatus ad 26: „initium" narrationis scilicet quo eat, quia „verum vis dicam" velut prooemium narraturi est.

IV 5. 23. „Veni huc", inquit, „ut videam"; cur autem „ut videam"? quia timet.

V 2. 1. „Impero" pro volo (Don.). An ut statim fiat tamquam illud quod imperatur? et [„impero"] superbe dixit: summum enim indicium securitatis est superbia.

24. „Quadrupedem constringito".

Utrum genus ligaturae sic dicitur „quadrupes" an quadrupedem ut ferum?

An „quadrupedem" id est cum pedibus et manibus?

An „quadrupedem" pro cervo ac fugitivo posuit? Sic Vergilius: „saucius at quadrupes (cervus) nota intra tecta refugit" (VII 500).

Tertium scholion cum exemplo Vergiliano philosophi acumini sine dubio debetur.

Sitne primum Donati dubito. Scholiastae desudarunt in his verbis, ut docet Eugraphius:

Hoc est, ita eum ... vinculis colligato, ut quadrupedem ..., cum eius manus retrovertens compedum ligaturis efficias quasi quadrupedem. Quidam hoc aliter: quasi dominus iracundiam suam derivaverit et leni voce dixerit, ut non ipsum, sed iumentum aliquod alliget!

V 4. 18. Non tu tuum malum aequo animo feras?
Don.: „malum feres?": „non filium, sed amorem in filio.
Addit ille: an quia iratus est?

26. Don.: „Perii" hoc Pamphilus propter iracundiam patris.
Addit ille: an Chremis est dolentis vel eius mentionem vel quod in filium paene peccarat?

36. Incertum, utrum qui gratulatur Simo sit, quamvis Pamphilus respondeat; potest enim [1]) „pater" et Chremes videri.
Nihil incertum est.

§ 6. Philosophi scholia ad Phormionem II 3.

1. Differentia.

In serie *a*.
33. 1. (Sabb. II p. 113)

Quem amicum tuom ais fuisse istum, explana mihi,
Et qui cognatum me sibi esse diceret

„Ais" dicimus de his, qui vana loquantur, „dicere" autem de his, qui validiora.

Differentia hausta ex ipso versu, quae tamen quam falsa esset, docere hominem potuit v. sequens ubi „diceret" non minus vana loquentem indicat. Confer praeterea quae de verbo „aio" adnotavit ad Andr. II 2. 16, supra p. 223.

1) Cf. I 2. 23 „potest enim".

2. Definitio verbi.

In serie *a*.
4. 1 (Sabb. p. 110).
„Iam ego hunc". Iam signum celeritatis est.
Ecce auctorem scholiorum, quae supra p. 222 sq. rettuli ad Andr. II 2. 15, de „iam" celeritatem significante.

24. 1 (Sabb. p. 111)
„Aspernari" est averti non solum corpore sed etiam animo.
Don.: „aspernari" est recusare, avertere, non agnoscere.

67 (Sabb. p. 115).
Itan tandem, quaeso, item ut meretricem ubi abusus sis,
Mercedem dare lex iubet ei atque amittere?
Bene „amittere" quia finis cupiditatis amissio est.

In serie *b*.
23. 2 (Sabb. p. 121).
„Inimicitias caperem" capere dicimus cum id quod in nobis est assumimus. Legendumne: quod non nobis est?

3. *Non — sed* et *utrum — an*.

In serie *a*.
87 (Sabb. p. 116).
Habebis quae tuam senectutem oblectet.
Non se sed senectutem tuam.

In serie *b*.
15. 2 (Sabb. p. 119).
Si illum minus norat. Non dixit „non norat", sed „minus norat", quasi et ipse nosse debuerit. — Argutiae. Ibid. 4: Et „grandior" non „grandis", quasi dicat: qui grandior fuit, quam ut illum adolescens optime nosse posset.
Otiose repetit quae in ipso textu sunt.
Donatus (in serie *b*) utiliter et simpliciter, ut solet, adnotavit hoc: hic comparativus non habet significationem, quae magis sive minus a positivo significat. Verg.: iam senior sed cruda deo viridisque senectus (Aen. VI 304).

quorum sententia simpliciter haec est: quae haec est audacia, ut ultro etiam Phormio nullo verbo lacessitus me accuset?

Vide igitur quantopere deliret.

Scholium ad hunc vs. in serie *a*: „haec exclamatio ostendit quid absente patre defenderit filius" sitne genuinum dubito.

14. Nam iam adulescentulo nihil est quod succenseam

Falso philosophi acumini deberi videtur haec adnotatio: Sic subtiliter et latenter purgatur a Phormione apud patrem Antipho. Nam cum dicit „iam a. n. e. q. s.", ostendit adhuc succensuisse et inimico fuisse animo, cumque addit „si illum minus norat", ostendit contra dixisse sibi et restitisse iudicio. Et sic dicit: quodsi adolescens non adgnoscens puellam veniam non meruerit, pater negata cognata ferri non possit.

Donatus (ser. *a*): Vide, ut veteratoria ostendat contradixisse adulescentem.

Quae in priore scholio dicuntur minus vera sunt. Phormio non hoc agit ut Antiphonem purget apud patrem, sed ut patri avaritia peccanti opponat filium qui praetexerat ignorantiam. Hoc igitur Don. recte veteratorium nominavit. Nec Phormio „subtiliter" aut „latenter" loquitur, sed aperte dicit se peracto iudicio non amplius succensere Antiphoni, cuius ignorantia excusari possit. Itaque neque haec adverbia nec sententia causalis quae sequitur („nam cum dicit" etc.) iustam habent rationem. Porro verba „si illum minus norat" non ostendunt Antiphonem sibi restitisse iudicio, hoc per se palam erat, sed quid Ant. defenderit. Tandem postrema argumentum a fortiori exhibent, sed falsum, nam adulescens veniam meruit secundum Phormionem. Attende demum synonyma „succensuisse et in. f. animo", „contradixisse et restitisse".

18. 2. Donatus (ser. *a*) de veteratoris narratione adnotavit: „habet misericordiam odiosa narratio". Alter, pro more urgens singula verba, hoc sic mutavit et auxit: Miserabiliter et invidiose positum „senex", et maiore fide, quia „narrabat" dixit non „quaerebatur".

28. Donatus (ser. *a*) recte: Mire servus finxit se non vidisse senem, ut ea, quae dixerit in Phormionem, sincere dixisse credatur.

33. 2. „Mihi ut respondeas". Adnotat: bene „mihi", utpote patri adolescentis, vel domino Getae, vel etiam seni.

Nota *vel* — *vel*. Et merae nugae sunt; „mihi" necessario additur.

Non minus suspecta sunt quae sequuntur Vergilianis exemplis exornata: Et verbum (scil. „mihi") est scrupulose aliquid interrogantium, sic Verg.: „mihique haec edissere vera roganti" et „dic mihi Damoeta cuium pecus" (Aen. II 149. Ecl. III 1).

In serie *b*.

5. 2[b]. Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?

Donatus adnotat (5. 2[a]): magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expressit, nam et prior incipit et prior accusat.

Alter hoc sic explevit: et quia non potest dicere „expellit Phanium Demipho?" „negat cognatam?" inquit.

De expellenda Phanio sermo esse hic nondum potuit; sub finem colloquii hoc demum minatur Demipho vs. 78, postquam mitioribus argumentis Phormionem frustra commovere studuit.

7. „Sequimini". Sic Demipho breviter monet advocatos: secundum Donatum (ser. *a*): quia properantius et concitatiore gradu pergit iratus. Ille loquax ita argutatur: Apparet Demiphonem ut patrem familias perturbari non mediocriter, quippe qui et advocatos conquisiverit adversus hominem sine advocatis agentem et progredi non audeat (!), nisi illi sequantur.

Rectius de utroque litigatore iudicavit Donatus (ser. *a* 1. 1): Meminisse autem debemus in omni contentione ea maxime dici, quae simplici patri familias et calumnioso sycophantae improbissimoque parasito congrua poetae visa sunt esse.

10. 3. Donatus: „parens" pater. Addidit, opinor, ille alter: nam ut variaret parentem dixit quem supra (vs. 7) dixerat patrem.

13. Hic iam ostenditur persuasum Demiphoni esse vim adhibitam filio suo uxorem ducere (corr. uxorem ut duceret?): uno, cum hunc audacem appellat, altero, quod dicit „etiam", quae coniunctio et Antiphonem complectitur et sic „accusatum".

Verba Demiphonis quae explicantur sunt:

O audaciam! etiam me ultro accusatum venit

quorum sententia simpliciter haec est: quae haec est audacia, ut ultro etiam Phormio nullo verbo lacessitus me accuset?

Vide igitur quantopere deliret.

Scholium ad hunc vs. in serie *a*: „haec exclamatio ostendit quid absente patre defenderit filius" sitne genuinum dubito.

14. Nam iam adulescentulo nihil est quod succenseam

Falso philosophi acumini deberi videtur haec adnotatio: Sic subtiliter et latenter purgatur a Phormione apud patrem Antipho. Nam cum dicit „iam a. n. e. q. s.", ostendit adhuc succensuisse et inimico fuisse animo, cumque addit „si illum minus norat", ostendit contra dixisse sibi et restitisse iudicio. Et sic dicit: quodsi adolescens non adgnoscens puellam veniam non meruerit, pater negata cognata ferri non possit.

Donatus (ser. *a*): Vide, ut veteratoria ostendat contradixisse adulescentem.

Quae in priore scholio dicuntur minus vera sunt. Phormio non hoc agit ut Antiphonem purget apud patrem, sed ut patri avaritia peccanti opponat filium qui praetexerat ignorantiam. Hoc igitur Don. recte veteratorium nominavit. Nec Phormio „subtiliter" aut „latenter" loquitur, sed aperte dicit se peracto iudicio non amplius succensere Antiphoni, cuius ignorantia excusari possit. Itaque neque haec adverbia nec sententia causalis quae sequitur („nam cum dicit" etc.) iustam habent rationem. Porro verba „si illum minus norat" non ostendunt Antiphonem sibi restitisse iudicio, hoc per se palam erat, sed quid Ant. defenderit. Tandem postrema argumentum a fortiori exhibent, sed falsum, nam adulescens veniam meruit secundum Phormionem. Attende demum synonyma „succensuisse et in. f. animo", „contradixisse et restitisse".

18. 2. Donatus (ser. *a*) de veteratoris narratione adnotavit: „habet misericordiam odiosa narratio". Alter, pro more urgens singula verba, hoc sic mutavit et auxit: Miserabiliter et invidiose positum „senex", et maiore fide, quia „narrabat" dixit non „quaerebatur".

28. Donatus (ser. *a*) recte: Mire servus finxit se non vidisse senem, ut ea, quae dixerit in Phormionem, sincere dixisse credatur.

Philosophus denuo ex uno verbo innocentissimo multa elicit: ita mira dissimulatione additum „homo", ut videatur nihil de praesentia domini cogitasse.

75. Tuos est damnatus gnatus, non tu; nam tua
Praeterierat iam ad ducendum aetas

Ludit Phormio cum dicit „non tu", nam praeterierat iam ducendi aetas. Haec vera sunt et leguntur in ipso textu. Sed falso acumine denuo laborant quae sequuntur:

Et contemptibiliorem in hac causa sibi senem quam Antiphonem fuisse ait simulque aetatem in illo esse despectam.

79. Tute idem melius feceris.

Quidam sic intelligunt „tute i. m. f.", ut senex potius exeat quam eiciat filium; artificiose autem loquitur Phormio, ut adimat suspicionem seni consensionis et coniventiae inter parasitum et filium.

Non „quidam", sed omnes nimirum sic intellexerunt. Verba plana sunt et sine artificio, nec Phormioni adimi potest suspicio, qua caret etiam in III 1. 10: „Numquid pater subolet? Ant. Nil etiam". Continet scholion falsam philosophi doctrinam.

Scholion ad h. l. in ser. *a*: „locus est hic, ut sic ostendat Phormio de compacto egisse cum Antiphone" nec forma nec sententia mihi liquet.

Non lac lactis similius est, quam haec Phormionis scholia iis sunt, quae ex Andriae commento Philosopho adsignanda esse vidimus.

VERBORUM MONSTRA.

Duobus novis verbis portentosissimis *αὐτολίπειν* et *αὐτοφαείνειν* auctum est lexicon Graecum, si fides habenda viro docto qui BCH 1901 p. 21 et 25 duas edidit Bithyniae inscriptiones funebres metricas, in quarum priore (n⁰ 154) de Iuliano quodam defuncto legisse sibi videtur verba: *τέσσαρας αὐτολιπὼν υἱούς*, in posteriore (n⁰ 157) de recens nupta et statim deinde mortua muliere: *δαίμων γὰρ ἀπηνὴς | αὐτοφαεινομένην ἔσβεσε δᾷδα γάμων*. Quam vellem ipse lapides inspicere, ut scirem annon alter habeat: *αὖθι* (*hic*, in terra) *λιπών*, alter *ἄρτι φαεινομένην*!

H. v. H.

APULEIANA.

SCRIPSIT

CAROLUS GULIELMUS VOLLGRAFF.

Anno 1900 duce Ioanne van der Vliet viro humanissimo Apulei Metamorphoses legenti nonnumquam mihi evenit ut scriptoris locum aliquem aut non aut minus recte hucusque intellectum in pristinum restituisse mihi statum viderer. Quorum εὑρημάτων tunc temporis non nisi cum ipso communicatorum hodie iam unum et alterum publici iuris facere liceat.

I, 13. Infelicem Socratem sagae duae dormientem iugulant vulnusque gladio factum spongia praecludunt, quam simul ita adloquuntur: *heus tu, spongia, cave in mari nata per fluvium transeas.* At ille mane vegetus experrectusque domo exit; ubi vero ad proximum fluvium pervenit, ecce repente vulnus in iugulo dehiscit spongiaque illa in aquas devolvitur (I, 19). Haec facilia sunt ad intellegendum. Nonne tamen apertum est in sententia, qua spongia incantatur, desiderari aliquid? Dictum oportuit *quo* illi per fluvium transeundum esset. Quidni igitur leni admodum medela adhibita reponamus: *heus tu, spongia, cave* <IN MARE> *in mari nata per fluvium transeas*, sive alio verborum ordine: *cave in mari nata <in mare> per fluvium transeas.* Genus emendationis est, quod cum in quovis scriptore locum habeat, tum egregie salutare fuit Apuleio. Cuius opera multifariam corrupta esse acute vidit Vlietius hac in re vel maxime de Apuleio bene meritus quod diligentissime animum advertit ad lacunas, quibus nunc in libris MSS. permultis locis hiat inconcinna oratio.

III, 11. In civitate Thessaliae, quo Lucius devenit, mos erat deo Risui per annua reverticula sollemniter celebrare lusum semper commenti novitate florescentem. Cuius lusus victimam factum hospitem suum postea consolantur magistratus hisce verbis: *Iste deus auctorem* [1]) *suum propitius ubique comitabitur amanter.* Cum tamen moneamur in codice F scriptum esse *auctorem et aorem,* duobus ultimis vocabulis postea expunctis, considerandum est num Apuleius scripserit: *auctorem et actorem suum.* Haud male enim Lucius risus non auctor tantummodo, sed etiam actor id est ὑποκριτής diceretur. Satis notum est veteres scriptores inter se similia vocabula qualia sunt auctor et actor libenter consociare. Cf. Cic. pro Sest. § 61: *dux auctor actor illarum rerum*; Nep. Att. 3, 2: *hunc enim in omni procuratione reipublicae actorem auctoremque habebant.*

III, 24. Lucius postquam vidit Pamphilen unguedine quadam illitam in bubonem mutari, idem in se ipso experiri aggreditur. Cuncta igitur corporis sui membra se perfricasse narrat *iamque,* inquit, *alternis conatibus libratis bracchiis in avem similem gestiebam.* Mire dictum illud *gestire in avem.* Nec Bursiani vera est coniectura: *in avem simulari gestiebam,* siquidem per avem similem recte bubo ille significari videtur, in quem Pamphile abierat. Nisi fallor, hic quoque excidit in codicibus verbum, quod nunc aegre desideramus, scripsitque Apuleius: *in avem similem* ⟨*reformari*⟩ *gestiebam,* ut verbum inseram, quo scriptor et alibi et in his ipsis capitibus aliquotiens utitur.

IV, 25. Vetulae cuidam puella a latronibus rapta custodienda simul et blanditiis delenienda traditur. Quae tamen eo usque sortem suam lamentari pergit, donec tandem *fatigata marcentes oculos demisit ad soporem. An commodum coniverat, nec diu cum repente lymphatico ritu somno recussa* ⟨*denuo plorare*⟩ *longeque vehementius adflictare sese ... incipit.* Verba quae sunt *denuo plorare* inseruit Vlietius idque optimo iure, cum manifestum sit in verbis traditis desiderari eiusmodi aliquid. Eidem vero cum Eyssenhardtio voculam *an* excludenti minime assentior;

---

1) Non recte vulgo legitur *et auctorem.* Cf. Vlietius, Mnem. 1897 p. 395.

cum enim terminatio *us* compendiose per parvam virgulam scribi soleat, locum constituendum esse puto hoc modo: ANUS *commodum coniverat, nec diu cum repente lymphatico ritu somno recussa* ⟨*denuo plorare* PUELLA⟩ *longeque vehementius adflictare sese* . . . *incipit.*

VI, 9. Venus Psychen e filio suo gravidam factam contumeliosis probris excipit: *Felix vero ego, quaė in ipso aetatis meae flore vocabor avia et vilis ancillae filius nepos Veneris audiet.* Singularis profecto sententiarum connexus, manifestum, me iudice, lacunae indicium. Iam e sequentibus apparebit quid hoc loco exciderit. Sic enim pergit irata dea: *Quamquam inepta ego* ⟨*quae?*⟩ *frustra filium dicam. Impares enim nuptiae et praeterea in villa sine testibus et patre non consentiente factae legitimae non possunt videri ac per hoc spurius iste nascetur* . . . Cuiusnam quaeso filium non dictum iri infantem, quem in utero gestat Psyche, minitari potest Venus? Psyches? an sui filii Cupidinis? Huius profecto. Ergo mecum sic corrige: *Felix vero ego, quae in ipso aetatis meae flore vocabor avia.* ⟨*Iamiam Cupidinis*⟩ *et vilis ancillae filius nepos Veneris audiet! Quamquam inepta ego* ⟨*quae?*⟩ *frustra filium dicam* etc.

VII, 5. Depingit Apuleius latronem quendam corporis mole stupendum, *sed plane centunculis disparibus et male consarcinatis semiamictum, inter quos pectus et venter crustata crassitie reluctabant.* Quid sit quod venter et pectus *inter centunculos* luctari sive reluctare crassitie dicuntur, vereor ut intellegi possit. Forsitan scripserit Apuleius *relucitabant.* Verbi quod est relucitare hodie nullum quod sciam in litteris occurrit vestigium. Esto. At quidni probabile sit, quemadmodum certa analogia ducti ab *habere habitare,* a *latere latitare,* a *tueri tutari* similia formarint Romani, sic Apulei aequales a *lucere* et *relucere* formasse *lucitare* et *relucitare?*

HESYCHIANA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

ἐκκολαβήσαντα· ἐκλακέντα, ἐκφρονήσαντα.

Tam lemma quam alterum interpretamentum dudum correctum est in ἐγκοληβάσαντα et ἐκροφήσαντα, sed nemo dum quod sciam repperit veram lectionem pro ἐκλακέντα, sub quo nihil aliud delitescere videtur quam ἐκλάψαντα.

ἐκπεφανωμένος· ἀπόπληκτος.

ἐκπεφάνωται· ἀπό<πληκτος γέγονεν>.

Nescio an sub his glossis lateat novum verbum ἐκπανοῦν, formatum ut βακχοῦν, aut, si mavis, ἐκπανεύειν, formatum ut ἐκβακχεύειν, *panico terrore percitare*. Ita corrigendum sit ἐκπεπανωμένος et ἐκπεπάνωται sive -νευμένος et -νευται. Cf. παν[ό]ληματος in Mimo, papp. Ox. III 413, 173.

ἐκρᾳστωνῆσαι· εὐχερῆ ποιῆσαι. Imo ἐκρᾳστωνίσαι.

ἐλᾶν· αψειν, ἐλαύνειν. Ingeniosius quam verius Schmidt coniecit ἐλάναν ἁψεῖν· ἐλαύνειν, ut sit glossa dorica. Obstat enim grammatici interpretatio ἐλαύνειν. Vix aliud subest literis αψειν quam ἐλάσειν. Voluit scil. significare formam ἐλᾶν et futurum denotare posse et praesens.

ἐλάστρει· ἐκακοπάθει, ἐδίωκεν, ἐκυνήγει.

Manifesto aut ἐκακοπάθει depravatum est ex ἐκακοποίει, aut pertinet ad glossam deperditam, quae fuit ἐλαστρεῖτο. Cf. mox ἐλαστρεῖται· ἐλαύνεται, διώκεται. Ex augmento omisso apparet esse hanc gl. poeticam. Dorica est quae subsequitur ἐλαστρίων (male vulgo ἐλαστριῶν)· διαγιγνώσκων (imo διώκων).

ἔλματα· [ὁμιλήματα] ἐνειλήματα.

Prior explicatio, quam nemo facile expediet, dittographia nata esse mihi videtur e sequenti.

ἐμβατήρ· παρὰ τοῖς ἀρχιτέκτοσι τόπος.

Nisi forte post τόπος nonnulla exciderunt, haec vocula sana esse nequit. Num forte latet ὀδός, *limen*? Cf. Poll. II 200 βατὴρ ὁ οὐδός, ἐφ' οὗ βαίνομεν. Quo sensu ἐμβατ[ῆρας] recte supplevisse videtur Fraenkel in titulo Nemeae IGP IV I 481, 3.

ἐνειΔημένους· πορθήσαντες.

Corrigatur: ἐνειΛημένους· πολιορκηθέντας.

ἐνειματιῶν· ὁ τὰ ἐνπάσματα τοῖς ἀνδράσιν ἐντιθείς.

Vera lectio videtur:

ἐνεματί<ζ>ων· ὁ τὰ ἐγκλύσματα τ. ἀ. ἐντιθείς.

Scil. ἔνεμα, de quo consulatur Thesaurus s. v., a medicis vocabatur τὸ ἔγκλυσμα. Pro ἐντιθείς dubitari potest an praestet ἐνιείς.

ἐξεκοδίαξεν· ἐξέχεεν.

Legendum ἐξεκοχύεσκεν.

ἐξιθυίω· ἔξω καθίσω.

Vere, ut videtur, Meineke ἐξεῖ θύσω· ἔξω καθ<αγ>ίσω, nisi quod in glossa dorica scriptum oportuit θυσῶ, aut fortasse melius θυ(σ)ίω.

ἐπαμέτραιον· μέτρον τι παρὰ Κνιδίοις.

Scripserim ἐπαμέριον, i. e. *quod homini in unum diem sufficiat*, ut servis χοῖνιξ. Simili vitio insequens glossa ἐπαμεροφάντῳ· ἐπὶ ἡμέρ[αν] φ[ανέντι] correcta a Schmidtio in ἐπαμετροφανίῳ abierat.

ἔπαρμον· σῶμα κάθυγρον.

Huic glossae fortasse proderit papyrus Amherst. II 36, 9 sqq. (a. 135 a. C.): ὑπαρχόντων γάρ μοι ἐν Διοσπόλει τῆι μεγάληι καὶ ἐν τῶι Παθυρίτηι ἐπαρδίων, modo prius vocabulum nihili, quod *agrum irrigatum* significare videtur, in ἐπαρδμῶν mutetur, collatis vocabulis alibi in papyris obviis ἐφαρδμός et ἐπαρδμευτής. Scilicet reddendum Hesychio

ἐπαρ<δ>μόν· <χ>ῶμα κάθυγρον.

διεναντίας· ἔχθρας.

Conieci: δι' ἐναντιώσ<εως· δι'> ἔχθρας.

AD TIBULLUM
I, 7, 39 sq.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Variae et multiplices sunt vitiorum, quibus poetarum scriptorumque laborant libri, causae: modo librarius quod in exemplari suo habebat non bene dispexit, modo invitus, labente calamo, scripsit quod noluit. At multo graviores existunt mendae, ubi scribentis *mens* in errorem inducitur. Illud tamen vitiorum genus non tam facile deprehenditur, quamquam ex ipsa mentis humanae indole nasci saepe nos usus docet. Cui enim homini, cum describeret aliquid, non saepe evenit ut pro vocabulo, quod ante oculos haberet, aliud poneret, quod sibi cogitatio parum vigilans subministraret, cognatum quidem aliquo modo illi, quo opus esset, sed tamen eiusmodi ut tota loci sententia eo pessumdaretur? Quin etiam fieri sic potest ut in textum irrepat vocabulum prorsus contrarium illi, quo opus est. Insigne huius rei exemplum hicce Tibulli praebet locus. Cum enim poëta dedisset:

Bacchus et agricolae magno confecta labore
   Pectora *laetitiae* dissoluenda dedit

labor ille, quo pectus agricolae *conficiatur*, intempestive librario, pentametrum scribenti, *tristitiae* subiecit notionem. Et nunc apud Tibullum legitur:

Bacchus et agricolae magno confecta labore
   Pectora *tristitiae* dissoluenda dedit

et sic editur, sine ulla corruptelae suspicione. Solus Lachmannus annotat in codice P pro *tristitiae* legi *tristitia*. Quo modo nunc

viri docti lectionem traditam explicent nescio, suspicor autem omnes in Dissenii et Wunderlichii acquiescere annotationibus, docentium *tristitiae dissolvendum* eodem modo dictum esse, quo apud Ciceronem *legum solvere* et apud Horatium *operum solutus.* Quasi vero nihil intersit *quae* solvendi verbi *forma* sic genitivum adsciscat. Nam quod aiunt *dissolvendum dare* idem esse quod *dissolvere,* id quidem plane nihili est. Confert Wunderlichius Lygdami versum (III, 6, 28 apud Tib.):

Venti temeraria vota
Aëriae et nubes diripienda ferant.

Quod de *ventis nubibusque* rectissime dicitur, at plane diversa est *vini* ratio. Et Ovidii Fast. II, 521:

Usibus admoniti flammis torrenda dederunt (farra),

qui versus vel maxime Wunderlichium redarguit: docet enim *dandi* verbum, cum adiunctum sibi habet *gerundivum*, suum sibi flagitare *dativum.* Perstabit, sat scio, in editionibus Tibulli lectio tradita, at ego semper posthac vel invitis omnibus editoribus legam:

pectora laetitiae dissoluenda dedit.

Bacchi iussu laetitia pectora *dissolvit,* curis nimirum et sollicitudine, cf. Ov. Met. VII, 186

Homines volucresque ferasque
Solverat alta quies

et X, 369

Corpora somnus solverat.

AD PLUTARCHUM.

Marc. 3 (Sint.). Romani iussu librorum Sibyllinorum Graecum Graecamque, Gallum Gallamque vivos in foro boario defoderunt, *οἷς ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ* Νοεμβρίῳ *μηνὶ δρῶσιν* Ἕλλησι *καὶ* Γαλάταις *ἀπορρήτους καὶ ἀθεάτους ἱερουργίας.* Non, ut opinor, miserae illae victimae honore illo afficiebantur, et, si afficiebantur, cur Graecum Gallumque adesse nefas erat? Non retinet me hiatus metus quominus pro *οἷς* legendum censeam *οὗ.*

J. J. H.

AD SOLONIS FRAGMENTUM XIII.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

Nuper cura benevola viri clar. Menrad — *μεγάλη χάρις τῷ τε πέμψαντι καὶ τῷ γράψαντι!* — in manus meas pervenit commentatio, qua Nicolaus Riedy vir doct. indicavit vestigia dictionis epicae, quae praebent carmina Solonis [1]). Qui improbo labore quaecunque huc faciunt collegit, disposuit, diudicavit, utile denique peregit opus. Non tamen esset cur huius libelli nunc facerem mentionem, nisi uno certe loco ab eo dissentiendum mihi viderem. Sunt versus Solonis in Stobaei florilegio cum vicinis servati (fr. 13, 33 sqq.):

θνητοὶ δ' ὧδε νοεῦμεν ὁμῶς ἀγαθός τε κακός τε·
δεινὴν εἰς αὐτοῦ δόξαν ἕκαστος ἔχει
πρίν τι παθεῖν· τότε δ' αὐτίκ' ὀδύρεται. ἄχρι δὲ τούτου
χάσκοντες κούφαις ἐλπίσι τερπόμεθα.

Viro sapiente digna sententia — modo verbis aliquanto magis perspicuis esset enuntiata. Quapropter verba „*δεινὴν εἰς αὐτοῦ*", quae in Stobaei codicibus etiam „*ἐν δὴν εἰς αὐτὸς*" et „*ἐκ δὴν ἦν αὐτὸς*" et „*ἐν δη ην αὐτὸς*" extant scripta, multi critici coniecturis tentarunt, alius alio audacior, denique Riedy „*εἰς ἀνέδην αὐτὸς*" scripsit. Sed hanc quoque *quaesitam*, non *inventam* esse coniecturam sentimus; nempe adverbium in -*δην* inesse postquam sibi persuasit, lustravit horum adverbiorum catalogum, melius autem quam cetera in nostrum locum quadrare censuit „*ἀνέδην*" illud, quod „*ἐκκεχυμένως*" sive *effuse* significat (Aesch. Suppl. 15 etc.).

Sed, ingenue fateor, nisi latine vertisset: „unusquisque fiducia sua vel opinione effuse sive effrenate utitur", fortasse latuisset me quid sibi vellent verba ita mutata. Neque satis intellego cur locum audacius refingendum censuerit; nam postquam aliorum conamina attulit, haec addit: „Hill.-Crusius *εὖ δεινήν* pro-

---

1) *Solonis elocutio quatenus pendeat ab exemplo Homeri* (Programm des K. Wilhelms-Gymnasiums in München) 1903.

posuit". — En verum repertum! nisi quod sua vineta caedere mihi videtur qui hoc potius proponat quam δεινὴν εὖ, servato verborum ordine tradito. Quam frequenter inter se permutentur litterae Θ-Ο-Є-C nemo nescit; id quod hoc quoque loco obtinuit: ЄΙΟ in ЄΙC abiit, Solon autem scripserat:

δεινὴν εἶ' αὐτοῦ δόξαν ἕκαστος ἔχει,

quilibet sibi admodum prudens videtur, δεινὸς εἰς τὰ πάντα ἕκαστος εἶναι δοκεῖ ἑαυτῷ.

Quartum quoque versum vitium contraxisse non contendam; suspicor tamen verum latêre in lectione altera: τρεφόμεθα pro τερπόμεθα, interpretamentum enim id esse verbi genuini:

χάσκοντες κούφαις ἐλπίσι βοσκόμεθα.

AD PLUTARCHUM.

Caes. 38 (Sint.). De nota illa Caesaris navigatione, qua Brundisium rediens naves inde erat arcessiturus, et alia leguntur et haec: ὡς δὲ ἦν ἄπορα, δεξάμενος πολλὴν θάλατταν καὶ κινδυνεύσας ἐν τῷ στόματι συνεχώρησε μάλα ἄκων τῷ κυβερνήτῃ μεταβαλεῖν. Utcumque intelligi possunt haec, si στόμα dictum accipimus de fluminis (Anii) ostio; sed vel sic inepte denuo indicatur locus, ubi fiant ea quae hic narrantur, qui paulo ante accuratissime est descriptus. Praeterea, cum recte dicatur *navis* θάλατταν δέχεσθαι, de ipso Caesare illud sic nude dici nequit. Sed lenissima transpositione omnia restituuntur in integrum. Lego enim δεξάμενος πολλὴν θάλατταν ἐν τῷ στόματι καὶ κινδυνεύσας. Magno fluctu superante navis latera, tantum aquae ore exceperat Caesar ut parum abesset quin intercluderetur spiritus. J. J. H.

AD XENOPH. ANAB. IV C. 6 § 1.

ἐπεὶ δὲ ἡμέρα ἦν ὀγδόη, τὸν μὲν ἡγεμόνα παραδίδωσι Χειρισόφῳ, τοὺς δὲ οἰκέτας καταλείπει τῷ κωμάρχῃ.

Verba τῷ κωμάρχῃ praeterquam quod abundant, ne recte quidem se habent. Nam pagi praefectum abducit Xenophòn, non ei igitur suos relinquit, sed *eius domi*. Sed obscurum non est ea verba quomodo irrepserint. Nam qui inseruit non tenuit ἡγεμόνα praedicative, quod dicunt, appositum esse, verba autem τὸν μὲν per se sufficere ad eum significandum qui in proxime superioribus (c. 5 § 36) aliquas partes egisset. Vel potius eum fugit verbis τὸν μέν pagi praefectum spectari, quapropter non dubitavit quin huic suos relinqui narraret Xenophon idque desiderari censuit. M. V.

ANIMADVERSIONES AD DUAS FABULAS ARISTOPHANIS NUPERRIME A IANO VAN LEEUWEN EDITAS.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Ex coniecturis doctissimi editoris, quas LYSISTRATAE *Argumenti* textui intulit, probare non dubito quod haud procul ab initio reposuit τὰς μὲν ἔξωθεν παρούσας (Rav. ἐξωπίους) ὁμήρους τινὰς καταλιπούσας <ἀποπέμπει> ὀπίσω (cf. vs. 244) et in fine paginae ἡ δὲ κερτομοῦσα αὐτὸν ἐπεγγελᾷ (Rav. ἐπαγγέλλεται) μέν, κτέ., sed egregie falli mihi videtur paullo post, ubi e libro Ravennate edebatur: ἀφικνοῦνται δὲ καὶ παρὰ Λακεδαιμονίων περὶ σπονδῶν κήρυκες, ἐμφανίζοντες ἅμα καὶ τὰς σφετέρας (Rav. προτέρας, corr. Rutherford) γυναῖκας, pro ἐμφανίζοντες de suo reponens ἀπαιτίζοντες (verbum in unico Odysseae loco occurrens), quae neque facilis est mutatio, neque apta, si contuleris fabulae locum quo respicitur vss. 999 sqq., ubi Lacedaemoniorum praeco minime gentium reposcit Lampitonem caeterasque, sed *quales sint indicat* (ἐμφανίζει), nempe coniurationis muliebris auctores. Conferatur notissima locutio ἐμφανίζειν ἑαυτόν, *prodere suam indolem.* Est autem hoc verbum proprium de legatorum relationibus et saepe occurrit in titulis aetatis hellenisticae, v. c. G D 5163 b, 7; 5167, 10; 5176, 6.

Lysistratae vs. 31 ἐπ' ὀλίγου γὰρ (τἄρ') εἴχετο.
Mihi quidem valde arridet Dobraei coniectura ὠχεῖτ' ἄρα, nec movet me dissimilis, quem editor affert, Herodoti locus VI 11 ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς ἔχεται ἡμῖν τὰ πρήγματα de vitio suspectus et ipse. Iam pridem ibi conieci legendum esse ὀχέεται.

Vs. 42. τί δ' ἂν γυναῖκες φρόνιμον ἐ ρ γ α σ α ί α τ ο,
ἢ λαμπρόν, αἳ καθήμεθ' ἐξανθισμέναι κτέ.

Haec omnium librorum lectio doctior videtur quam quae mero errori debeat originem, quare non ausim cum editore recipere Clementis Alexandrini scripturam ἐργασαίμεθα, cuius testimonium altero eius loco, ubi ἐργασαίατο recurrit, destruitur. Potius crediderim vs. 42 integrum e tragoedia aliqua (Euripidis?) a poeta petitum esse et lectionem ἐργασαίμεθα deberi alicui grammatico de vulgari syntaxi nimis sollicito.

Vs. 63. ἡ γοῦν Θεογένους
ὡς δεῦρ' ἰοῦσα τ ἀ κ ά τ ε ι ο ν ἤ ρ ε τ ο.

Facillima sane correctio pro τἀκάτιον ἤρετο (Rav.) (Cf. Meisterhans[3] p. 50), in cuius fidem miror Leeuwenium non attulisse Plutarchum de aud. poet. I (et alibi) ἀκάτιον (l. ἀκάτειον) ἀράμενον φεύγειν, licet h. l. de fuga praecipiti sermo non fiat. Suidae et schol. Rav. lectio vulgo recepta θοὐκάτειον (Hecatae signum) ita tantum vera esse potest, si quando constabit Acharnensium aliorumve mulieres rem graviorem aggressuras Hecaten consultasse. Quidquid scribitur, locus manet obscurissimus.

Vs. 84. ᾆπερ ἱ ε ρ ε ῖ ο ν τοί μ' ὑποψαλάσσετε.
Dialecti ratio postulat ἱ α ρ ε ῖ ο ν.

Vs. 106. π ο ρ π α κ ι σ ά μ ε ν ο ς φροῦδος ἀμπτάμενος ἔβα.
Non *oblitus* (sic v. Leeuwen), opinor, peregrinae dictionis, sed metro cohibitus, ita scripsit Aristophanes pro πορπακιξάμενος. Eodem sensu ipse Ach. 368 utitur verbo ἐνασπιδοῦσθαι.

Vs. 133. ἀλλ', ἀλλ' ὅ τι βούλει, κἤν με χρῇ, διὰ τοῦ πυρὸς
ἐθέλω βαδίζειν· τ ο ῦ τ ο μᾶλλον τοῦ π έ ο υ ς.
οὐδὲν γὰρ ο ἷ ο ν, ὦ φίλη Λυσιστράτη.

Adnotatum „τοῦτο] malim πᾶν τι, suspicor autem olim τοῦτο superscriptum esse voci οἷον, deinde huc irrepsisse." Satis sane probabiliter, sed praeterea haereo in mira breviloquentia μᾶλλον τοῦ πέους pro μᾶλλον τοῦ ἀπέχεσθαι τοῦ πέους, cum praesertim verbum ἀπέχεσθαι decem fere versuum intervallo hinc distet. Legitur enim vs. 124 ἀφεκτέα τοίνυν ἐστὶν ἡμῖν τοῦ πέους.

Quapropter videndum est annon poeta dedisse censendus sit vs. 134:

πᾶν τι μᾶλλον τουτουΐ.

ut etiam τοῦ πέους fuerit huius pronominis glossema.

Vs. 143. γυναῖκας ἐσθ' ὑπνῶν ἄνις ψωλᾶς μόνας.
In nota editor de ὑπνώττειν citat Eur. Cycl. 454, ubi codices habent ὑπνώσῃ a verbo ὑπνοῦν et ὑπνώσσῃ est Hermanni coniectura. Ὑπνώσσειν autem, quod extat Orest. 172, Aesch. Eum. 121, 124 Sept. 287, comparandum cum λιμώττειν, πυρέττειν, similibusque.

Vs. 149. εἰ γὰρ καθῄμεθ' ἔνδον ἐντετριμμέναι,
κἀν τοῖς χιτωνίοισι τοῖς ἀμοργίνοις
γυμνοὶ παρίοιμεν δέλτα παρατετιλμέναι,
στύοιντο δ' ἄνδρες κἀπιθυμοῖεν σπλεκοῦν,
ἡμεῖς δὲ μὴ προσίοιμεν ἀλλ' ἀπεχοίμεθα,
σπονδὰς ποιήσαιντ' ἂν ταχέως, εὖ οἶδ' ὅτι.

Saepius iam monui nec monere desistam contra syntaxin graecam peccare amici mei desideratissimi Halbertsmae προσείμεθ', quia in re identidem repetita necessario requiritur *imperfecti optativus*, qui numeris excluditur. Nihilominus infelicem coniecturam textui intulit vLeeuwen. Equidem ambigo reponendumne sit προσέχοιμεν, *adverteremus animum*, quae lenior ratio, an παρέχοιμεν, verbum de coitu admittendo usitatissimum et saepe in hac ipsa fabula obvium, quod propter sententiam longe praetulerim. Utrumque propter assonantiam ad ἀπεχοίμεθα aptissimum.

Vs. 175. ἀλλ' ἔστι καὶ τοῦτ' εὖ παρεσκευασμένον·
καταληψόμεθα γὰρ τὴν ἀκρόπολιν τήμερον.
ταῖς πρεσβυτάταις γὰρ προστέτακται τοῦτο δρᾶν,
ἕως ἂν ἡμεῖς ταῦτα συντιθώμεθα,
θύειν δοκούσαις καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν.

Suspectus mihi ultimus versus parum numerosus, quia τοῦτο δρᾶν referendum est ad verba καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν, quae continentur versu antecedenti καταληψόμεθα κτέ., itaque verba θύειν — τὴν ἀκρόπολιν e glossemate ad τοῦτο δρᾶν ficta videntur. Unde vero, obiecerit quispiam, eius auctor noverat mulieres

hoc praetextu in arcem adscendisse? Ex ipso Aristophane, respondeo, qui satis clare id significavit infra vs. 240 τίς ὠλολυγά; κτέ., quae vox sollemnis est de mulieribus in sacris ululantibus. — Pro πρεσβυτάταις non dubitaverim in textum recipere Lentingii emendationem πρεσβυτέραις, quia comparativus, qui passim a librariis cum superlativo confunditur, hic unice aptus est. Vana contra videtur Cobeti coniectura Aristophani ubique τὴν πόλιν pro τὴν ἀκρόπολιν reddendum esse; saepe enim plenior nominis forma in bonae aetatis titulis atticis legitur. Sed praegressa praepositione boni scriptores constanter sine articulo utuntur forma breviore.

Vs. 198. Φεῦ δᾶ, κτέ. Vide, si tanti est, quae s. v. δᾶ congessi in lexico meo suppletorio et dialectico pag. 182.

Vs. 201. ταύτην μὲν ἄν τις εὐθὺς ἡσθείη λαβών.
Nescio an εὐθύς artius coniungendum sit cum participio λαβών quam cum verbo ἡσθείη, ut sit *simulac* (poculum) *sumserit*. Ceterum cf. Alexidis fr. III 485, 4 Mein. ἅπαντες ὀρχοῦντ' εὐθὺς ἂν οἴνου μόνον | ὀσμὴν ἴδωσιν.

Vs. 262.
κατὰ μὲν ἅγιον ἔχειν βρέτας,
κατὰ δ' ἀκρόπολιν ἐμὴν λαβεῖν,
μοχλοῖς δὲ καὶ κλῄθροισί <μου>
τὰ Προπύλαια πακτοῦν.

Non solum κλῄθροισι et πακτοῦν, quae notat editor, paratragoediae indicia sunt, sed etiam articulus bis omissus ad substantiva βρέτας et ἀκρόπολιν.

Vs. 175. (Cleonymus) ἀπῆλθεν ἄψαλακτος, ἀλλ'
ὅμως Λακωνικὸν πνέων
ᾤχετο θὤπλα παραδοὺς ἐμοί κτέ.

Fortasse poeta de industria voce laconicae originis ἄψάλακτος (cf. vs. 84) utitur pro attica haec scribens de rege Spartanorum. Pro ψαλάσσειν atticum est ψηλαφᾶν.

Vs. 308.
τῆς ἀμπέλου δ' εἰς τὴν θύρχν κριηδὸν ἐμπέσωμεν,

κῆν μή, καλούντων, τοὺς μοχλοὺς χαλῶσιν αἱ γυναῖκες,
ἐμπιμπράναι χρὴ τὴν πυρὰν καὶ τῷ καπνῷ πιέζειν.

Digna fuisset, ni fallor, quae saltem commemoraretur vetus mea coniectura *'μβαλόντων*, i. e. *ἐμπεσόντων*, pro *καλούντων*, quod iusto debilius h. l. verbum est pro *βοώντων* sive *κεκραγότων*.

Vs. 315.

σὸν δ' ἔργον ἐστίν, ὦ χύτρα, τὸν ἄνθρακ' ἐξεγείρειν,
τὴν λαμπάδ' ἡμμένην ὅπως πρῶτον ἐμοὶ προσοίσεις.

Audacissime editor de sua coniectura dedit

καλῶς ὅπως ἐμοὶ παρέξεις.

Licet sententiae aptam esse non negem, nullam tamen adeo gravis mutatio, cuius origo explicari omnino nequit, habet *πειθανάγκην*, et longe aliud latere habeo persuasissimum. Et lenius et apte conieceris, ni fallor:

τὴν λαμπάδ' ἡμμένην ὅπως τοῖς πρεμνίοις προσοίσω.

Ligna quae infra vc. 336 *στελέχη* vocantur, hic apte *πρέμνοι* sive *πρέμνια* dici potuerunt. Illo v. c. utitur noster vs. 267 et Av. 321, hoc habet Hesychius: *πρέμνια· τὰ πάχος ἔχοντα ξύλα*, fortasse ex hoc ipso loco, ut *πρέμνα* citavit e vs. 267. Olim proposui *ὅπως τάχιστ' ἐμοὶ παρέξεις*, sed hoc longe praefero.

Vs. 340.

ὡς πυρὶ χρὴ τὰς μυσαρὰς γυναῖκας ἀνθρακεύειν.

Vitium metricum facillime sic tolli posse videtur, ut deleto glossemate *γυναῖκας*, corrigatur:

ὡς πυρὶ χρὴ τὰς μυσαρὰς ⟨τάσδε⟩ κατανθρακεύειν

quo ducit Leidensis codicis, qui saepissime laboranti textui subvenit, lectio *κἀνθρακεύειν*. In sequenti versu cum Bergkio malim *ἐγὼ ⟨'μ⟩πιμπραμένας*, quia Aristophanes abstinet a verbis simplicibus *πιμπράναι* et *πιμπλάναι*.

Vs. 395. *ἡ δ' ὑποπεπωκυῖ' ἡ γυνὴ ἐπὶ τοῦ τέγους*
„κόπτεσθ' Ἄδωνιν" Φησίν.

Adeo durum est iungere verba *Φησὶν ἐπὶ τοῦ τέγους* ut necessarium iudicem corrigere cum Meinekio *ἡ γυνὴ ἡ 'πὶ τοῦ τέγους* aut transponere *ἡ 'πὶ τοῦ τέγους γυνή*.

Vs. 398. *τοιαῦτ' ἀπ' αὐτῶν ἐστιν ἀκολαστάσματα.* Videndum est annon defendi queat Ravennatis lectio *τοιαῦθ' ὑπ' αὐτῶν κτέ.* = *τοιαῦτ' ὑπ' αὐτῶν ἀκολασταίνεται*, ut passim nomina verbalia graece sumunt verborum, unde ducuntur, regimina. Nam sin minus, praepositionem prorsus omissam esse expectares. Lectio cod. Leidensis *τοιαῦτ' ἀπ' αὐτῶν* facile nasci potuit ex simili initio vs. 406.

Vs. 416 sq. In adnotatione critica scribit vLeeuwen „*δακτυλίδιον* est *anellus*, *δακτυλῖδιον* vero *digitulus*". Hoc sane docet analogia, nec video quo pacto *anellus* aliter graece significari potuerit, verum tamen nusquam, quod sciam, neque in titulis neque in papyris hoc deminutivum scriptum extat. Quin aliquando ex inscriptionibus aut e papyris proditurum sit vix dubito.

Vs. 424. *φέρε τοὺς μοχλούς,*
ὅπως ἂν αὐτὰς τῆς ὕβρεως ἐγὼ σχέθω.

Sublimioris dictionis est *σχέθω*, quae forma aoristi (*σχεθεῖν* etc.) passim apud tragicos, nusquam alibi in comoedia aut apud scriptores pedestres occurrit. Probulus igitur auctoritatem suam vindicans grandiloquentiam affectare videtur.

Vs. 449. *οἴμοι κακοδαίμων. ἐπιλέλοιπεν* <*ὁ στρατός*>. Felicissima me iudice editoris coniectura pro *ἐπιλέλοιφ' ὁ τοξότης*, quam librorum scripturam glossatori deberi intellexit. Nam collective quidem dicitur *ἡ ἵππος*, *ἡ ἀσπίς* similiaque pro *οἱ ἱππῆς*, *οἱ ὁπλῖται* etc., dicitur etiam *τὸ ἱππικόν*, *τὸ τοξικόν*, *τὸ ὁπλιτικόν* etc., sed inaudita sunt *ὁ ἱππεύς*, *ὁ τοξότης*, *ὁ ὁπλίτης* pro numero plurali. Et festivissime *exercitum* probulus vocat paucos suos sagittarios.

Vs. 516. Prob. *κἂν ᾤμωξάς γ', εἰ μὴ 'σίγας.*
Lys. *τοίγαρ ἔγωγ' ἔνδον ἐσίγων.*

Adnotat editor „Brevius dictum est „*ἔνδον ἐσίγων*" pro „*ἐσίγων καὶ ἔνδον ἔμενον*".

Dissentire liceat. Lysistrata dicens *domi tacebam* indicat „sed foris libere eloquebar quae sentirem".

Vs. 517. Lys. <ταχέως δ'> ἕτερόν τι πονηρότερον βούλευμ' ἐπεπύσμεθ' ἂν ὑμῶν.

Ita de suo supplevit vLeeuwen, postquam Dobree αὖθις δ', Dindorf κᾆπειτ' proposuerunt. His omnibus mihi propter correctionis facilitatem praeplacet:

ἕτερον <δ' ἑτέρου> τι πονηρότερον κτέ.

Vs. 536. κᾆτα ξαίνειν ξυζωσάμενος,
κυάμους τρώγων·
πόλεμος δὲ γυναιξὶ μελήσει.

Nullam hic video difficultatem et prorsus repudio editoris coniecturam Φρύγων, quod quomodo probulus facere potuerit eo ipso tempore, quo *carminaret* aut *neret*, aenigmatis instar mihi est.

Vs. 598. Prob. ἀλλ' ὅστις ἐστὶ στῦσαι δυνατὸς —

Hanc librorum scripturam vLeeuwen emendare sibi videtur edendo de suo:

ἀλλ' ὅστις στύσασθαι δυνατὸς —.

Si suspectam cum ipso haberem formam στῦσαι, scriberem potius, quia verbi στύεσθαι frequentissimi nusquam alibi apparet aoristus,

ἀλλ' ὅστις στύεσθαι δυνατὸς —.

Sed non video quidni aoristus, si genuinus est, activus esse possit, quemadmodum ubique activa est perfecti forma ἔστυκα et inauditum est ἔστυμαι. Cf. v. c. ἵσταμαι, ἔστην, ἕστηκα. Omnino acquiescendum arbitror aptissimae (quam sibi consulens ineptam vocat) simul et lenissimae Florentis Christiani emendationi:

ἀλλ' ὅστις ἔτι στῦσαι δυνατὸς —.

De re cf. vs. 661 ὅστις γ' ἐνόρχης ἔστ' ἀνήρ.

Vs. 671.

Coryph. εἰ γὰρ ἐνδώσει τις ἡμῶν ταῖσδε κἂν σμικρὰν λαβήν,
οὐδὲν ἐλλείψουσιν αὗται λιπαροῦς χειρουργίας.

Editor adnotans „αὗται] sanum?" sensit opinor quam languide hic additum sit pronomen demonstrativum. Spero fore ut ipsi placeat quantum mihi αὖθις, *posthac*.

Vs. 695. *ἀετὸν*. Recipienda fuerat librorum scriptura *αἰετόν*, quam formam ante a. 300 a. C. unice genuinam constanter obtulerunt tituli attici (vid. Meisterhans[3] 31 N. 160; 33. 5), et saepe codices Aristophanei.

Vs. 699. *ὅστις, ὦ δύστην', ἀπήχθου πᾶσι καὶ τοῖς γείτοσιν* i. e. *ἄλλοις τε πᾶσι καὶ δὴ καὶ τοῖς γείτοσιν*.

Vs. 734. Mul. I. *ἀλλ' ἐῶ 'πολέσθαι τἄρι';*
Lys. *ἢν τούτου δέῃ*.

In responso de more malim: *ἢν τούτου* <*γε*> *δέῃ*. Particula fortasse expulsa est a grammaticis formae *δέῃ* synizesin ignorantibus.

Vs. 761. *κικκαβαζουσῶν*. Leeuwenium edere voluisse cum Dobraeo *κικκαβαζουσῶν* apparet ex adnotatione critica, sed fefellerunt virum oculatissimum typographi.

Vs. 851. Lys. *ἰδού, καλέσω 'γὼ Μυρρίνην σοι. σὺ δὲ τίς εὖ;*
Cin. *ἀνὴρ ἐκείνης, Παιονίδης Κινησίας.*

Obtemperandum fuerat Meinekio corrigenti *ἀνὴρ ἐκείνης*, quod etiam Blaydes recepit.

Vs. 940. *εἴθ' ἐκχυθείη τὸ μύρον, ὦ Ζεῦ δέσποτα.*
Efficacius Cinesiae morae remedium foret, si scriberetur:
εἴθ' ἐξεχύθη <*σοι* vel *πᾶν*> *τὸ μύρον, κτέ.*

Vs. 942. *οὐχ ἡδὺ τὸ μύρον μὰ τὸν 'Απόλλω τουτογί,*
εἰ μὴ διατριπτικόν γε κοὐκ ὄζον γάμων.

Ex his adeo gravibus Cinesiae querelis apparet Myrrhinen de industria non verum unguentum, quod in arce haud facile invenisset ut arbitror, ei praebuisse, sed nescio quid grave olentis liquoris.

Vs. 980. *πᾶ τᾶν 'Ασανᾶν ἐστιν ἁ γερωχία*. Praeter *γερωχία* = *γερωΐα* et *ῥυχάχετος* = *ῥυάχετος*, de quibus legatur docta editoris adnotatio, fortasse eodem pertinet glossa Hesychii *νεώχερμος· γῆ νεωστὶ εἰργασμένη*, coll. *χέρμα· ποίημα*, ut ha-

beantur haec vocabula pro laconicis = *νεώ(δ?)ερμος* et = *ἕρμα* (a verbo *ἕρδειν*), nec minus *χρεῦμα· ῥεῦμα* apud eundem = *ῥεῦμα*, pro qua glossa contra litterarum ordinem *χεῦμα* corrigebat Ruhnkenius, et in Russia pro omni *h* initiali ponitur *g*. Similiter plebecula Florentina pro *cavallo* modo *chavallo*, modo *havallo* pronuntiare consuevit.

Vs. 1013. *πωτάδμαι*. Sic (scil. *πωτάομαι*) Rav., sed fortasse praeferenda aliorum codicum lectio *ποτάομαι* (i. e. *ποτάδμαι*). Cf. lexicon meum suppletorium et dialecticum s. v. *ποτῆται* et *πωτάδμαι*.

Vs. 1031. *ἦ μέγ', ὦ Ζεῦ, χρῆμ' ἰδεῖν τῆς ἐμπίδος ἔνεστί σοι.* Tantum non certa mihi videtur Blaydesii emendatio *τοῦτ'* pro *τῆς*.

Vs. 1056. *ὅστις ἂν νυνὶ δανείσηται παρ' ἡμῶν,*
ἂν λάβῃ μηκέτ' ἀποδιδῶ.

Mihi quidem prorsus satisfacit Mazonis lenissima simul et facetissima emendatio:

ἂν λάβῃ γ' οὐ μὴ ἀποδῷ,

quae cur minus perspicua videatur Leeuwenio non intellego. Hanc multo potius in textum receperim quam ingentem ipsius editoris mutationem

μηδὲν ἀποδότω πάλιν

quae tam misere corrumpi potuisse quis quaeso sibi persuadeat?

Vs. 1078. *βαβαί. νενεύρωται μὲν ἥδε ... συμφορὰ*
δεινῶς τεθερμῶσθαι τε χεῖρον φαίνεται.

Egregie traditam lectionem tuetur et interpretatur vLeeuwen.

Vs. 1154. *καὶ ξυμμαχοῦντες* pro *ξυνεκμαχοῦντες* optima est editoris emendatio.

Vs. 1175. *ἐπὴν διαλλαγῆτε*. Ἐπὴν pro *ἐπειδάν* nusquam legitur in tragoedia, ter in comoedia, sed apud solum Aristophanem (praeter h. l. Av. 984 et 1355), nusquam in titulis atticis, ubi *ἐπάν* non occurrit ante a. 265 a. C. (cf. Meisterhans[3] p. 252).

Vs. 1238. ἐπῃνέσαμεν ἂν καὶ προσεπιωρκήσαμεν. Sine sensu, si audimus editorem, qui de sua coniectura substituit πρὸς ἀνεκροτήσαμεν, addens „lenior foret correctio ἐπεκροτήσαμεν, sed id apud Atticos non invenio." Non igitur Atticus est Menander, ex quo schol. Plut. 689 citat verba ἐξάραντες ἐπικροτήσατε? Quare, si quid mutandum, scripserim πρὸς ἐπεκροτήσαμεν. Et durum sane est nimisque artificiosum verba tradita sic interpretari: „non laudabamus tantum sed etiam per deos iurabamus haud temere nos id facere, i. e. peierabamus."

Vs. 1242. ὦ πολυχαρείδα, λαβὲ τὰ Φυάτήρια. Magis etiam laconicum sonat Φουάτήρια.

Vs. 1275. Ταΰγετον αὖτ' ἐραννὸν ἐκλιπῶά. Ἐραννός vox epica et aeolica est, sed vix dorica aut laconica, itaque communi omnium poetarum iure h. l. usus est Aristophanes.

Vs. 1280. ψιάδδοντ'. Vide, si tanti est, quae de hoc verbo congessi in lexico meo s. v. pag. 915 sq. Quo quia Lacones pro παίζειν utebantur et incertum est an praeterea παίδδειν usurpaverint, mox vs. 1291 potius παδῶᾶν (παδδοᾶν Rav.) scripserim cum Koenio, ut vs. 1295, quam παιδδω(ι)ᾶν cum editore ex parvae auctoritatis codice Parisino.

Vs. 1292. ἀγῆται δ' ἁ Λήδας παῖς. Fortasse praestat ἄγηται, perft., ut apud Pindarum Pyth. IV 218 πολλοῖσι δ' ἄγημαι σοφίας ἑτέροις et in tit. Syracusio GD 3230 ἀγημένων = ἡγουμένων. Similiter Herodotus (rarius Athenienses) ἥγημαι dicere solet pro ἡγοῦμαι.

Thesmoph. 1 sqq. Editoris loci constitutio et nota, quam exscribere longum est ad h. l., ut libere dicam, mihi quidem non satisfacit, nam ut verba χελιδὼν ἆρά ποτε Φανήσεται sint notae cantilenae initium, quod contendere quam demonstrare

facilius est, ea verba minime „laetum et alacrem animum" sed contra tristem ac demissum et paene despondentem exprimunt, nec aliud significare videntur quam: „Num umquam ex his tam gravibus molestiis emergam", ita ut non tam procul a sententia aberraverit ad h. l. scholiasta quam vLeeuwen arbitratur, licet non *χειμῶνα* (tempestatem) *κακῶν*, sed veram *hiemem* imagini subesse existimem. *Ecquando ver apparebit?* figurato dictum pro *Numquamne miseriis liberabor?* quid quaeso absoni habet aut absurdi? Nec vero verba vs. 3 *οἷόν τε, πρὶν τὸν σπλῆνα κομιδῇ μ' ἐκβαλεῖν*, quae non minus quam reliqua *affinis* impatientiam indicant, alta voce dicta secundum ipsum editorem, novae loci constitutioni favere contendere quisquam poterit.

Vs. 12. *τοῦ μήτ' ἀκούειν μήθ' ὁρᾶν εὖ ἴσθ' ὅτι.*
Spurium esse nemini facilius vLeeuwen persuadebit, quam mihi persuasit, qui ante hos XX vel plures annos idem, idque non semel, ni fallor, contenderim.

Vs. 46. *πτηνῶν τε γένη κατακοιμάσθω,*
θηρῶν τ' ἀγρίων πόδες ὑλοδρόμων
μὴ λυέσθων.

Frustra speraveram, id quod nemo mihi explicuit neque umquam potui intelligere, Leeuwenium mihi expediturum esse quid hic sibi velit addita negatio. Notissimo enim inde ab Homero usu *solvi membra* dicuntur animantium, quae aut *moriuntur* aut *animo deficiunt* aut, quod hic requiritur, *obdormiscunt*. Fallebarne igitur olim corrigens *ὑπολυέσθων*? Nihil hic tamquam in re expeditissima adnotavit editor.

Vs. 74. *οὐ χρῆν σε κρύπτειν, ὄντα κηδεστὴν ἐμόν.*
Si quid mutandum, lenius corrigas *σε κρύπτειν* <*μ'*>, quod eodem redit, quam cum Leeuwenio *με κρύπτειν* (*σ'*). Si quid mutandum: saepe enim apud scriptores graecos et romanos in re per se satis perspicua pronomen obiecti omissum esse videbis.

Vs. 80. *ἐπεὶ τρίτη 'στι Θεσμοφορίων ἡ μέση.*
Absurdam lectionem haud improbabiliter editor correxit scribendo *ἐπεί ἐσθ' ἑορτή, κτέ.* Ipse olim suadebam *ἐπεί 'στιν ἥδε* vel *ἠδὶ Θ. ἡ μέση.*

Vs. 117. *σέβομαι κλῄζουσα σεμνὸν*
γόνον ὀλβίζουσα Λατοῦς
Ἄρτεμιν ἀπειρολεχῆ.

Miror asyndeton *κλῄζουσα ὀλβίζουσα*. Num forte fuit:

σεμνὸν
γόνον ὄλβι<όν τε> Λατοῦς κτἑ.?

Vs. 120. *†Λατῶ τε, κρούματά τ' Ἀσιάδος*
ποδὶ παράρυθμ' εὔρυθμα Φρυγίων†
δινεύματα Χαρίτων.

Recte verba non certa ratione sanabilia, ut in libris extant, edidit vLeeuwen. Hoc tamen perspicere mihi videor prima verba *Λατῶ τε* esse dittographema eorundem in vs. 123

σέβομαι Λατῶ τ' ἄνασσαν

et olim in lacuna fuisse imperativum iungendum cum subst. *κρούματα*, v. c.

<κροῦσόν τε> κρούματ' Ἀσιάδος.

Cf. *ἄεισον* vs. 116.

Vs. 206. *ἰδού γε „κλέπτειν". νὴ Δία βινεῖσθαι μὲν οὖν*
ἀτὰρ ἡ πρόφασίς γε, νὴ Δί', εἰκότως ἔχει.

Ut altero loco *νὴ Δία* optime se habet, ita priore dubito an rectius legatur:

ἰδού γε „κλέπτειν". μὰ Δία, βινεῖσθαι μὲν οὖν

scilicet furari! non ita per Iovem, imo subagitari. Facillime prior versus ex posteriore potuit corrumpi.

Vs. 232. *οἴμοι κακοδαίμων, ψιλὸς αὖ στρατεύσομαι.*

vLeeuwen de Blaydesii coniectura pro *αὖ* dedit *οὖν*, adnotans tamen „an *εἰ*?" Diligentius si meas copias perscrutatus esset, vidisset etiam hanc correctionem, quam hodieque praefero, dudum a me occupatam esse.

Vs. 240. *πλήν γ' ὅτι κάομαι* et 280 *καομένων.*

Veteris Atthidis esse *καίειν*, non *κάειν* docent tituli. Cf. Meisterhans[3] p. 178, 24, ut *αἰετός* etc. Idem valere de verbo *κλαίειν* suspiceris, licet hucusque desint lapidum testimonia, quae aliquanto firmiora sunt, ut arbitror, quam codicum aut serorum grammaticorum.

Vs. 284. ὦ Θρᾷττα, τὴν κίστην κάθελε, κτέ. Obscurissimum mihi est, quo argumento editor tueatur h. l. verbum καθελεῖν, quae enim *in capite gerimus* non *depromimus*, sed *deponimus*, κατατιθέμεθα, non καθαιροῦμεν, itaque hodieque necessariam arbitror veterem meam coniecturam κατάθου, quod verbum labem passum est e subsequenti ἔξελε. Aperte non sufficit lenior Bergkii mutatio καθελοῦ coll. Vesp. 936, ubi de *depromendo*, non ut h. l., de *deponendo* sermo fit.

Vs. 288. ἔχουσαν fortasse recte defenditur a coniecturis.

Vs. 294. sitne spurius, ut Meinekio fortasse non temere videbatur, an genuinus haud dirimam, sed neutiquam mihi persuasit editor perhibens versu 293 σὺ δ' ἄπιθ', ὦ Θρᾷττ', ἐκποδὼν „orationem desinere apte non posse".

Vs. 498. οὐδ' ἐκεῖν' εἴρηκέ πω
ὡς ἡ γυνὴ δεικνῦσα τἀνδρὶ τοὔγκυκλον
ὑπ' αὐγὰς οἷόν ἐστιν, ἐγκεκαλυμμένον
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν, οὐκ εἴρηκέ πω.

Locum corruptissimum non male sic refinxit editor:
οἷον πρὸς αὐγάς ἐστιν (cum Blaydesio), <ἐκ τῆς οἰκίας>
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν <οὐχ ὁρώμενον>.

Verba οὐκ εἴρηκέ πω librarii errore repetita ante eum delens ipse in unum versum duos contraxeram scribendo:
ὡς ἡ γυνὴ δεικνῦσα τἀνδρὶ τοὔγκυκλον
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν ἐγκεκαλυμμένον

abiectis etiam verbis ametris ὑπ' αὐγὰς — ἐστιν, quae ad versum supplendum interpolata esse suspicabar. Leeuwenio utrum recte necne haec ita nimis abrupte narrari videantur, aliorum esto iudicium, verum hoc facile ei concedo participium ἐγκεκαλυμμένον ferri non posse, „nam aut nihil proderat adultero caput obvolvisse, si tamen cerneret eum maritus, aut si non cerneret, inutilis".

Quare nunc proposuerim:
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψε τὸν κεκρυμμένον

quae scripta more antiqua τὸγ κεκρυμμένον facillime in ἐγκεκαλυμμένον, quod nemo interpolator facile de suo additurus

fuisset, abire potuerunt. Interea vide annon sufficiat sine articulo scribere ἐξέπεμψεν ἐγκεκρυμμένον.

Vs. 574. Φίλαι γυναῖκες, ξυγγενεῖς τοὐμοῦ τρόπου.
[ὅτι μὲν Φίλος εἶμ' ὑμῖν, ἐπίδηλος ταῖς γνάθοις]
γυναικομανῶ γὰρ κτέ.

Scite vLeeuwen observat, nisi hic vs. cum Cobeto deleatur, voculam γάρ non habere quo referatur. Addo, si genuinus esset, poetam non paucis post versibus similiter (sed quanto melius!) iocaturum fuisse:

τί δ' ἔστιν, ὦ παῖ; παῖδα γάρ σ' εἰκὸς καλεῖν,
ἕως ἂν οὕτως τὰς γνάθους ψιλὰς ἔχῃς.

Vs. 616. στραγγουριῶ γάρ· ἐχθὲς ἔφαγον κάρδαμα.

Otiosae quam editor commemorat Lentingii coniecturae χθὲς γὰρ vel hoc obstat, quod, ut olim Meineke, ni fallor, observavit, brevior forma χθές nusquam apud Aristophanem numeris postulatur.

Vs. 655.

ἡμᾶς τοίνυν μετὰ τοῦτ' ἤδη τὰς λαμπάδας ἀψαμένας χρὴ
ξυζωσαμένας εὖ κἀνδρείως τῶν θ' ἱματίων ἀποδύσας
ζητεῖν εἴ που κἄλλος τις ἀνὴρ ἀνελήλυθε, κτέ.

Quamvis satis leni, perinfelici tamen coniectura editor pro verbis corruptis substituisse mihi videtur τῶν θ' ἱματίων ἀμελούσας, quia τ. ἱ. ἀμελεῖν recte tantummodo dicuntur qui pallia exuta non induunt, sed hic sermo est de mulieribus, quae quo expeditiores fiant, pallia deponant, itaque multo probabilius me iudice Blaydes proposuit καὶ θαἰμάτι' <ἐξ>αποδύσας. Nihil enim me movet quod hoc composito lexica (quae continuo novis compositis augentur et augebuntur) hucusque carent, quoniam passim apud poetas verba composita cum duplici praepositione (ἐξαπο) variant cum iis, quae cum sola praepositione ἀπό copulata sunt. Ceterum, etiamsi plerumque „non promiscue usurpari ἐκδύειν (*uitdoen*) et ἀποδύειν (*afdoen*)" facile Leeuwenio assentiamur, non semper anxie utrumque verbum distingui docere videtur Lysistratae locus 1021 sqq., ubi mulierum duci dicenti

ἀλλὰ τὴν ἐξωμίδ' ἐνδύσω σε προσιοῦσ' ἐγώ

coryphaeus respondet:

τοῦτο μὲν μὰ τὸν Δί' οὐ πονηρὸν ἐποιήσατε·
ἀλλ' ὑπ' ὀργῆς γὰρ πονηρᾶς καὶ τότ' ἀπέδυν ἐγώ,

ubi quod expectes ἐξέδυν metro excluditur.

Quamquam hoc ad nostrum locum vix pertinet, ubi ἐξαποδύσας non idem quod ἐκδύσας sed quod ἀποδύσας significabit.

Vs. 719. ἀλλ' οὐ, μὰ τὼ θεώ, τάχ' οὐ χαίρων ἴσως
ἐνυβριεῖ κτέ.

Non solum ἐνυβρίζειν, ut animadvertit vLeeuwen, est sublimioris dictionis, sed etiam οὐ χαίρων, cui formulae dictio comica et vulgaris constanter addit voculam impersonalem τι (οὔ τι χαίρων), neque minus synizesis vocis θεός, qua tragicis usitatissima comoedia abstinet.

Vs. 743. τί μ' εἰργάσω.

Bonae aetatis tituli attici docuerunt augmentum imperfecti et aoristi verbi ἐργάζεσθαι non ει esse, sed η, ει contra perfecti reduplicationem. Cf. Meisterhans[3] pag. 171, 11. Unica exceptio a. 325 a. C. κατειργάσθησαν fortasse iam est τῆς κοινῆς.

Vs. 799. οὕτως ἡμεῖς ἐπιδήλως
ὑμῶν ἐσμὲν πολὺ βελτίους. βασανός τε πάρεστιν ἰδέσθαι.
βάσανον δῶμεν, πότεροι χείρους. κτέ.

Pro verbis procul dubio depravatis editor dubitabundus proponit καὶ μὴν βάσανός γε πάρεστι vel βάσανον δ' ἔξεστι παρασχεῖν, quae apta quidem sententiae sunt, sed a traditis iusto remotiora. Ipse tentaverim:

βασάνου ⟨δ' ἥν πού⟩ τι δέησθε,
βάσανον δῶμεν, κτέ.

Vs. 811. κλέψουσα pro κλέψασα est evidens Leeuwenii emendatio, quam olim h. l. tentantem me fugisse miror et hodie pudet.

Vs. 822. τἀντίον vox editori suspecta „quod vox aliunde non sit cognita". Quot igitur vocabula graeca suspecta sunt!

Vs. 841. *κόμας καθεῖσαν.*
Fortasse haud inutile est observare constanter antiquos et probos scriptores in hac similibusque formulis uti verbo activo, sequiores vero iuxta hoc plerumque forma media *καθίεσθαι.*

Vs. 874—883. Mireris mulierem probe atticam confundere nomina diversissima Πρωτεύς et Πρωτέας. Num igitur poeta *surdam* eam fingere censendus est? Videndum an vs. 974 *ποίου Πρωτέα* vel *Πρωτέου* corrigendum sit pro *Πρωτέως*. Nam sibimet ipsa certe constare debebat. Iam olim hac de re monui, sed nihil adnotat ad h. l. editor.

Vs. 889. *τί δὴ σὺ θάσσεις κτέ.*
„Verbum *θάσσειν* poeticae est dictionis". Ita est; item *θακεῖν*: quo magis mireris substantivum *θᾶκος* = *θρόνος* nec pedestrem sermonem (Xenophontis et Platonis) aspernari nec comoediam (Ran. 1511. 1518. Nub. 980, in heroico versu Cratin. II 18, 4 Mein.). — Θοάζετε a Sophocle O. R. 2 dici potuisse pro *θαάσσετε*, i. e. *θάσσετε*, semper dubium admodum mihi visum est et potius cum Hermanno Suidae interpretationem *θοῶς προσκάθησθε* amplectendam esse censeo.

Vs. 1004. *οἴμοι κακοδαίμων, μᾶλλον ἐπικρούεις σύ γε.*
Cur vLeeuwen malit *ἐπέκρουσας* prorsus me latet.

Vs. 1181. *Φέρε θοἰμάτιον ἄνωθεν, ὦ τέκνον, τοδί,*
καθιζομένη δ' ἐπὶ τοῖσι γόνασι τοῦ Σκύθου
τὼ πόδε πρότεινον, ἵν' ὑπολύσω.

Primum versum, in quo nihil corruptum videtur praeter *ἄνωθεν*, immutatum relinquere me iudice multo praestat quam cum editore in textum recipere gravissimam Blaydesii mutationem *Φέρε* <*νυν*> *κατάθου θοἰμάτιον*, quae verba quo pacto sic corrumpi potuerint, nemo facile expediat. Vix autem dubito quin sub depravato vocabulo delitescat imperativus aliquis. Fueritne

Φέρε θοἰμάτιον ἄνες μέν, ὦ τέκνον, τοδί,

quod dubitabundus propono dictum eo sensu, quo vernaculo sermone dixeris *„laat schieten, laat vallen, maak los"*, an aliud lateat, aliorum esto iudicium. Hoc unum video, facillimam hanc esse neque ineptam mutationem.

Locis quam plurimis mihi convenire cum sagacissimo et doctissimo collega tam interpretem quam criticum agenti vix opus est dicere. Quia vero merum assensum significare nihil habet utilitatis, de his quidem (paucos supra tetigi) silere praestiterit. Coniunctis viribus ut maior semper ubique lux affulgeat obscurioribus corruptisve veterum scriptorum locis hoc opus, hic labor esto!

DUAE COBETI CORRECTIONES INEDITAE IN SCYMNUM CHIUM.

Immortalis magister meus tam eleganter litteras Graecas exarabat, ut ne ab optimis quidem calligraphis Italis saeculi XV ea in re superaretur, nec quisquam eius discipulorum hodie vivit quem manus Cobeti alicubi facta obviam punctum temporis fallere possit.

Nuper autem in manus mihi venit eximiae Scymni editionis, quam Meineke curavit Berolini a. 1846, exemplar, quod Leovardiae asservatur in Bumae quae dicitur bibliotheca (A 107), procul dubio oriundum ex ipsa Cobeti librorum collectione.

Ad carminis initium

πάντων ἀναγκαιότατον ἡ κωμῳδία,
θειότατε βασιλεῦ Νικόμηδες, τοῦτ' ἔχει
τὸ καὶ βραχέως ἕκαστα καὶ φράζειν σαφῶς
καὶ ψυχαγωγεῖν πάντα τὸν ὑγιῆ κριτήν

in margine dextra Cobeti manu (plumbo, ut solebat) adnotatum reperio *φράζ'' καὶ*, quae procul dubio vero est emendatio.

Non minus probandam arbitror eiusdem correctionem marginalem ibidem ad vs. 343 *ᾗ δὴ* pro codicis lectione *ἤδη*, unde *οἳ δὴ* fecerat Boissonade, quod in textum dubitabundus recepit Meineke, alia ipse coniciens, ut mihi quidem videtur, minus probabilia.

Tertiam his adderem Cobeti coniecturam in vs. 521

τὸ πρὸς μεσημβρίαν δὲ καὶ νότον κλίμα

ubi in margine superiore adnotavit *κλῖμα καὶ νότον*, nisi invito magistro me hoc facturum esse persuasum haberem, quippe qui optime novisset, quod in scholis suis docere solebat, aetate hellenistica substantiva in $\overline{\mu\alpha}$ brevem habere paenultimam.

H. v. H.

AD LIVIUM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

T. Livi ab urbe condita Libri.
Ed. A. Zingerle 1885.

XXI. 5. 8: *adortique Hannibalem regressum ex Vaccaeis haud procul Tago flumine, agmen grave praeda turbavere. Hannibal proelio abstinuit castrisque super ripam positis, cum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, amnem vado traiecit valloque ita producto, ut locum ad transgrediendum hostes haberent, invadere eos transeuntes statuit.*

Rerum igitur ordo hic fuit:

1. Hostes adorti Hannibalem agmen eius turbant
2. Hannibal proelio abstinuit
3. posuit castra super ripam
4. amnem vado traiecit
5. vallum ita produxit ut locum ad transgrediendum hostes haberent.

In quibus recensendis mirum videtur admodum, Hannibalem cum agmen eius turbaretur neque tamen iustum proelium ille inire vellet, castra ponendi invenisse occasionem: exspectares eum ab hostium incursionibus suos protexisse, donec tegentibus tenebris discedere atque amnem traicere liceret. Sed fac, revera eum tam propinquis hostibus castra muniendi opus et supervacuum et periculosum susceptum perfecisse, quid deinde? *Amnem vado traiecit valloque ita producto ut* e. q. s. At priusquam vallum productum esse auctor inferret, sane narrare debuit factum illud esse, cuius valli productio tantummodo pars fuit

exigua; dico: Hannibalem amne traiecto *castra posuisse.* Ita iam in hac ripa id factum videmus quod in illa, ubi hostes erant, factum esse minime videtur credibile; itaque verba quae sunt *castrisque super ripam positis* loco, ubi nunc leguntur, nihili sunt, alibi opus est iis quam maxime. Quae cum ita sint, sic locum restituendum esse censeo: *Hannibal proelio abstinuit. Cum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, amnem vado traiecit, castrisque super ripam positis valloque ita producto, ut* e. q. s.

XXI. 6. 4: *Hannibali denuntiarent, ut ab Saguntinis, sociis populi Romani, abstineret, et Carthaginem in Africam traicerent ac sociorum populi Romani querimonias deferrent.*

Vocabula *in Africam* addita esse videntur ab homine, ne quis de Carthagine nova cogitaret, metuente, cum praesertim in eodem capite haec sint: *legatique .... Saguntum ad Hannibalem atque inde Carthaginem, si non abstineretur bello, ad ducem ipsum in poenam foederis rupti deposcendum.*

XXI. 28. 12: *excidere etiam saevientes quidam in flumen; sed pondere ipso stabiles deiectis rectoribus quaerendis pedetentim vadis in terram evasere.*

Verba *deiectis rectoribus* non suum locum obtinere puto, quippe quae ita quidem posita omni sensu cassa videantur. Nempe e lectione tradita effeceris aut elephantos alias stabiles esse si haberent rectores, tunc vero pondere ipso, aut beluas deiectis rectoribus pedententim vada quaesivisse, cum rectoribus insidentibus flumen raptim percurrere solerent. At referenda verba sunt ad sententiam, quae proxime antecedit, nam deiecerunt rectores eo, quod saeviebant, vel eo, quod ipsi in flumen excidebant e rate elephanti, neque dubito quin ita verba transponenda sint: *excidere etiam saevientes quidam in flumen deiectis rectoribus, sed pondere ipso stabiles quaerendis pedetentim vadis in terram evasere.*

XXI. 34. 1: *ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude et insidiis, est prope circumventus. magno natu principes castellorum oratores ad Poenum veniunt, alienis malis, utili exemplo, doctos memorantes amicitiam malle quam vim experiri Poenorum.*

In his verbis v. d. H. W. van der Mey putidum emblema unum iam sustulit, sc.: *utili exemplo* (in Mnemosynes Vol. XX p. 224), risum movere observans legatos ultro philosophantes Hannibalemque docentes felicem esse quem faciant aliena pericula cautum. Equidem alterum quoque quam primum tolli malim, quod est *fraude et insidiis*. Verba *non bello aperto* satis diserte indicant, quales artes fuerint quas praeterea in huius libri capite IV § 9 fuse scriptor exposuit. Accedit quod XXII. 16. 5: *nec Hannibalem fefellit suis se artibus peti* sine interpretamento illo scriptum est.

XXI. 53. 2: *restitutos ac refectos militibus animos, nec quemquam esse praeter conlegam, qui dilatam dimicationem vellet; eum animo magis quam corpore aegrum memoria vulneris aciem ac tela horrere.*

Quantocius vocabula *memoria vulneris* inducantur, ascripta ab aliquo, qui cum Cornelii aegritudo sibi non satis spectata esset, tandem eius causam detexisse sibi visus est et puerile inventum nescio an cum gloriatione aliqua in margine memoriae prodidit. Cf. XL. 56. 9: *sed animo tamen aegrum magis fuisse quam corpore constat.*

XXIII. 4. 1: *hoc modo Pacuvius cum obnoxium vitae beneficio senatum multo sibi magis quam plebi fecisset, sine armis, iam omnibus concedentibus, dominabatur.*

Si non illico cuivis pateret verba *vitae beneficio* prorsus inutilem, immo molestissimam, verborum antecedentium *hoc modo* interpretationem esse, ipse locus quo nunc posita iustum ceterorum verborum ordinem interrumpunt, iam ostenderet insiticia ea esse quamque primum eicienda e contexta oratione.

XXIII. 5. 8: *coeptumque propter vos cum Samnitibus bellum per centum prope annos variante fortuna eventum tulerimus.*

Hoc loco cognito assentiendum non videtur editoribus, qui ad XXIII 13. 4: *quod si, id quod di omen avertant, nunc quoque fortuna aliquid variaverit* adnotant, vocabulum *aliquid* exemplum esse accusativi pronominis neutrius generis, adverbialiter ad verbum intransitivum vel passivum positi. Cuius rei cum permulta apud Livium exstent exempla, tum verba *fortuna aliquid*

variaverit pro argumento afferre non licet. Ceterum de verbo variandi apud nostrum Riemann (Etudes etc. p. 204) egit, quem unus locus XXIII. 13. 4 fugisse videtur.

XXIII. 5. 13: *his infandis pastos epulis, quos contingere etiam nefas sit,* e. q. s.

Aliquando ad Curt. V. 12. 18: *Artabazus cum his, qui imperio parebant, Graecisque militibus Parthienen petebat, omnia tutiora parricidarum contuitu ratus* haec ascripsi: Quid parricidarum contuitus nocere potuerit Artabazi militibus non video, sed potius contactu scribendum arbitror (Progr. Gymn. Leid. 1894 p. 24). Bentley olim contubernio — Hedicke comitatu coniecerat, Stangl edidit convictu. Locus Livianus meam coniecturam haud parum confirmat neque minus Taciteus, qui est in Hist. II. 60: *simul ceterae legiones contactu et adversus Germanicos milites invidia bellum meditabantur.* Cum praesertim codices mss. praebeant *contuitu,* non leviter in editione mea Curtiana a. 1897 meam coniecturam recepisse etiamnunc mihi videor.

XXIII. 9. 7: *vultum ipsius Hannibalis, quem armati exercitus sustinere nequivere, quem horret populus Romanus, tu sustinebis? ut ab aliis auxilia desint, me ipsum ferire corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis sustinebis?*

Idem verbum spatio tam exiguo ter repetitum: *sustinere* — *sustinebis* — *sustinebis* lectionem traditam in suspicionem adducere potest, at vero quicumque cognoverit verba *sustinere nequivere* e coniectura scripta esse, *ut* a Drakenborchio pro codicis ms. *it, ab aliis* a Mayerhoefero pro *alis* esse restitutum, ei magis etiam verbi triplex repetitio suspecta videbitur. In codice ms. est: *sustineren,* quod iam I. F. Gronovius in *sustinere nequeunt* — postea Woelfflin in *s. nequivere* mutavit. At si semel observaveris, bis deinde verbum iterari, non iam id agendum esse putabis, ut infinitivus *sustinere* quoquo modo servetur, sed multo magis contendendum ut e scriptura *sustineren* aliquid eruatur quod Livius scribere potuerit. Quibus consideratis attentione dignissimum est id quod Weissenborn monuit, fieri posse ut noster scripserit *timuere,* cl. VI. 8. 5, VII. 33. 17.

XXIII. 11. 3: *Pythio Apollini re publica vestra bene gesta servataque de lucris meritis donum mittitote deque praeda, manubiis spoliisque honorem habetote; lasciviam a vobis prohibetote.*

Weissenborn, servata lectione tradita: *lucris meritis*, ablativum absolutum esse credidit sic explicans: si lucra feceritis, si dignos vos iis reddideritis. Deinde cum Riemanno praepositionem excidisse maluit. Quae medendi ratio — nam locum vitio laborare satis manifestum est — mihi quidem semper visa est perversissima: *Lucra* illa *merita* nunc quodammodo explicantur, sed probabiliter numquam. Accuratius oraculum considerantes videmus moneri Romanos ut de praeda, i. e. de manubiis spoliisque, Apollini honorem habeant — qualem vero? nempe sollemnem. Honor ille usu satis erat definitus sive vicesima sive decima fuit (cf. Preller I. p. 351). Donum tamen, quod re publica bene gesta servataque mittere iubentur, prorsus indefinitum est, qua de causa pro *lucris meritis* aliquid restituendum esse puto quale est: *pro tantis meritis* vel *pro eius meritis.*

XXIII. 14. 2: *M. Iunius Pera .... praeter duas urbanas legiones .... et servorum dilectum .... ad ultimum prope desperatae rei publicae auxilium, cum honesta utilibus cedunt, descendit edixitque* e. q. s.

Et locus, ubi leguntur, et verbi tempus satis ostendunt, verba *cum honesta utilibus cedunt* in marginem releganda esse, unde quondam in contextam orationem irrepserunt. Cf. ea quae ad XXI. 34. 1 observavi.

ib. § 7: *plebs novarum, ut solet, rerum atque Hannibalis tota esse metumque agrorum populationis et patienda in obsidione multa gravia indignaque proponere animo.*

Quid est: *plebs metum agrorum populationis proponebat animo*? Weissenborn adnotat *metumque a. p.* scriptum esse pro *populationem — metuendam* et conferri iubet IV. 21. 6: *metum vastitatis.* Sed hic locus nihil ad nostrum, nam legitur ibi: *Pestilentior inde annus — tantum metum vastitatis in urbe agrisque fecit, ut* e. q. s. Potuit plebs agrorum populationem animo sibi proponere, sed non metum ipsum, itaque emendare velim *metuensque,* quo facto sententia fit haec: plebs metuens i. e. dum metuebat,

animo proponebat agrorum populationes et multa gravia indignaque, quae patienda sunt in obsidione.

XXIII. 47. 8: *huic pugnae equestri rem — mirabilem certe adiciunt quidam annales: cum refugientem ad urbem Tauream Claudius sequeretur, patenti hostium porta invectum per alteram stupentibus miraculo hostibus intactum evasisse.*

Vocabulum *miraculo* deleatur ut ab aliquo adscriptum ac deinde male in textum receptum cui non satis liqueret verbi *stupentibus* significatio. Miraculum fuit, Claudium ex hostium urbe incolumem evasisse, non fuit, quod patenti porta in eam invectus est. Si Livius verbum *stupentibus* illustrare voluisset, addidisset *tanta audacia* vel tale quid.

XXIV. 8. 5: adversus Gallum quondam provocantem in ponte Anienis T. Manlium fidentem et animo et viribus misere maioris nostri. *eandem causam haud multis annis post fuisse non negaverim, cur M. Valerio non diffideretur adversus similiter provocantem arma capienti Gallum ad certamen.*

De insolito verborum ordine constat inter editores omnes, quorum verba *ad certamen* alii ad *arma capienti* — alii ad *provocantem Gallum* referenda esse monent — P. R. Mueller (Jahrb. f. Class. Phil. 1868 p. 48) verba *ad certamen* ut glossema inducenda esse censuit. At fugit virum doctum his verbis deletis vocabulum *Gallum* transponi necesse esse inter vocabula *adversus* et *similiter*. Cum vero causa nulla sit, cur de loco suo id nomen detrusum esse credamus, verba *ad certamen* inducta locum nostrum minime reddunt luculentiorem. Verum nuper vidit E. H. Renkema, litt. class. in nostra Universitate candidatus et discipulus mihi dilectissimus. Rectissime perspexit expungenda esse verba *Gallum ad certamen,* ita ratiocinatus: cum in sententia, quae proxime antecedit, scripserit auctor *adversus Gallum quondam provocantem,* ad verba *adversus similiter provocantem* idem non iterum nomen *Gallum* addidit, at addidit librarius, qui èt hoc interpretamentum èt illud *ad certamen* de margine iuxta et male in textum recepit. Quae cum ita sint, quam primum rursus in marginem relegentur.

XXV. 6. 1: *hi permissu Lentuli primores equitum centurionum-*

que et robora ex legionibus peditum legatos in hiberna ad M. Marcellum miserunt.

Robora peditum iungenda esse editores fere monent, sed haec non est apta oppositio primoribus equitum centurionumque, cum hi quoque pedites fuerint. Exspectaveris: robora e legionariis, quod nescio an Livius verbis *robora ex legionibus* reddiderit, vocabulum *peditum* adiectum esse credo quo *robora ex legionibus* disertius opponerentur primoribus *equitum.*

XXV. 18 i. f.: *Crispinus equum armaque capta et cruentam cuspidem insignis spoliis ostentans cum magna laude et gratulatione militum ad consules est deductus laudatusque ibi magnifice et donis ornatus.*

Verba *insignis spoliis* si post *ostentans* legerentur, ferri possent; ita vero, cum praesertim cruenta cuspis ipsius Crispini sit, loco ipso coarguuntur.

XXV. 41. 3: (Marcello) *instruente exercitum decem effusis equis advolant ex hostium acie Numidae nuntiantes populares suos .... quieturos in pugna. gens fallax promissi fidem praestitit. itaque et Romanis crevit animus nuntio celeri per ordines misso, destitutum ab equite hostem esse,* e. q. s.

Miror neminem adhuc perspexisse, verba *gens fallax promissi fidem praestitit* Livio abiudicanda esse atque deberi alicui qui iam ea quae sequuntur perlegisset. Narrationis cursum totum turbant, nam èt rei eventum intempestive praecipiunt èt faciunt ut omnia, quae deinde narrantur, *itaque et Romanis* cet. cum antecedentibus minime cohaereant et prorsus iam facta sint supervacua. Contra deleto additamento demum omnia bene procedere videbis.

XXVII. 27. 3: *Numidis speculator, nequaquam in spem tantae rei positus, sed si quos vagos pabuli aut lignorum causa longius a castris progressos possent excipere, signum dat, ut pariter ab suis quisque latebris exorerentur.*

Editores alii pro *possent* scribendum censuerunt *posset,* scilicet ut et ad *posset* et ad *positus* subiectum esset *speculator,* sed *possent* non mutandum esse, verum pro *positus* emendandum *positis* nuper vir doctus quidam sagaciter perspexit.

ΟΔΥΣΣΕΥΣ.

SCRIPSIT

J. VÜRTHEIM.

Versus τ 399—466 optimo iure a variis editoribus ut a loco alienos et postmodo insertos obelo esse notatos infitiabitur nemo. E quibus versibus illi, opinor, quam maxime lectorem movent memoriaeque repositi manent, ubi Autolycus nepotis originem nominis explicat hisce verbis:

πολλοῖσιν γὰρ ἐγώ γε ὀδυσσάμενος τόδ' ἱκάνω,
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶν ἀνὰ χθόνα πουλυβότειραν·
τῷδ' Ὀδυσεὺς ὄνομ' ἔστω ἐπώνυμον.

Ecquis est quin hanc etymologiam seriori imputet aetati? Neque miramur ardorem quo veteres in celeberrimi herois nomine explicando desudarunt, nam nos quoque δαιμόνιον illud nomen cruciavit sescenties. Varia autem post conamina Fick-Bechtel in lexico de nominibus propriis derivationem a stirpe δυκ reiecerunt, quam si probassent, equidem de vocis significatione nil doctior abiissem.

Kretschmeri vero librum „Die griechischen Vaseninschriften" quicunque vel raptim percurrit mirabundus notabit modos varios quibus pictores appictis literulis Ulixis imaginem designarunt accuratius. Nam praeter vulgatum illud „Ὀδυσσεύς" reperiuntur Ὀλυττευς, Ὀλλυττευς, Ὀλυτευς, Ὀλυττης, Ὀλυτευ, Ὀλυσσευς, Ὀλισσευς, Ὠλυσσευς. Singula vascula e museorum catalogis indicare, cum facili negotio apud Kretschmerum inveniri possint, nunc supersedeo. Observavit v. d. p. 146: „die attischen Vasen bieten den Namen Ὀδυσσεύς vorwiegend in der Form Ὀλυττεύς oder Ὀλυσσεύς." Suspicatur praevaluisse formam populari e lingua petitam, quam opinionem corroboratam iudicat testa quadam in Cabirio Thebano reperta, cui nomen simile est inscriptum

(Mitt. Ath. Inst. 1890). Mutavit igitur lingua popularis literam δ in λ, vel potius (nam nullum aliud inveni exemplum praeter glossam hesychianam λάφνη· δάφνη. Περγαῖοι) iuxta formam Ὀδυσσεύς exstitit altera Ὀλυσσεύς.

Revera Eustath. ad Iliad. p. 289. 39 commemoravit: ὁ Ὀδυσσεὺς δέ που Ὀλυσσεύς καὶ ἡ Ὀδύσσεια Ὀλύσσεια; nec non apud Quinctil. I, 4, 16 legimus: „sic Ὀδυσσεύς, quem Olissea fecerant Aeoles ad Ulixen deductus est." Formae quoque graeco-italica Οὐλίξης (Plut. Marc. 20) et romana *Ulixes* demonstrant Graeciae in partibus occidentalibus herois nomen per λ non per δ esse pronuntiatum.

Ecquid forma Ὀλυσσευς est antiquior, ab Aeolibus creata, servata in ore popelli, sed docta fere oblitterata pronuntiatione quae e verbo ὀδύσσομαι stirpem petebat? Si annuis, herois nomen a stirpe λυκ derivandum esse, conicere pergo. Nam o initiale quod apud viros ἐτυμολόγους audit o formativum (lautlicher Vorschlag) item reperitur in nomine proprio „Oileus" cuius formam alteram „Ileus" tradiderunt Hesiodus, Stesichorus, Pindarus. Annon ipse Zenodotus in homericis scribi maluit Ileus? (schol. N 203 A; cf. schol. O 336 Twl.). Qua de re copiosam doctrinam sedulo collectam reperies apud Rzach Hesiod. fr. 116.

Decretum quoque aetolicum (B. C. H. VI 469; debeo locum Bethio Neue Jahrb. 1904 Part. prim.) pro Creticae urbis nomine Ὄαξος tradidit Ϝαξος, quod oppidum tam ex inscriptionibus quam e Stephano nobis innotuit sub forma Ἄξος.

Tertium praebet exemplum Hesiod. Theog. 617 ubi iuxta Βριάρεως exstat lectio altera a Rzachio accepta Ὀβριάρεως.

Quare, si haec omnia non prorsus ad vanum redigunt peritiores, nomen Ὀλυσσευς vel potius Ὀ-λυκ-ϳευς interpretor „*Lucidum*", „den Lichtenden". Quod arridebit iis praesertim, qui cum Seeckio et aliis in Odysseae nucleo latere mythum solarem persuasum sibi habeant. Neque fortasse abs re erit observasse Ulixi indidisse nomen avum Αὐτόλυκον; illum igitur, cuius nomen, si Usener non frustra disputavit de radice λυκ (lucēre), posthac trademus „*ipsam Lucem*". Venantur autem et Autolycus et Ulixes ad Parnassum montem Soli semper sanctum; luctantur ibi cum apro, qua venatione antiqui saepius expresserunt certamen tenebras inter et lucem.

COMMENTUM AELI DONATI AD TERENTIUM.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

(*Continuantur e pag.* 128.)

II.

DE QUATUOR SCHOLIORUM INTERPOLATORIBUS PRAETER PHILOSOPHUM.

§ 1. Magister A.

Quod in prima huius disquisitionis parte promisi [1]), id nunc praestabo, ut scholiorum interpolatores persequar, qui praeter illum, quem Philosophi nomine distinxi, satis certo indicari possunt.

Initium facio ab illo, quem appellabo A cuiusque quasi facies omnium facillime discernitur. Est fidus Achates Donati, obsequens et modestus, qui illius adnotationes varie adfirmat, amplificat, breviter repetit, nihil novi ipse usquam addere ausus nisi inventu facillima. Adiunxit additamenta sua per particulas ergo, nam, enim, et est, id est, al. Non necesse est ut omnia eius scholia describam, sed subsistam in fine Act. III. Ea scholia, quae genuinum Donati medium interrumpunt, nulla opera agnoscuntur et pleraque iam indicata sunt a Wessnero.

1) Mnemos. XXXII p. 211.

a. Scholia per „ergo".

Prol. 6 Don. (2): „Qui" pro ut. A: *ergo non est modo* (= hoc loco) *pronomen.*

Notavit Wessnerus.

24 Don. (2): „Favete". Quasi dicat: haec adversarii faciunt, vos autem, quod in vobis est, favete. A addidit: *vos ergo favorem facite.*

Notavit W.

25. Don. (3): „reliquum" quasi diceret „postremum" — *est ergo quasi adverbium* — id est *τὸ λοιπόν.*

Notavit W.

I 1, 13 (8): Ergo „haud muto factum" non me paenitet facti. Repetit haec conclusio id, quod Don. dixit in (2).

15 (3) Ergo „adversum te" dixit pro apud te. Cf. (1).

Uterque locus (13 et 15) probare videtur magistrum A iam Philosophi aliorumque interpolationes, quae praecedunt, ante oculos habuisse.

28 (1) „Quod plerique omnes faciunt adulescentuli" haec adiectio dicitur in primo posita loco — *adiectiones vero aut in prima parte orationis aut in ultima adiciuntur, hic ergo „plerique" ex abundanti positum est, „omnes" vero necessario additum est* — ut alibi (Eun. I 2. 5) „iam calesces plus satis"; in ultimo, sicut (Eun. I 2. 46, Heaut. II 3. 16) „interea loci", *id est interim.*

Sic optime locum expressit Wessnerus. Verba cursiva τοῦ A scindunt denuo scholium concinnum Donati et in fine explent.

Ibid. (5) „Quod faciunt" pro „quae faciunt", id est: quae faciunt plerique adulescentuli, horum ille nihil egregie p. c. s. *est ergo figuratum, quod rectum esset, si diceret: quae plerique omnes faciunt adulescentuli, horum ille nihil praeter cetera studebat.*

Sic Wessnerus. Cursiva pertinent ad A, qui doctrinam de figurato sumpsit e scholio (2), cuius posterior saltem pars Donati est. Sed etiam quae praecedunt: id est .... egregie p. c. s. a Donato abiudicanda sunt, secundum quem in (1) et ad Eun. I 2. 5 „plerique omnes" non intelligendi sunt plerique, ut est

in hoc scholio, sed omnes adulescentuli, idque probavit, ut vidimus, A (1). Igitur „id est" sqq. alii denuo tribuenda sunt. Hinc etiam initium, „quod faciunt" pro „quae faciunt", a Donato adiudicaverim; secundum hunc „quod" erat figurata locutio, nihil amplius, quam illustravit exemplis in (2).

31 Horum ille nihil egregie praeter cetera studebat.

Don.: egregium dicitur, quod ex grege eligitur, sed hic „egregie" valde, nimis. A: non est ergo ad laudem positum: haec, inquit, ut cetera, similiter studebat.

42 Don.: artificiose „triennium" dixit, cum posset plus minusve temporis ponere, ut sit verisimile unum annum fuisse pudicae parcaeque vitae, sequentem condicionis acceptae, tertium mortis. Ex hac idonea triennii distinctione aut A aut alius magister, nisi fuit ipse Philosophus, ansam cepit ludendi ita: *primo ergo anno ignorata est Pamphilo domus Chrysidis, secundo est Glycerio cognitus, tertio nupsit Glycerium Pamphilo et pariter invenit parentes.*

Interpolationem iam notavit W.

50 „Unus et item alter": praeter unum duo, ex quibus alter, ut sint tres, nam „hi tres simul amabant" (vs. 60), ut Vergilius (Ecl. VIII 39) „alter ab undecimo". A conclusit: ergo alter non est secundus sed tertius.

Eugraphius verbose, ut vulgo, similia praebet et exemplum Vergilianum. Servius ad l.l.: „id est tertius decimus, „alter" enim de duobus dicimus".

91 Unam aspicio adulescentulam

Don.: ex consuetudine dixit „unam", ut dicimus „unus est adulescens": tolle „unam" et ita fiet, ut sensui nihil desit, sed consuetudo admirantis non erit expressa. A: „unam" ergo τῷ ἰδιωτισμῷ (= consuetudine) dixit.

I. 2. 29 Bene „lege atque omine", quia leges auspiciis servatis ferebantur — *ergo sic intellige, quasi diceret: ea condicione* — et antiqui auspicato omnia faciebant, quae rata esse vellent.

Sic optime haec distinxit W. Iam agnoscimus auctorem interpolatoris.

33 Bona verba, quaeso

Don.: εὐφημισμός, quasi dicat: meliora loquere, rogo te. A: ergo cum admonitione „bona verba", inquit, rogo te.

I 3. 2 (3) Quae si non astu providentur

Don.: provisio rerum duas significationes habet: providemus enim nobis tam bonum negotium quam malum; malum, sicut si quis eminus veniens telum providerit atque caverit. A: ergo hic „providentur" caventur, vitantur. Idem (4): est ergo μεταφορά, confer. praec. vv. Donati.

I 5. 35 „Egon istuc conari queam"? (1): ideo sic Pamphilus, quia illa invidiose non „deserere cogaris", inquit, sed „deseras". (2): non perficere sed conari: velle aliquid ad scelus effectio (corrige affectio coll. Cic. de Off. III 29) est, etiamsi non potest fieri; hic enim voluntas, non factum damnatur, ut Vergilius: ausi omnes immane nefas ausoque potiti (VI 624).
A (3): ergo „conari" levius est quam facere.

Descripsi haec omnia non tantum ut appareat scholium (3) pertinere ad Donatum in (1), sed etiam ut novum scholium Philosopho vindicem, quem deprehendimus in (2) propter non — sed et propter exhibitionem doctrinae a loco Terentiano prorsus alienae atque exemplum ineptum.

II 1. 10 Tu si hic sis aliter sentias

Don.: „hic" gestu scaenico melius commendatur, nam haec magis spectatoribus quam lectori sunt.. *„Hic" ergo se ipsum ostendens dicit.*

Interpolationem iam notavit W.

33 Aut tu aut hic Byrria

Don.: „hic" δεικτικῶς: quasi efficaciorem ostendit. A: ergo ad comparationem alterius refertur.

III 1. 3 Don.: simpliciter dixit: „ab Andria est" pro „Andriae est", nam ex usu sic dicere solemus. A: ergo „ab Andria est" hoc est: „Andriae est". Sequitur scholium Philosophi per an.

III 2. 2 „Signa esse ad salutem": deest „haerentia" aut „pertinentia"; sic in Heautontimorumeno (I 2. 23) „atque haec

sunt ad virtutem omnia", — (2): absolute ergo dixit, ut desit aliquid tale. — unde et nos dicimus quid ad rem? vel quid ad me.

Dividitur Donati scholium conclusione lineolis indicata.

III. 3. 1 Si. Iubeo Chremetem ... Chr. O te ipsum quaerebam

(2) Ferme aliquid iubere velle est — *„iubeo" ergo: volo.* (3) *Et deest: „salvere", quod opprimitur ab alterius personae interventu* — ut Vergilius (V 386) reddique viro promissa iubebant.

Interpolationes notavit W. Prior per ergo debetur τῷ A, altera per deest peculiari magistro tribuenda est, quem postea cognoverimus.

38 Principio amico filium restitueris,
Tibi generum firmum et filiae invenies virum

Don. breviter: „principio", nec intulit „secundo". A conclusit: restitueris — invenies, ergo ἀνακόλουθον duplex.

44. Ipsus mihi Davus, qui intumust eorum consiliis, dixit

Don.(?) [1]): rhetorice adnotat: est commendatio testis, ut „in foro modo e Davo audivi" (vs. 302). Addidit A: ergo „ipsus" quasi qui maxime sciat.

III 4. 27. Utinam mihi esset aliquid hic quo nunc me praecipitem darem!

Don.: Non dixit „gladium" aut „laqueum" ne esset tragicum. A: Ergo bene pressit dicens „praecipitem darem".

IV 1. 54. Si quid praeter spem evenit

Don.: „evēnit" producta magis, quia hoc perpetuo non vult accidere Pamphilo. A: Ergo „evēnit", non „eveniet" aut „evĕnit" media correpta.

IV 5. 14 [2]). Exemplum Donati e Ciceronis Verr. II 87: „ita habeantur itaque dicantur" cum versu Terentiano comparans adnotavit A: *„habita" ergo plus est quam „dicta"*.

Locum notavit W.

---

1) Huiusmodi scholia rhetorica a Donato adiudicanda esse videbimus.

2) Reliqua huius magistri scholia per ergo inveniuntur IV 3. 11 (3), 4. 24. V 4. 34.

b. Scholia per „nam", „enim".

I 1. 1 (6) Sosiae persona protatica est — *non enim usque ad finem perseverat* — ut est Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis et Syrae.

Verba a Wessnero iam inclinatis litteris expressa quasi glossema sunt τοῦ A. Eiusdem notae sunt quae sequuntur:

2 (1) Don.: „adesdum", „ades" imperativum est, „dum" παρέλκον. *Est enim productio.* Notavit W.

13 (2) „Haud muto factum" Donatus recte adnotat: vetuste: non me paenitet. Noster fuit, opinor, qui adiecit: nam si quid paeniteret infectum velle dicebant. Hoc autem derivasse videtur ex exemplo Donati in (7) „nollem factum" (Ad. II 1. 11). Eidem supra (p. 288) tribui schol. (8) per ergo.

30 „Aut ad philosophos": mira ἔλλειψις est et familiaris Terentio. Sic Donatus, unde A: nam possumus subaudire „audiendos" sive „sectandos". Haec supplementa recte se habent, sed Donatus talia nusquam addit, nisi ubi prorsus sit necessarium.

42 „Interea mulier" e. q. s. Don.: hic digressio est (cf. Eugraphius ad h. l.), addidit A: nam proposuit gnati vitam dicere. Cf. quae modo scripsi ad vs. 30. Supra vidimus (p. 289) etiam schol. (4) ab eodem auctum esse adnotatione per ergo.

93 „Ut nihil supra" ἔλλειψις Terentiana. A: nam non necesse est subiungere duos versus. Solus A huius modi supplementi duorum vss. a quibusdam, ut videtur, temptati memoriam nobis servavit. Cf. Hartman de Ter. et Don. p. 131.

102 „In ignem imposita est" ἔλλειψις. A: non enim quae.

119 „Pro uxore habere hanc peregrinam": ut alibi (III. 1. 11) „adeone est demens? ex peregrina?" Sic Don., sed A: nam hoc nomine etiam meretrices nominabantur, — quod sumpsit ex Donati adnotatione ampliore ad III 1. 11.

121 „Ita tum discedo": proprie, — non enim „abeo" — unde discessio. Interpolavit A.

125 Prope adest cum alieno more vivendumst mihi

Don.: „cum" pro quando. A: hoc enim significat „cum". Supplementa magistri, ceteroquin non stupidi neque indocti, nonnumquam tam puerilia sunt, ut in tironum usum, quibus Terentium et Donati scholia interpretaretur, dictata esse credas[1]).

I 3. 6 (4) „Primum iam": ὑφέν. Sic simpliciter Donatus, ut I 2. 9: „necopinantis": ὑφέν. A perperam addidit: est enim ἀναστροφή pro iam primum. De hac figura vide Donatum ad I 1. 144.

I 5. 7 Id mutavit, quia me immutatum videt?

Don.: παρόμοιον. A: nam quotiens verba sunt παρόμοιον dicitur, quotiens nomina, παρονομασία, — quae sumpsit a Donato ad I 3. 13: amabant veteres de proximo similia dicere, ut Cicero (exempl. Verr. IV 27), et quidem si in verbis sunt παρόμοια dicuntur, si in nominibus παρονομασίαι. Denuo A ad IV 4. 37 post Donati vv.: „de proximo παρόμοιον repetivit", subiunxit: „*quando nomina sunt* π α ρ ο ν ο μ α σ ί α, *quando verba*, π α ρ ό μ ο ι ο ν *dicitur*", quam interpolationem iam notavit W.

56 (7) „Te obtestor" sextum παρέλκον. Addit A: dixit enim iam „quod ego te per hanc dexteram oro" (vs. 54) [2]).

II. 1. 28 Char. Sed si id non potest aut tibi nuptiae haec sunt cordi

Don.: hoc (scil. postrema vv. „aut tibi" sqq.) ad Pamphilum pertinet, non enim unum et idem est (nempe cum eo quod praecedit „si i d n. p."). Addit A: nam si idem esset, „tibi nuptiae hae sunt cordi" supervacuum esset additum.

II 3. 13 Nempe hoc sic esse opinor: dicturum patrem
„Ducas volo hodie uxorem"; tu „ducam" inquies

Don. (?) rhetorice: ab imitatione. A: *mimesis enim dicitur*. Verba notavit W.

II 6. 4 „Nihil prorsus" dicitur in quo nulla est ambiguitas. A: est enim confirmatio negantis.

---

1) Hinc eidem magistro alia fortasse leviora scholia addici possunt, quale est e. g. I 3. 5 (5): subauditur timeo.

2) Cf. supra I 1 2.

5 „Hoc male habet virum": εἰρωνικῶς „virum" dixit defessum senem — *modo* [1]) *enim ioculariter dixit „virum"* — „vir" enim modo ad vituperationem cum ironia, modo ad laudem sumitur sine ironia.

Interpolatio a W. notata est.

22 „Meorum aequalium potissimum": aequalium <ab> aetate, potissimum a dignitate. A: *etenim potis potior potissimus facit.*

Interpolationem notavit W., sumptam a Donato ad II 6. 6: est autem nomen potis et facit potior potissimus.

III 2. 6 „Scitus" elegans, pulcher, quam Graeci κομψόν dicunt. A: *quod enim quis scit, hoc scitum et pulchrum est.*

Notavit W.

III 3. 17 Quasi si illa tua sit Pamphilique ego sim pater

Don.: Nota suavissimam varietatem. A: non enim dicit „quasi illa tua sit et ille meus".

V 4. 52 (4): „Haud ita iussi": sic enim praeceperat: „quadrupedem constringito" (V 2. 24). A breviter repetit initium Don. (2) [2]).

c. Scholia per „et est", „id est", aliasque particulas et formulas.

Haec quoque scholia eidem modesto interpretatori Donati et asseculae reddenda esse ipsorum natura demonstrabit.

I 1. 10 Don.: „Mihi" ἔμφασιν habet. A: quod mihi libertus factus sis, non filio.

48 Lana et tela, victum quaeritans

Don. (1): Subdistingue „tela", finis enim laboris est „victum quaeritans", ut Vergilius: „cum femina primum" e. q. s. (Aen.

---

1) Modo sic positum apud Donatum significat hoc loco, sequitur hunc usum magister A.

2) Reliqua scholia per nam et enim inveniuntur IV 2. 2, 25. 2 (in medio Don.), IV 3. 14 IV 5. 8 (nam πρὸς). V 2. 7 (non est enim), 29 (assum. est enim). V 3. 8 (nunc enim), 26 (nam deditio).

VIII 408 sq.), — et deinde (i. e. post „tela") finem laboris intulit.

Postrema „et deinde ... intulit" ab A addita videntur.

54 Ut una esset

Don. (4): „Una" simul. A: id est: una cibum capturus. Cf. vs. 61.

100 Don. (2): „Funus" a funalibus dictum est, ut supra (81) notavimus. A: et est funus pompa exsequiarum. Repetivit hoc indidem.

108 Ut consuetum facile amorem cerneres

Don.: Mire non „suspicarere" dixit sed „cerneres". Pergit tironibus A: et est ordo: „facile cerneres".

120 Don. (3): „Ille instat factum": Plautus: „instare factum simia" (Merc. II 1. 18), et est ἀρχαϊσμός. A: „instat factum" vetuste, id est: instat dicere factum esse.

Talia igitur non ab excerptore Aelii Donati repetenda sunt, sed ab eiusdem commentatore.

129 Ea primum ab illo animadvertenda iniuria est

(1): Nota participium a passivo „animadvertenda", id est castiganda ac vindicanda est.

(2): „ab illo ... iniuria", id est quam facit, non quam patitur.

(3): „Ea p. a. i. an.": ut iam hoc sit peccatum, quod recusat nuptias, non quod amat adulescens. — Ideo ergo „primum" dixit.

(4): „animadvertenda i. e.": vindicanda, exsequenda.

(5): *Et* bene „ab illo" dixit „iniuria", certissimam enim notavit personam, quae debeat pro iniuriis poenas solvere. Quodsi dixisset „iniuria eius", amphiboliam fecisset, utrum, quam passus est ab alio an, quam ipse aliis intulit.

Ex his scholiis sanum Aelii iudicium et doctrina agnoscitur in exegetico (3) et in grammatico (5), praeterea ex semasiologicis ei dandum videtur (4) propter formam magis exquisitam „exsequenda". A ad (3) conclusiunculam addidit: Ideo ergo pr. d., quam redactor commenti perperam illic inseruit, cum pertineat ad (5). Denique (1) fere repetitio est scholii Don. (4),

sed ita ut pro „exsequenda" magister ille, qui ideo A non fuisse videtur, suum inventum substituerit. De hoc igitur postea videbimus.

131 Ut per falsas nuptias vera obiurgandi causa sit
Don. nihil amplius dedit quam: „ἀντίθετον", sic enim solet in huiusmodi formulis, cf. IV 5. 3, al. A interpretatur: quia „falsas" dixit, intulit „vera".

144 „I prae". Don.: figura ἀντιστροφή. A: quod nos „praei" dicimus. Cf. p. 293, I 3. 6.

I 2. 10 „Oscitantes". Don. (3): oscitatio est animi otium et securitas, dicta ab ore ciendo. (4): „oscitantes" securi, id est nihil providentes Hoc alii potius magistro tribuerim, qui non tam anxie Donati vestigia pressit, de quo postea.

I 2. 30 „An nondum etiam". Don.: quartum παρέλκον. A: quia abundat etiam. Cf. I 1. 2.

I. 3. 5 „Opitulor". Don. (4): Opitulatio dicta ab opem tollendo. A: hoc est ferendo.

12 Don.: „Operae pretium" dicitur de mirificis et laudabilibus, nam et ea quae magna sunt, etiamsi mala, tamen admiramur et libenter audimus. A: et hoc pretum est operae i. e. audiendi.

I 5. 5 Quod verbum audio!
Don.: „verbum" pro ἀξιώματε more suo posuit. (Cf. I 1. 18). A: *id est „uxorem dare" quod ait* (vs. 3). Notavit W.

36 Exemplum a Donato citatum ex Eunucho I 1. 20: „egone illam, quae illum, quae me", explicatur ab A: *„quae illum" id est amat, „quae me" id est non amat.* Notavit W.

51 „Huius formam atque aetatem". Don. (4): duplex causa commendationis, formae et aetatis. Parum opportune addidit A: et supra: „una forte adspicio adulescentulam forma" (I 1. 91).

54 „Quod te per hanc dexteram". Don.: „quod" propter quod, ut „quod te per superos" (Aen. II 141). A: *et ordo: „propter quod oro"*. Notavit W., et vide supra ad I 1. 108.

60 (6) „Te isti virum do amicum tutorem patrem" apparet (scil. eam solemniter dare), quod iungens dexteras haec dicebat.
A: ideo et supra „per hanc dexteram obtestor" (vs. 54).

II 1. 10 Praeter interpolationem supra (p. 290) indicatam, duo aliae etiam ad magistrum A revocandae videntur, quas notavit W:
(2) *Pro: atque eccum Pamphilum,* et dein: *ut si dicas: sapiens sed miser: hoc enim discretivum erit.*

II 1. 15 (3). Si „quidni" legeris, subaudiendum „adeas". A: ut sit, „quidni adeas, ut" e. q. s.

31 (5) „Id gratiae poni (pro: apponi) sibi" addi in gratiam suam. Quod A adscripsisse videtur: „id est: sibi gratiam mereri" — nititur falsa lectione „poni".

32 Nuptias effugere ego istas malo quam tu adipiscier
Don.: Interposita distinctione vultuose hoc dicitur. A: *hoc est cum gestu.* Notavit W.

II 3. 7 (7) „Dictum ac factum": proverbium celeritatis. A: id est cito.

24 Ne resciscat mi esse ex illa cautiost
Don.: cautione opus est. A: hoc est, cavendum est.
Igitur in huiusmodi scholiis altera adnotatio non est repetitio scholii Donatiani nec debetur excerptori alteri, sed interpretatio est illius.

II 4. 7 (3) et (4): „Commutaturum patrem ‹unum esse verbum›" iurgium habiturum, — *hoc est enim „verba commutare"* —[1]) altercaturum; in Phormione sic (IV 3. 33): „tria non commutabitis verba hodie inter vos" — quod est dabitis atque accipietis, id est, iurgabitis.
W. iam distinxit interpolationem priorem, ego addidi posteriorem, non minus certam per quod est.

II 6. 4. Post (1) et (2), quae constituunt scholium unum

1) Exclusi lemma „commutaturum". Ad Phorm. l.l. Don. similiter: proprie „v. c." est quod altercari dicimus.

continuum Donati, A pergit: et est εὐφημισμός antiquorum pro „nihil".

III 2. 13 Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Don.: δύο δι' ἑνός cito (i. e. oratione festinata). A: et „fallere" et „aperte".

28 (2) et (3) Id ego iam tibi renuntiabo, ere, futurum" Don. (2): „re" syllaba apud veteres interdum abundat, ut modo — *renuntio pro nuntio* — et Cicero „renuntiatur mihi" (Verr. II 149).
Interpolationem notavit W. Ex hac autem et consimilibus interpolationibus verisimile fit, magistri additamenta stetisse olim in margine commenti alicuius Donatiani (iam ab excerptore contracti?) idque cum sigillo indicante locum quo pertinerent, eaque deinde in textum fuisse recepta.

III 3. 40 „Quid istic?" Don.: concedentis et veluti victi verbum, tamquam si diceret „quid?" A: abundat „istic".

IV 1. 29 „Cum patre altercasti": legitur et „altercatus es". Donatus lectionem variam indicare solet, per „legitur et", quod praetervidens A inscite adscripsit: non enim alterco dicimus.

IV 2. 11 „Per omnes tibi adiuro deos". Don.: „ad" auctiva particula est, ut admirabiliter valde mirabiliter, *et adverto, addo*. Cf. IV 1. 39 (3).

14 „Hanc nisi mors mihi adimet nemo". Don.: perseverat (nempe in ea modestia, quam Don. designavit ad vs. 13 (4) et (5)), ne dicat „pater". A: pro: non adimet pater.

IV 3. 3 „Amicum amatorem virum". Don.: Amicus animi est, amator corporis: non enim continuo amator et bene vult, ut Dido amavit quidem Aeneam, sed non et amica fuit, quae ait: „non potui" e. q. s. (Aen. IV 600), et idem Catullus (72. 8): „cogit amare magis, sed velle minus".
Elegantissimo scholio Donati A perperam addidit: „et est hic officium et blandimentum", — neutrum est, sed exprobratio Pamphili, qui descivit ab amore et amicitia.

13 Quia, si forte opus sit ad erum iurato mihi [1])
Don.(?): Sic locutus est, ut explicari atque intelligi non possit: aut enim deest „ius", ut sit: ius iurandum. — *Iurandum pro iusiurandum* — aut ut vulgo dicitur „iuramentum".

Interpolationem notavit W.

IV 5. 5 „Sed quos perconter video". Don.: Interrogatio est, cui necessario respondetur aut etiam aut non, percontatio, cui nihil horum, ut si quis dicat: ubi habitabat Chrysis? dicatur: ecce hic. — *Percontatio, ut si quis dicat: cur adulterium commisisti?* — Simul etiam modeste et mature et de se nihil interrogaturus coepit a blandimentis.

Verba notavit W. Inter duo scholia Donati se insinuavit adnotatio alicuius magistri, qui A esse potest.

15 „Nunc me hospitem lites sequi". Don.: et „me" et „hospitem" et „lites sequi" mire dicit, — *„me" cum emphasi, id est senem et remotum a litibus, „hospitem" hoc est peregrinum, „lites sequi" id est pauperem* — totum <μετ'> ἐμφάσεως.

Lepidum exemplum, quomodo magister breve scholion Donati tironibus explicuerit. Verba notavit W.

19 „Grandiuscula iam profecta est". Don.: ad partem aetatis refertur grandis, — *id est: grandis natu est* — maior autem generaliter et ad summam aetatis refertur et ad comparationem aetatis pariliter positum.

Notavit W. Postrema vv. „par. pos." non intelligo.

V 1. 15 „Per ego te deos oro u. n. a. i. i. c." Don.(?) rhetorice: defensio per coniecturam. A: et est ordo: per deos oro te ego.

18 „Ubi ea causa quam ob rem haec faciunt". Don.: *ἀνακόλουθον*, nam non intulit „ob quam causam", cum supra dixerit „ea causa", sed quasi dixerit „ubi ea res", intulit „quam ob rem". A: aut „rem" abundat, aut „causa".

V 2. 14 „Nescio quis senex modo venit". Don.: bene „nescio quis": etenim si notus esset, videretur gratificari. Donati verbum „gratificari" sic interpretatus est A: *id est gratiosus esse testis et minus verus.* Notavit W.

---

1) Cf. lectionis varietas apud Umpfenbach.

V 3. 6 „Num cogitat" e. q. s. Don. (4): ut solent irascentes, avertit orationem a secunda ad tertiam personam. A: ab ea cum qua loquebatur ad aliam.

16 „Sollicito". Don.: sollicitam reddo. A: id est contristo et perturbo.

V 4. 10 „Ac meretricios amores ‹nuptiis conglutinas?›" Don.: Peius lenocinio crimen ingessit, non amicam facere de meretrice, sed coniugem. A: „nuptiis conglutinas" hoc gravius est lenocinio.

27 „Rhamnusium". Don.: Piraeum, Rhamnus et cetera huiusmodi maritima Atticae proprie intellegenda sunt. A: Rhamnus pagus Atticae est.

V 6. 3 „More hominum evenit" e. q. s. Don.: Quia fama mali celerior est quam boni. A: id est: ut facilius mala quam bona nuntiantur.

Satis exemplorum dedisse mihi videor ut cognoscatur ludi magister, non tam Terentii quam Donati interpres fidelis et modestus, aeque diversus a Philosopho atque ab aliis interpolatoribus ad quos iam transeo. In his autem distinguendis non tam certa res erit, cum non ita inter se differant, ut alter ab altero liquido discerni semper possit.

Initium facio ab illo, quem insignibo littera B. Dictiones ellipticas, etiam simplicissimas, sedulo indicare studuit, usus certis formulis: d e e s t, d e e s t ... u t s i t, aliis, et non raro plura supplementa suppeditavit ac saepe minus apposita.

§ 2. Magister B („deest").

Prol. 10. 4 (4). „Utramvis", deest „harum".

I 1. 2 „Paucis ‹te volo›". Deest „colloqui" aut „verbis", et est figura *σύλληψις*. Postrema tantum: „e. f. σ." Donati sunt, cf. ad vs. 20, III 5. 1, V 2. 3 et 29.

3 Nempe ut curentur recte haec? Immo aliud

Don.: (2) „haec" *δεικτικῶς* — et (4): bene **ἀντέθηκεν τῷ**

nempe τὸ immo. B: (3) „nempe ut curentur" deest „vis", ut sit: „nempe vis"; idem post (4): et deest „volo".

7 (3) „Exspecto quid velis". „Don.: „exspecto", desidero, ut Vergilius: „exspectate venis" (Aen. II 283). B: (4) „quid velis" deest „scire", nam si dixisset „quod velis", nihil desideraret. Supplementum et reddita ratio aeque inepta sunt. Ceterum quod habet „desideraret" id indicat eum hoc subiunxisse scholio Donati.

25 Liberius ‹vivendi›". Don.: non est comparativus gradus, non enim libere ante vivere potuit „dum aetas metus magister prohibebant" (vs. 27), *ergo deest „aliquanto", ut sit „aliquanto liberius"*. (2): „vivendi" deest „ei".
Prius additamentum, quod falsa continet, iam deprehendit W.

34 Adprime in vita esse utile ut ne quid nimis
(4): deest „agas", ut sit „n. q. n. agas".

38 Numquam praeponens se illis, ita ut facillume
Sine invidia laudem invenias et amicos pares
Magister ignarus sermonis comici (cf. Spengel ad h. l.): „ita ut" deest faciens, volens, agens.

55 „Egomet continuo mecum": deest volvebam, cogitabam, versabam.

56 (6) „Observabam": deest tamen, hoc est: quamvis captus erat et iam habebat (cf. praecedentia „certe captus est, habet"), tamen observabam. Falsum.

111 „Nec satis ad obiurgandum causae": deest habui vel erat, ut Vergilius: „nec sat rationis in armis" (II 314). Haec Donatus, quae B sic supplevit: et hic (i. e. apud Verg.) „est" vel „habui" deest ad sententiam.
Etiam Don. supplementa dedit, sed certa de causa, velut h. l. propter exemplum Vergilianum, et 118 „deest se" propter ambiguam structuram.

122 „Non tu ibi gnatum?" Don. recte: ἀποσιώπησις (cf. 138, II 3. 7 sq.). B: vel ἔλλειψις, deest invasisti, obiurgasti, adortus es.

I 2. 15 Hocine agis an non? Ego vero istuc
Deest „ago" vel „audio"!

17 (1) Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum

Deest „se", ut sit: dum se tempus praebuit, quia supra (vs. 151) dixit „tute his rebus finem praescripsti, pater". Vide quam perplexe mentem suam exprimat: vs. 151 comparari potest cum sententia, non cum forma huius versiculi. Et falsa est suppletio pronominis reciproci (cf. Spengel ad h. l.).

Sed operae pretium est adscribere reliqua scholia ad h. v.

(2) „Sivi, animum ut expleret suum" mira [1]) ratio cur siverit, ut et hoc, quod permisit, ad bonam frugem permiserit, non ad luxuriam.

(3) „Ad eam rem tulit": „tulit" absolute.

(4) Et deest „se".

(5) „Sivi" autem distingue: est enim modo „sivi" permisi cessavi.

(6) „Sivi" antique. Aliter in Adelphis: „non siit egestas facere nos" (I 2. 24).

Donati doctrinam et acumen habemus in (2) (3) (5) (6) et ex (3) apparet secundum illum nihil deesse ad „tulit". Itaque qui scripsit (4) partim repetivit magistrum nostrum ex (1), quae re confirmari videtur illorum opinio, qui redactorem commenti nostri ex duarum saltem editionum Terentii marginibus opus suum compilasse putant, quarum in altera erat longius schol. (1), in altera compendium (4). Ceterum haec quaestio intricatior est, quam ut in transitu tractari possit. Tantummodo hic illic indicia notare iuvat, quae ad eius solutionem pertineant. Donatus in suo commento prius dedisse videtur (3), quod initium versiculi respicit, dein de altera versus parte prius (6) de archaismo, tum (5) de interpunctione, tandem (2) de sententia. Magister sine respectu Donati suum (1) dedisse videtur.

I 4. 7 Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid siet

---

1) Mira, mire, similia laudem habent apud Donatum.

(2) „Quid" ob quid, propter quid [1]) sit examinatus, (3) aut aliter „quid sit" id est: quid sit negotii; (4) sed quidam putant „quid" pro quare, ut „quid veniant" (Verg. Aen. I 518).

(5): Aut deest propter, ut sit <propter> quid.

In (2) (3) (4) Donatus rettulisse videtur opinionem suam et eorum commentatorum, qui antecesserant, Probi, Aspri, Acronis [2]). Scholium (5) repetitio est scholii (2), quod redactorem denuo non in eodem, sed in altero fonte invenisse veri simile est. Utrum in (2) (3) (4) habeamus Donatum plenum et integrum an laceratum et a magistro vel redactore in hanc formam redactum (aut — aut — sed), nondum diiudico.

I 5. 50 Accessi. Vos semotae, nos soli. Incipit

(1) Figurae proprie Terentianae, ἀσύνδετον et ἔλλειψις, — „vos semotae": deest „estis", „nos soli": deest „remansimus" — ut est illud: „egone illam, quae illum, quae me" (Eun. I 1. 20).

Donatus dedit tantum scholii initium et finem. Media otiosa magistri additamenta sunt. Alia res est in scholio ad Eunuchi l.l., ubi asyndeton et ellipsis pro rei necessitate a Donato accurate pertractantur.

(2) „Incipit": deest „dicere".

I 5. 65 Verbum unum cave de nuptiis, ne ad morbum hoc etiam

(1) Deest „dicas". Figura ἔλλειψις. (4) „Ne ad morbum hoc etiam" iterum ἔλλειψις, deest enim accedat. Prima vv.: deest „dicas" magistro reddenda videntur, reliqua omnia Donato.

---

1) Formula „ob", „propter id" sim. derivatur a Donato, qui opportunitate data eam adhibuit, veluti supra et I 5. 54 Quod te per hanc dexteram; quod propter quod, ut quod te per superos (Verg. Aen. II 141), quem locum Magister imitatus est III 3. 24: deest ob ut sit ob id, ut Vergilius quod te per superos ... oro. Etiam Donato dandum videtur III 3. 3 id viso: id ob id — viso ad videndum venio. Ad Magistrum referenda sunt haec scholia:

II 2. 3 laetus est nescio quid deest propter, ut sit propter nescio quid = V. 1. 22.

12 id faves deest ob, ut sit ob id.

II 3. 2 id succenseat: id ob id propter id.

III 2. 19 quid credas? propter quid aut propter quam rem aut quomodo.

V 2. 22 quid illum censes? (scil. facere) deest propter ut sit propter <quid>.

2) Cf. infra ad IV 1. 31.

b. Scholia per „nam", „enim".

I 1. 1 (6) Sosiae persona protatica est — *non enim usque ad finem perseverat* — ut est Davi in Phormione, in Hecyra Philotidis et Syrae.

Verba a Wessnero iam inclinatis litteris expressa quasi glossema sunt τοῦ A. Eiusdem notae sunt quae sequuntur:

2 (1) Don.: „adesdum", „ades" imperativum est, „dum" παρέλκον. *Est enim productio.* Notavit W.

13 (2) „Haud muto factum" Donatus recte adnotat: vetuste: non me paenitet. Noster fuit, opinor, qui adiecit: nam si quid paeniteret infectum velle dicebant. Hoc autem derivasse videtur ex exemplo Donati in (7) „nollem factum" (Ad. II 1. 11). Eidem supra (p. 288) tribui schol. (8) per ergo.

30 „Aut ad philosophos": mira ἔλλειψις est et familiaris Terentio. Sic Donatus, unde A: nam possumus subaudire „audiendos" sive „sectandos". Haec supplementa recte se habent, sed Donatus talia nusquam addit, nisi ubi prorsus sit necessarium.

42 „Interea mulier" e. q. s. Don.: hic digressio est (cf. Eugraphius ad h. l.), addidit A: nam proposuit gnati vitam dicere. Cf. quae modo scripsi ad vs. 30. Supra vidimus (p. 289) etiam schol. (4) ab eodem auctum esse adnotatione per ergo.

93 „Ut nihil supra" ἔλλειψις Terentiana. A: nam non necesse est subiungere duos versus. Solus A huius modi supplementi duorum vss. a quibusdam, ut videtur, temptati memoriam nobis servavit. Cf. Hartman de Ter. et Don. p. 131.

102 „In ignem imposita est" ἔλλειψις. A: non enim quae.

119 „Pro uxore habere hanc peregrinam": ut alibi (III. 1. 11) „adeone est demens? ex peregrina?" Sic Don., sed A: nam hoc nomine etiam meretrices nominabantur, — quod sumpsit ex Donati adnotatione ampliore ad III 1. 11.

121 „Ita tum discedo": proprie, — non enim „abeo" — unde discessio. Interpolavit A.

(scil. apud Verg.) „est" — est autem nomen „potis" et facit potis, potior, potissimus.

Habemus hunc quoque magistrum in medio Donato.

III 1. 10 „Quid hoc". Don.: senex ἐλλειπτικῶς. Adiunxit B: deest enim „rei est".

11 (1) Adeon est demens? ex peregrina? Iam scio, ah!

Don.: ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν apta cogitanti; reliquum autem sic pronuntiat quasi reperto consilio. (4): „ex peregrina": ἀποσιώπησις, deest enim „ut filium suscipiat" aut aliquid tale.

Ecce discrimen inter subtilem elegantiam Donati, qui aposiopesis naturam lectori intelligendam relinquit et plumbeum magistri supplementum.

Ceterum denuo (1) et (4) ex diverso fonte derivanda videntur.

19 „Num immemores discipuli?" Deest „nunc". Schopen correxit „sunt". Fortasse legendum „nunc sunt".

III 2. 16 „Num veritus?". (2): Veretur liber, metuit servus — (3): *et deest „es": apta ἔλλειψις irascenti* — alibi (Phorm. II 1. 2) „non simultatem meam revereri!" Sic locum dedit Wessnerus, sed minus recte.

Locum e Phormione Donatus sic legebat:

Nec meum imperium, age (pro ac, cf. Umpf.), mitto imperium, non simultatem meam revereri saltem

et adnotabat: „Nec m. imp." rara ἀποσιώπησις, nam non sequitur „sed", intulit enim „age"; subauditur autem „revereri", sic Lucretius: „nonne videre" (II 16). Est igitur Donatus ipse, qui ἔλλειψιν irascentis in hoc Andriae loco illustravit exemplo ellipsis vel aposiopesis irascentis in Phormione. Itaque mag. B dedit tantum *et deest „es"*, perperam, nam „veritus" = „veritu's". Sequentia: „apta ἐλλ. ir." e. q. s. genuina sunt Donati. Falsam differentiam (2): „veretur l. m. s." olim vidimus a Philosopho inventam esse (Mnem. XXXII p. 217).

III 3. 1 (3): Et deest „salvere", quod opprimitur ab alterius personae interventu. Invenitur hoc in medio scholio Donati una cum interpolatione magistri A (cf. supra p. 291).

3 „Visa" deest „te". Don.: ad videndum venio.

IV 1. 7 „Post ubi tempus" „deest est", ut sit „tempus est".

31 Immo etiam, quo tu minus scis aerumnas meas,
Hae nuptiae non adparabantur mihi

(1) „Immo etiam" pro praeterea et amplius.

(2) „ „ deest „audi".

(3) „Quo minus tu scis": „quo" id est quod et deest „audi."

(4) vel accipe, ut sit quod vel quoniam.

(5) vel „quo" id est ex quo aut qua re.

(6) aut certe erit sensus cum subauditione huiusmodi: immo etiam, quo minus scis aerumnas meas, eo magis audi, aut: immo etiam hae nuptiae non apparabantur mihi, quo ipso minus tu scis aerumnas meas, id est falsae nuptiae erant, quae res te magis fallit irascique mihi cogit merito.

De hac structura particulae quo etiam hodie dissentiunt viri docti. Spengel h. l. ita interpretatur: „wodurch (ut in (5) quo, qua re) es klar wird das du mein Leiden nicht genug kennst ... Der Nachsatz ist eigentlich: so wisse (ut in (2) et (3) deest „audi"). Idem ad Ad. 680: „quo magis" weshalb um so mehr" (= qua re). Brix. ad Captivos 430: „quo minus dixi quam volui de te, animum advortas volo", eig. um was ich weniger, d. i. was ich dir noch nicht ans Herz gelegt habe, das beachte ... Einfacher ist die Annahme, zum Haupsatz *eo magis* zu denken" (ut in (6) initio). Dziatzko h. l. correxit quom tu minus, idem in Eun. 737 cum multis secundum A^2: quod intellexi. Hinc consentaneum est iam primos Terentii commentatores, Probum, Aemilium Asprum, Helenium Acronem, dissensisse de interpretatione et Donatum eorum conamina cum suis rettulisse in (2) (4) (5) (6) [1]. Scholium (3) alicuius magistri est, qui repetit (4) partim et (2).

46 Hac non successit, alia adgrediemur via

„Hac n. s.": deest „quod conabamur"; et proprie de bono sic dicitur. Sitne hoc Donati dubito.

V 1. 20 „Cum ibi adesse": „tum" deest, ut sit integrum „tum cum".

1) Cf. supra ad I 4. 7.

V 2. 8 Etiam tu hoc respondes, quid istic tibi negotist? „Respondes": deest „an non".

28 O Chremes, pietatem gnati! Ἔλλειψις — deest enim „vides" aut aliquid tale — et est ironia pro „impietatem". Cf. supra II 6. 6.

V 6. 6 „Pater amicus summus": deest „eius".

Haec scholia ita comparata sunt omnia ut ab uno magistro, qui ab A et Philosopho diversus est, ad imitationem denuo consuetudinis et formularum Donati (deest, ob — propter) et nonnumquam ad supplendam eius ellipsis vel aposiopesis notationem, conficta esse debeant. Semel iterumque praeterea invenimus scholium per deest repetitum e Donatino et, ut veri simile est, inventum in altero fonte redactoris. Ceterum eidem magistro sine dubio alia quoque scholia debentur, qnae tamen nulla formae proprietate insignita repperire difficilius est.

§ 3. Magistri C et D.

Supersunt multa scholia a Donato aliena, quae non tam manifesta auctoris sui indicia prae se ferunt, quam ea, quae magistris A et B et Philosopho adsignavimus, sed quorum tamen facile duo saltem auctores distinguuntur et ab illis et inter se diversi.

Alter, non indoctus et natura audacior, libenter impugnat Donatum aliosve, qui praecesserunt, interpretes, et adhibet exempla sibi prompta a Vergilio plerumque, raro a Cicerone aliisque Latinis, nonnumquam ab ipso Terentio, sed et exempla et interpretatio eius saepenumero parum satisfaciunt. Hic, quem appellabo C, in memoriam revocat Philosophi operam, sed discrepat prorsus in eo, quod nusquam philosophatur. Particulae, si quibus utitur, sunt fere adversativae (sed cett.) vel disiunctivae (aut, vel).

Alter contra placidior est et libenter sese adplicat Donato, in hoc igitur consimilis magistro A, ita ut nonnumquam unum eundemque esse suspiceris, sed ab eo differt in eo, quod interpretationes verborum et sententiarum praebet sibi proprias.

Utitur, ut par est, saepe formulis hoc est, id est, sim. Indicatur littera D.

Ex his quoque scholiis non pauca iam notavit Wessnerus, ea nempe, quae, cum interrumpant aliquod scholium continuum, externum peculiaris originis indicium exhibent. Ceterum exemplorum multitudo nunc quoque iuvare debebit ad ostendendam diversam horum magistrorum speciem.

Dabo haec scholia ex ordine versuum cuncta addita maiuscula C vel D, ut distinguantur auctores. Ubi neutra legitur, res incerta est.

Prol. 16 (1) „Contaminari" contaminare proprie est manibus luto plenis aliquid attingere et — (2) *contaminare contingere est* — polluere. Notavit W. (D)

I 1. 9 Apud me iusta et clemens fuerit servitus

Don. (2): „iusta" in qua nihil iniquum iubetur, „clemens" in qua etiam de iusto multum remittitur. Cf. eiusdem Schol. (1). (3) „i. et cl.": moderata aequalitas, cui contrarium Vergilius ait „iniquo pondere rastri" et „iniquo sub fasce viam cum carpit" (Geo. I 164, III 347 ubi tamen legitur „iniusto" vel „invito"), nam qui „iustam" debitam nunc dici putant, nihil afferunt ad iuvandam sententiam. Omnia inepta.

Pro „aequalitas" Rabbow dedit „aequa talis", Wessner „aequa levis", et hic quidem ingeniose scripsit „levis" propter exempla, in quibus „iniquus" significat „gravis". Sed in tali magistro nihil mutare tutius est. (C)

18 Post scholium Donati (3) haec sequuntur: nam male intelligit, qui putat „adsimules" verbum significari. Impugnat id quod Donatus docet ad vs. 141 (3). (C).

21 „Cur simulas igitur": Vergilius: et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi? (Ecl. I 26). Exempli rationem non perspicio. (C)

24 Nam is postquam excessit ex ephebis

Ephebia prima aetas adulescentiae est. Sic Don., mag. addidit: adulescentia est extrema pueritia. Secundum Varronem, apud Censorinum d. d. n. 14 et Isidorum II 11. 4, pueritia et adolescentia a doctis accurate distinguebantur. (D)

30 Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos

Post scholium (1) Donati et magistri A (vide supra p. 292) sequitur:

(2) „ad ph." vitium est, quia dixit „ad aliquod studium". (C)

(3) aut si „ad philosophos", separanda erit locutio sic „ut animum adiungant ad philosophos". (D)

Illud alterius est magistri, qui adoritur ipsum Terentium, hoc modestioris illius, qui nonnumquam Donati opinionem refert, ut hoc loco nimirum, et infra vs. 56. Eugraphius explicat minus recte: „ad sapientiam atque doctrinam".

Ceterum ex h. l. manifestum est, hunc magistrum D illi C esse posteriorem.

35 *Feruntur onera et sustinentur supplicia.* Additamentum iam notavit W. (D)

47 Post scholium (3) Donati partim et Philosophi (Mnem. XXXII p. 215) sequitur inepta differentia:

(4) Sed dure in alterum, duriter in nos aliquid facimus. Magister C, quamquam non indoctus est, tamen pugnacitate non raro perducitur ad enuntiandum opiniones nimis falsas et audaces. (C)

48 Victum quaeritans

In medio scholio Donati, cuius partem tantum citabo, interpolatio legitur, quam notavit W.:

... unde Vergilius: „victum infelicem" e. q. s. (Aen. III 649) — (3) *et post tantum laborem „victum", non „cibum" dixit, ut Vergilius: „at patiens operum parvoque assueta iuventus"* (Geo. II 472) — et non „quaerens" sed „quaeritans" dixit ....

Infeliciter aemulatur Donatum exemplo parum idoneo. (C)

51 Don.: proclive est porro inclinatum. Mag.: vel pronum inclinatumque. (C)

54 Perduxere illuc secum, ut una esset, meum

Don. (1): invitum isse Pamphilum his verbis significat; perducuntur enim necessitate coacti — *hoc etiam verbum iudices pronuntiare solent.* Cur iudices hoc verbo praesertim usi sint

nemo facile dixerit, nec verum est. Corrigendum videtur: „<apud> iudices pronuntiare solent", nempe ii, qui se ad male faciendum ab aliis perductos h. e. pellectos esse excusant. Cf. Cic. Verr. II 69 fine. Nep. Dion. V 2. Locum notavit W. (D)

56 (1) „Habet" id est vulneratus est; habere enim dicitur, qui percussus est. Repetit partim Donati scholium (2), sed liberius, quam A hoc facere solitus est. (D)

80 Post scholia Donati (1) et Philosophi (2) (Mnem. ll. p. 221) sequitur adnotatio minus apposita (3): et „frequens" ut miles apud signa. (D)

88 In funus prodeo

Repetit e Donato (81): „a funalibus dictum est" sed dein suo Marte [1]) sic pergit: id est uncis et aculeis candelabrorum, quibus delibuti funes et ingenium cerei fomites infigebantur.

Unde hoc habeat docet nos Servius ad Aen. I 727, ubi post verba (corrupta) e Varrone sic legitur: (funalia) „nonnulli candelabra dicta tradunt, quae in capitibus uncinos haberent, quibus affigi solebant vel candelae (i. e. cerei fomites) vel funes pice delibutae".

Hanc explicationem undecumque haustam magister misere depravavit. Irrepsit autem corruptela et ingenium, quam temere quidam sanarunt corrigentes: „delibuti funes pice et c. f.", vel: „d. f. pice et cera f." Wessner cum Rabbow verba seclusit, sed requiritur id quo funes delibuti fuerint, et ut explicetur corruptelae origo. Puto magistrum scripsisse: „del. funes unguine et c. f.", coll. Verg. Georg. III 450: et pingues unguine ceras, ad quem locum Servius: „omnis sucus, quo ungui potest unguen dicitur, et imprimis coll. Valerio Flacco VIII 302: armant picis unguine flammas (h. e. taedas).

Delibutus apud Phaedrum et alios saepe cum unguento iunctum legitur. (D)

---

1) Hic igitur discrimen intelligimus inter A et D; uterque nonnumquam repetit verba Donati, ut A in hac ipsa quaestione verba „et est funus pompa exsequiarum" (cf. supra p. 295 ad I l. 100), sed ipse nihil addere solet ut D, qui doctior est.

91 Donati adnotatio de „unam adulescentulam" in (1) refutatur denuo a magistro in (3): Vel „unam" pro quandam. Schol. (3) supra p. 289 τῷ A adsignavi. (C)

109 Reiecit se in eum flens quam familiariter!

(1): Obicitur ei (Pamphilo) quod a Glycerio factum est, ut: „ecquis umquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille atque illius amici, ne haec mihi delatio detur" (Cic. div. in Caec. 22).

Nequaquam hoc Pamphilo obicitur a patre, et quid huc facit exemplum Ciceronis, nisi ut magistri doctrinam ostentet? (C)

115 Don. (2): „tulit" pro attulit. Mag. (3): Sed multa significat, et alias pertulit, ut ille: „non tulit hanc speciem furiata mente Coroebum" (Aen. II 407), alias sustulit, ut idem: „omnia fert aetas" (Ecl. 9. 51) Doctum, sed supervacaneum et in postremo exemplo vitiosum, unde alius denuo magister subiunxit: *pro „aufert"*, quae verba notavit iam W. (C)

129 (1): Nota participium a passivo „animadvertenda", id est: castiganda ac vindicanda est.

Vide quae de hoc scholio scripsi snpra p. 295. Dandum videtur magistro D. Idem valet de scholio I 2. 10 (4), de quo vide supra p. 296. (D)

I 2. 8 „At nunc faciet" (1): id est irascetur, denuntiabit, loquetur. Rectius Don. (2): subaudiendum „verbum". (D)

18 „Nunc hic dies aliam vitam affert": hoc est certe et severe et inexorabiliter denuntiat. Audimus eundem. (D)

21 Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum (4): „Ad eam rem" id est super eam rem, hoc est super amorem. Parum recte. (D)

25 Si sensero hodie quicquam ... fallaciae conari

Don. (1): Comminatio; et sic pronuntiatur, ut in singulis verbis ardeant minae. (2): „hodie" ad comminationem, non ad tempus plerumque refertur, ut Vergilius: „numquam omnes hodie moriemur inulti (II 670). (3) *Et dies pro nocte accipitur, ut hoc ipsum „numquam o. h. m. i."*.

Schol. (2) dedi cum W. ex incerta correctione Rabbovii. Postremum (3), quod iam notavit W., deberi videtur magistro alteri. (D)

I 5. 8 Ut me a Glycerio miserum abstrahat

(2); Magna vi usus est verbi et propietate, unde(!) est illud: „<divellimur inde> Iphitus et Pelias mecum" (Aen. II 435). Imitatur Donatum ad III 2. 39: „abstraxit" proprie, ut supra „me a Glycerio m. a."; et „divellimus inde I. et P. m.", — nec minus eiusdem schol. ad h. l. (3): „abstrahat" magna indignatione usus est e. q. s. (C)

I 5. 51 „Huius formam atque aetatem". Don. (4): duplex causa commendationis, formae et aetatis. Addidit C exemplum parum efficax: et supra „forte unam aspicio adulescentulam <forma>" (I 1. 91). (C).

II 1. 3 Ut animus in spe atque timore usque antehac attentus fuit:

(1) „Usque antehac" id est antequam tua uerba audirem. Tua vitiosum, non est enim allocutio ad Byrriam sed exclamatio.

(2) Et duas praepositiones posuit ut videtur, sed unum est totum „antehac" — vel „usque" adverbium nunc, non iam praepositio.

(3) „Attentus fuit" ut attentus auditor dicitur.

(4) „U. a. h. a. f.": nulla praepositio praepositioni adiungi separatim potest, sed „usque" eiusmodi est, ut sine aliqua praepositione raro inveniatur.

Illustrant haec scholia loci ipsius Donati in Arte Gram., vel eius commentatorum Servii et (Sergii) in G. L. IV 390. 15, 419. 16, 442. 16, 510. 24, 517. 22. Cf. Cledon. V 76. 15 Pomp. 273 sqq.

E locis non multum inter se diversis cito IV 419:

„Usque" etiam praepositio novo modo sibi aliam coniungit praepositionem, dicimus enim, ut Vergilius, „ad usque columnas exulat" (XI. 262), nec sequi debemus, quod nonnulli dicunt, „usque" adverbium esse, multo minus enim sibi iungeret praepositionem, si adverbium fuisset: adverbio enim praepositio separatim (cf. schol. (4)) non cohaeret.

Et 517: „Usque" talis est inter praepositiones ut sola possit recipere alteram praepositionem. Nemo enim dicit „de post ferum", nemo „ab ante": at vero dicimus „ad usque" et „ab usque". Verg. (l.l.) et „Siculo prospexit ab usque Pachyno" (VII 289). Hoc ideo fit quia „usque" paene videtur vim habere adverbii ad locum aut de loco significantis e. q. s.

Igitur Donati doctrina refertur in (4), adversariorum in (2) inde a v. „vel usque", nimirum a magistro altero. Prior pars scholii (2) infelix tentamen est conciliandi utramque doctrinam, sed pugnat etiam cum Donato: „adverbio (antehac) praepositio s. non cohaeret". Schol. (1) est magistri mitioris. (D et C)

II 1. 6 Nihil volo aliud nisi Philumenam

In medio Donatino legimus verba a Wessnero iam notata: *idem* (Ter.) *alibi: „in eo me oblecto, solum id est carum mihi"* (Ad. I 1. 24). Exemplum longe arcessitum. (C)

20 Neque pol consili locum habeo neque ad auxilium copiam

Don. (1): ‹neque consilii locus› apud amantem neque auxilii facultas apud inopem. Magister perperam (2): his duobus ostendit etiam sese amatorem. Utrius magistri sit non apparet.

24 Ne iste haud mecum sentit

Don. (6): „ne" valde, aut, ut quidam volunt, O quam! Lucilius in X: „ne, Marce, bovem descripsi magnifice! inquit". Mag. (2): „ne" valde, ut Cicero: „ne illi vehementer errant" (Cat. II 6). (C)

II 3. 6 „Quidvis patiar" hoc est, patiar me uxorem ducere. Falsum. (D)

18 „Ne is mutet suam sententiam". (1): hoc est quod supra (I 5. 7) id mutavit, quia me immutatum videt". Comparatio claudicat. (D)

26 Interpolationem ineptam in medio Donato iam notavit W: *subolem, hoc est filium significat, ut „quicquid peperisset, decreverunt tollere"* (I 3. 14). (C)

II 4. 5 Idem valet de his scholiis

(1) „Differat" disturbet et in diversum feret. Vergilius: „atque

I 2. 15 Hocine agis an non? Ego vero istuc
Deest „ago" vel „audio"!

17 (1) Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum
Deest „se", ut sit: dum se tempus praebuit, quia supra (vs. 151) dixit „tute his rebus finem praescripsti, pater". Vide quam perplexe mentem suam exprimat: vs. 151 comparari potest cum sententia, non cum forma huius versiculi. Et falsa est suppletio pronominis reciproci (cf. Spengel ad h. l.).

Sed operae pretium est adscribere reliqua scholia ad h. v.

(2) „Sivi, animum ut expleret suum" mira [1]) ratio cur siverit, ut et hoc, quod permisit, ad bonam frugem permiserit, non ad luxuriam.

(3) „Ad eam rem tulit": „tulit" absolute.

(4) Et deest „se".

(5) „Sivi" autem distingue: est enim modo „sivi" permisi cessavi.

(6) „Sivi" antique. Aliter in Adelphis: „non siit egestas facere nos" (I 2. 24).

Donati doctrinam et acumen habemus in (2) (3) (5) (6) et ex (3) apparet secundum illum nihil deesse ad „tulit". Itaque qui scripsit (4) partim repetivit magistrum nostrum ex (1), quae re confirmari videtur illorum opinio, qui redactorem commenti nostri ex duarum saltem editionum Terentii marginibus opus suum compilasse putant, quarum in altera erat longius schol. (1), in altera compendium (4). Ceterum haec quaestio intricatior est, quam ut in transitu tractari possit. Tantummodo hic illic indicia notare iuvat, quae ad eius solutionem pertineant. Donatus in suo commento prius dedisse videtur (3), quod initium versiculi respicit, dein de altera versus parte prius (6) de archaismo, tum (5) de interpunctione, tandem (2) de sententia. Magister sine respectu Donati suum (1) dedisse videtur.

I 4. 7 Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid siet

---

1) Mira, mire, similia laudem habent apud Donatum.

(Eun. I 2. 27) „Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi". Hucusque Donatus (cf. ad I 1. 58 et 119). Ea quae porro leguntur in Eunucho huc non pertinent, itaque magister est, qui dein sic pergit:

et servus (Parmeno): „potest taceri hoc". *Quid est „potest taceri hoc"? meretricem habuisse matrem verisimile est.*

Rettulit magister, quisquis est, scholion idoneum Donati ad Eun. ll.: „p. t. h." id est verisimile est: nec hoc ad laudem proficit, sed ad dedecus meretricis.

W. verba inclinatis litteris expressit inde a *quid est*, sed addenda sunt interpolationi etiam quae praecedunt *et servus p. t. h.*

15 „Iuno Lucina". Don. (1): „Iuno" ab iuvando dicta, — (2) *I. L., Iunonis filia, Graece* Εἰλείθυια. *Latini Nixos dicunt* — „Lucina" ab eo, quod in lucem producat. (C)

Notavit W.

(5) „Fer opem" propter quod Lucina est. Inde obstetrix, quod opem tulerit. Obstetricis mentio ab h. l. aliena est, sed rettulit magister, quisquis est, scholium Donati ad I 5. 64, inductus iis quae Don. h. l. dedit in (3) et (6)

III 2. 4 Quod iussi dari bibere et quantum imperavi date

Don.: consuetudine quam [1]) ratione dixit pro: date ei potionem. Lucilius in quinto: „da bibere a summo".

Mag.: „d. b." nam duo verba iniuncta nullum habent significatum sine nomine aut pronomine, ut si dicas dic facere.

Wessner lacunam indicavit ante „nam duo", sed magister rationem reddere videtur, cur Donatus addiderit pronomen ei. (D)

7 „Quando quidem ipse est"

Mag. (2): quando et cum interdum causales sunt coniunctiones.

Don. (3) *Et* „quando" pro quoniam et pro quia intellegimus.

Donatus more suo tacet de cum, quia in textu non legitur. (C)

10 (5) „Puerperae" omnis, quae peperit — (6) „*Puerpera*"

---

1) Omissio comparativi potius vel magis, nota e Tacito et poetis, inveniri videtur etiam in III 2. 25 (2). In I 1. 8 (1) verba commendatio personae quam servi corrupta mihi videntur.

πρωτοτόκος — et non quod puerum, sed quod filium, puerpera dicta. Et apud veteres puer puellus, puera puella.

W. notavit interpolationem, quae praeterea falsa est, cum puerpera confundatur cum primipara. Sabbadini praeter litterarum vestigia coniecit *κουροτόκος*, sed secundum Glossaria VII 1. 156 est gr. *λοχός, λεχώ, νεοτόκος*, latine: primi partus puella, vel primi partus puerum (masculum) generans, et Isidorus XI 2. 14, in quo discrepant a Prisciano I 231: „puer pueri" cuius femininum „puera" dicebant antiquissimi, unde et „puerpera" dicitur, quae puerum vel pueram parit, id est puellam, quod est deminutivum puerae".

Eugraphius ad h. l.: Puerpera autem dicitur, quae recens est partu: „et a muliebris sexus parte nomen impositum est, „nam utique et puellam et puerum pariens dicitur puerpera, „quamquam et antiqui puellam pueram saepe dixerunt". Exspectaveris h. l. pro „a muliebris s. p." potius „a virilis s. p.".

Donatus sine dubio idem docuit quod Priscianus et Eugraphius, idque fuisse videtur in verbis: „et non quod ... dicta". Sed quomodo haec corrigenda sint non video. Fortasse sic: „et „non quod puerum, filium, sed quod ⟨puerum vel pueram⟩ „puerpera dicta; apud veteres" e. q. s. (C)

12 „Itane contemnor" valde temnor, — *temnor autem Graecum est, id est caedor et reicior,* — nam veteres temnere dicebant sine praepositione. (C)

Notavit W., sed ipsum scholium in quo interpolatio legitur, etiam a Donato abiudicandum et fortasse Philosopho tribuendum est, etenim temnere non est vetustum, sed poetarum classicorum.

22 Quasi tu dicas factum id consilio meo

(1) „Dicas" pro credas; non enim dicimus nisi quod credimus: ab eo quod sequitur id quod praecedit — (2) *Figura μετάλημψις a posterioribus ad priora — idem alibi (Plaut. Merc. IV* 3. 37 *alibi) „audacter dicito"* et alibi (Phorm. III 2. 8) „faeneratum istud beneficium pulchre tibi dices", id est credes, scies, senties.

Sic haec edidit W. Si quid ex his Donato cedendum esset, ei darem tantum prima vv.: „Dices" pro „credas" et

exemplum Phormionis, verum vix ille in Phormione ll. „dices" pro „credes" positum aestimaverit, cum significet „dices" vel „senties". Ceterum verba: „non enim dicimus" sqq. philosophi esse antea vidimus (l.l. p. 221, ad I 1. 22).

(2) pertinet ad philosophi vv. „ab eo q. s. i. q. praecedit", et ipsius esse potest. Secundum Donatum metalepsis vix differt a metonymia, quod vocabulum in Andria saltem non usurpavit, cf. III 3. 1, IV 1. 52. Exemplum Plautinum est alicuius magistri nec quicquam ad rem facit, quae agitur.

25 (3) „Nihil iam mutire" Ennius: nec dico nec facio <mu>, — *unde et m u t o s dicimus*, — quod Graeci *φθέγγεσθαι*. Merito interpolationem notavit W.

36 „Nihil moventur nuptiae" non perturbabuntur nuptiae. Sic Donatus. Magister minus recte: „moventur" differuntur. (C)

III 3. 7 Quae (amicitia) cum aetate adcrevit simul
Inepte magister: hinc Vergilius: „crescent illae, crescetis amores" (Ecl. X 54). (C)

32 Neque illam hanc perpetuo habere
Don. (1): „Amphiboliam de industria posuit", h. e. poeta voluit nos intelligere: illum hanc et hanc illum habere p.
Magister hoc non perspexit et satis stolide subiunxit (2): aut utrumque significat. (C)

40 „Si animum induxisti" legitur et animum „induxisti" et animum „induxti". Sic Donatus variam lectionem indicare solet. Magister addidit quod sequitur: „sed illud plenum est, hoc per metaplasmum *συγκοπήν* deminuitur". (C)

III 4. 3 „Dudum": „Adverbia temporis aut certa sunt, ut h o d i e c r a s, aut incerta ut d u d u m, n u p e r, itaque incertis additur tempus ut i a m d u d u m, n u n c n u p e r". Pugnat mirabilis regula cum hoc loco, ubi nihil additur ut alibi sexcenties. (C)

19 Donatus (1): „Quiescas" pro „quiesce" imperativi modi, ne iniuriosum videretur. Ille (4): Aut deest „volo" aut „facito".

21 (5) „Quin hinc" id est ex hoc loco. (D)

III 5. 1 Ubi illic est scelus qui me perdidit?

Don. (4): ad intellectum, non ad verba redegit, et est figura σύλληψις per genera, — *Vergilius: pars in frusta secant* (I 212), *sed hic figura est per numeros.* — nam quia „scelus" scelestus intellegitur, modo „qui" subiunxit, non „quod". (C)

Emblema notavit W.

4 Ego pretium ob stultitiam fero

In media adnotatione Donati de differentia inter pretium et praemium cum exemplis Vergilianis Wessnerus hoc emblema notavit: (2) *sic et Plautus locutus est „pretium ob asinos" pro asinorum pretium* (*Argum Asin.* 3). (C)

3 Denuo in medium scholion Philosophi devenit adnotatio magistri a Wessnero indicata, (3): „*Sed hoc dicit: sic, inquit, periclitor: si hoc evasero, scio me postea non periclitaturum*". Impugnat autem non Donatum (1), sed Philosophum (2), unde efficitur, quod etiam per se verisimile est, hunc quoque magistrum scholia sua confecisse post illum et adhibuisse textum scholiis philosophi iam munitum. Antea hoc quoque vidimus, totum philosophi scholium non tantum hac interpolatione, sed etiam Graeca Donati adnotatione — „Menander sic: ἂν θεὸς" e. q. s. — in duas partes (2) et (4) esse divisum. Cf. Mnem. XXXII p. 238. (C)

8 Nec quid nunc me faciam scio

Mag. (1): nos „quid faciam", veteres autem „me" addebant!

Don. (2): *et* nota faciam <cum> ablativo casu. (C)

11 Viden me tuis consiliis miserum impeditum esse (C)

Don.: „Impeditus" est proprie, qui pedes habet illigatos, ut progredi non possit. Mag. inaniter: sed hic ad negotium rettulit.

16 Sed sine paululum ad me ut redeam

Don.: ad se redire dicitur, qui animum recipit et sedem mentis; Vergilius: „victus ad (Verg. in) se redit" (Geo. IV 443).

Magister, quem notavit W.: *et hic de corpore dixit: ad se autem redit, qui amens esse desistit.* (C)

Prima magistri verba „*et hic d. c. d.*" respiciunt exemplum Vergilianum.

V 2. 8 Etiam tu hoc respondes, quid istic tibi negotist?
„Respondes": deest „an non".

28 O Chremes, pietatem gnati!
Ἔλλειψις — deest enim „vides" aut aliquid tale — et est ironia pro „impietatem". Cf. supra II 6. 6.

V 6. 6 „Pater amicus summus": deest „eius".

Haec scholia ita comparata sunt omnia ut ab uno magistro, qui ab A et Philosopho diversus est, ad imitationem denuo consuetudinis et formularum Donati (deest, ob — propter) et nonnumquam ad supplendam eius ellipsis vel aposiopesis notationem, conficta esse debeant. Semel iterumque praeterea invenimus scholium per deest repetitum e Donatino et, ut veri simile est, inventum in altero fonte redactoris. Ceterum eidem magistro sine dubio alia quoque scholia debentur, qnae tamen nulla formae proprietate insignita repperire difficilius est.

§ 3. Magistri C et D.

Supersunt multa scholia a Donato aliena, quae non tam manifesta auctoris sui indicia prae se ferunt, quam ea, quae magistris A et B et Philosopho adsignavimus, sed quorum tamen facile duo saltem auctores distinguuntur et ab illis et inter se diversi.

Alter, non indoctus et natura audacior, libenter impugnat Donatum aliosve, qui praecesserunt, interpretes, et adhibet exempla sibi prompta a Vergilio plerumque, raro a Cicerone aliisque Latinis, nonnumquam ab ipso Terentio, sed et exempla et interpretatio eius saepenumero parum satisfaciunt. Hic, quem appellabo C, in memoriam revocat Philosophi operam, sed discrepat prorsus in eo, quod nusquam philosophatur. Particulae, si quibus utitur, sunt fere adversativae (sed cett.) vel disiunctivae (aut, vel).

Alter contra placidior est et libenter sese adplicat Donato, in hoc igitur consimilis magistro A, ita ut nonnumquam unum eundemque esse suspiceris, sed ab eo differt in eo, quod interpretationes verborum et sententiarum praebet sibi proprias.

Utitur, ut par est, saepe formulis hoc est, id est, sim. Indicatur littera D.

Ex his quoque scholiis non pauca iam notavit Wessnerus, ea nempe, quae, cum interrumpant aliquod scholium continuum, externum peculiaris originis indicium exhibent. Ceterum exemplorum multitudo nunc quoque iuvare debebit ad ostendendam diversam horum magistrorum speciem.

Dabo haec scholia ex ordine versuum cuncta addita maiuscula C vel D, ut distinguantur auctores. Ubi neutra legitur, res incerta est.

Prol. 16 (1) „Contaminari" contaminare proprie est manibus luto plenis aliquid attingere et — (2) *contaminare contingere est* — polluere. Notavit W. (D)

I 1. 9 Apud me iusta et clemens fuerit servitus

Don. (2): „iusta" in qua nihil iniquum iubetur, „clemens" in qua etiam de iusto multum remittitur. Cf. eiusdem Schol. (1). (3) „i. et cl.": moderata aequalitas, cui contrarium Vergilius ait „iniquo pondere rastri" et „iniquo sub fasce viam cum carpit" (Geo. I 164, III 347 ubi tamen legitur „iniusto" vel „invito"), nam qui „iustam" debitam nunc dici putant, nihil afferunt ad iuvandam sententiam. Omnia inepta.

Pro „aequalitas" Rabbow dedit „aequa talis", Wessner „aequa levis", et hic quidem ingeniose scripsit „levis" propter exempla, in quibus „iniquus" significat „gravis". Sed in tali magistro nihil mutare tutius est. (C)

18 Post scholium Donati (3) haec sequuntur: nam male intelligit, qui putat „adsimules" verbum significari. Impugnat id quod Donatus docet ad vs. 141 (3). (C).

21 „Cur simulas igitur": Vergilius: et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi? (Ecl. I 26). Exempli rationem non perspicio. (C)

24 Nam is postquam excessit ex ephebis

Ephebia prima aetas adulescentiae est. Sic Don., mag. addidit: adulescentia est extrema pueritia. Secundum Varronem, apud Censorinum d. d. n. 14 et Isidorum II 11. 4, pueritia et adolescentia a doctis accurate distinguebantur. (D)

30 Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos

Post scholium (1) Donati et magistri A (vide supra p. 292) sequitur:

(2) „ad ph." vitium est, quia dixit „ad aliquod studium". (C)

(3) aut si „ad philosophos", separanda erit locutio sic „ut animum adiungant ad philosophos". (D)

Illud alterius est magistri, qui adoritur ipsum Terentium, hoc modestioris illius, qui nonnumquam Donati opinionem refert, ut hoc loco nimirum, et infra vs. 56. Eugraphius explicat minus recte: „ad sapientiam atque doctrinam".

Ceterum ex h. l. manifestum est, hunc magistrum D illi C esse posteriorem.

35 *Feruntur onera et sustinentur supplicia.* Additamentum iam notavit W. (D)

47 Post scholium (3) Donati partim et Philosophi (Mnem. XXXII p. 215) sequitur inepta differentia:

(4) Sed dure in alterum, duriter in nos aliquid facimus. Magister C, quamquam non indoctus est, tamen pugnacitate non raro perducitur ad enuntiandum opiniones nimis falsas et audaces. (C)

48 Victum quaeritans

In medio scholio Donati, cuius partem tantum citabo, interpolatio legitur, quam notavit W.:

... unde Vergilius: „victum infelicem" e. q. s. (Aen. III 649) — (3) *et post tantum laborem „victum", non „cibum" dixit, ut Vergilius: „at patiens operum parvoque assueta iuventus"* (Geo. II 472) — et non „quaerens" sed „quaeritans" dixit ....

Infeliciter aemulatur Donatum exemplo parum idoneo. (C)

51 Don.: proclive est porro inclinatum. Mag.: vel pronum inclinatumque. (C)

54 Perduxere illuc secum, ut una esset, meum

Don. (1): invitum isse Pamphilum his verbis significat; perducuntur enim necessitate coacti — *hoc etiam verbum iudices pronuntiare solent.* Cur iudices hoc verbo praesertim usi sint

nemo facile dixerit, nec verum est. Corrigendum videtur: „<apud> iudices pronuntiare solent", nempe ii, qui se ad male faciendum ab aliis perductos h. e. pellectos esse excusant. Cf. Cic. Verr. II 69 fine. Nep. Dion. V 2. Locum notavit W. (D)

56 (1) „Habet" id est vulneratus est; habere enim dicitur, qui percussus est. Repetit partim Donati scholium (2), sed liberius, quam A hoc facere solitus est. (D)

80 Post scholia Donati (1) et Philosophi (2) (Mnem. ll. p. 221) sequitur adnotatio minus apposita (3): et „frequens" ut miles apud signa. (D)

88 In funus prodeo

Repetit e Donato (81): „a funalibus dictum est" sed dein suo Marte [1]) sic pergit: id est uncis et aculeis candelabrorum, quibus delibuti funes et ingenium cerei fomites infigebantur.

Unde hoc habeat docet nos Servius ad Aen. I 727, ubi post verba (corrupta) e Varrone sic legitur: (funalia) „nonnulli candelabra dicta tradunt, quae in capitibus uncinos haberent, quibus affigi solebant vel candelae (i. e. cerei fomites) vel funes pice delibutae".

Hanc explicationem undecumque haustam magister misere depravavit. Irrepsit autem corruptela et ingenium, quam temere quidam sanarunt corrigentes: „delibuti funes pice et c. f.", vel: „d. f. pice et cera f." Wessner cum Rabbow verba seclusit, sed requiritur id quo funes delibuti fuerint, et ut explicetur corruptelae origo. Puto magistrum scripsisse: „del. funes unguine et c. f.", coll. Verg. Georg. III 450: et pingues unguine ceras, ad quem locum Servius: „omnis sucus, quo ungui potest unguen dicitur, et imprimis coll. Valerio Flacco VIII 302: armant picis unguine flammas (h. e. taedas). Delibutus apud Phaedrum et alios saepe cum unguento iunctum legitur. (D)

---

1) Hic igitur discrimen intelligimus inter A et D; uterque nonnumquam repetit verba Donati, ut A in hac ipsa quaestione verba „et est funus pompa exsequiarum" (cf. supra p. 295 ad I l. 100), sed ipse nihil addere solet ut D, qui doctior est.

91 Donati adnotatio de „unam adulescentulam" in (1) refutatur denuo a magistro in (3): Vel „unam" pro quandam. Schol. (3) supra p. 289 τῷ A adsignavi. (C)

109 Reiecit se in eum flens quam familiariter!
(1): Obicitur ei (Pamphilo) quod a Glycerio factum est, ut: „ecquis umquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille atque illius amici, ne haec mihi delatio detur" (Cic. div. in Caec. 22).
Nequaquam hoc Pamphilo obicitur a patre, et quid huc facit exemplum Ciceronis, nisi ut magistri doctrinam ostentet? (C)

115 Don. (2): „tulit" pro attulit. Mag. (3): Sed multa significat, et alias pertulit, ut ille: „non tulit hanc speciem furiata mente Coroebum" (Aen. II 407), alias sustulit, ut idem: „omnia fert aetas" (Ecl. 9. 51) Doctum, sed supervacaneum et in postremo exemplo vitiosum, unde alius denuo magister subiunxit: *pro „aufert"*, quae verba notavit iam W. (C)

129 (1): Nota participium a passivo „animadvertenda", id est: castiganda ac vindicanda est.
Vide quae de hoc scholio scripsi snpra p. 295. Dandum videtur magistro D. Idem valet de scholio I 2. 10 (4), de quo vide supra p. 296. (D)

I 2. 8 „At nunc faciet" (1): id est irascetur, denuntiabit, loquetur. Rectius Don. (2): subaudiendum „verbum". (D)

18 „Nunc hic dies aliam vitam affert": hoc est certe et severe et inexorabiliter denuntiat. Audimus eundem. (D)

21 Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum (4): „Ad eam rem" id est super eam rem, hoc est super amorem. Parum recte. (D)

25 Si sensero hodie quicquam ... fallaciae conari
Don. (1): Comminatio; et sic pronuntiatur, ut in singulis verbis ardeant minae. (2): „hodie" ad comminationem, non ad tempus plerumque refertur, ut Vergilius: „numquam omnes hodie moriemur inulti (II 670). (3) *Et dies pro nocte accipitur, ut hoc ipsum „numquam o. h. m. i."*.

Schol. (2) dedi cum W. ex incerta correctione *Rabbovii*. Postremum (3), quod iam notavit W., deberi videtur magistro alteri. (D)

I 5. 8 Ut me a Glycerio miserum abstrahat

(2); Magna vi usus est verbi et propietate, unde(!) est illud: „<divellimur inde> Iphitus et Pelias mecum" (Aen. II 435). Imitatur Donatum ad III 2. 39: „abstraxit" proprie, ut supra „me a Glycerio m. a."; et „divellimus inde I. et P. m.", — nec minus eiusdem schol. ad h. l. (3): „abstrahat" magna indignatione usus est e. q. s. (C)

I 5. 51 „Huius formam atque aetatem". Don. (4): duplex causa commendationis, formae et aetatis. Addidit C exemplum parum efficax: et supra „forte unam aspicio adulescentulam <forma>" (I 1. 91). (C).

II 1. 3 Ut animus in spe atque timore usque antehac attentus fuit:

(1) „Usque antehac" id est antequam tua uerba audirem. *Tua* vitiosum, non est enim allocutio ad Byrriam sed exclamatio.

(2) Et duas praepositiones posuit ut videtur, sed unum est totum „antehac" — vel „usque" adverbium nunc, non iam praepositio.

(3) „Attentus fuit" ut *attentus* auditor dicitur.

(4) „U. a. h. a. f.": nulla praepositio praepositioni adiungi *separatim* potest, sed „usque" eiusmodi est, ut sine aliqua praepositione raro inveniatur.

Illustrant haec scholia loci ipsius Donati in Arte Gram., vel eius commentatorum Servii et (Sergii) in G. L. IV 390. 15, 419. 16, 442. 16, 510. 24, 517. 22. Cf. Cledon. V 76. 15 Pomp. 273 sqq.

E locis non multum inter se diversis cito IV 419:

„Usque" etiam praepositio novo modo sibi aliam coniungit praepositionem, dicimus enim, ut Vergilius, „ad usque columnas exulat" (XI. 262), nec sequi debemus, quod nonnulli dicunt, „usque" adverbium esse, multo minus enim sibi iungeret praepositionem, si adverbium fuisset: adverbio enim praepositio *separatim* (cf. schol. (4)) non cohaeret.

Et 517: „Usque" talis est inter praepositiones ut sola possit recipere alteram praepositionem. Nemo enim dicit „de post ferum", nemo „ab ante": at vero dicimus „ad usque" et „ab usque". Verg. (l.l.) et „Siculo prospexit ab usque Pachyno" (VII 289). Hoc ideo fit quia „usque" paene videtur vim habere adverbii ad locum aut de loco significantis e. q. s.

Igitur Donati doctrina refertur in (4), adversariorum in (2) inde a v. „vel usque", nimirum a magistro altero. Prior pars scholii (2) infelix tentamen est conciliandi utramque doctrinam, sed pugnat etiam cum Donato: „adverbio (antehac) praepositio s. non cohaeret". Schol. (1) est magistri mitioris. (D et C)

II 1. 6 Nihil volo aliud nisi Philumenam

In medio Donatino legimus verba a Wessnero iam notata: *idem* (Ter.) *alibi: „in eo me oblecto, solum id est carum mihi"* (Ad. I 1. 24). Exemplum longe arcessitum. (C)

20 Neque pol consili locum habeo neque ad auxilium copiam

Don. (1): ‹neque consilii locus› apud amantem neque auxilii facultas apud inopem. Magister perperam (2): his duobus ostendit etiam sese amatorem. Utrius magistri sit non apparet.

24 Ne iste haud mecum sentit

Don. (6): „ne" valde, aut, ut quidam volunt, O quam! Lucilius in X: „ne, Marce, bovem descripsi magnifice! inquit". Mag. (2): „ne" valde, ut Cicero: „ne illi vehementer errant" (Cat. II 6). (C)

II 3. 6 „Quidvis patiar" hoc est, patiar me uxorem ducere. Falsum. (D)

18 „Ne is mutet suam sententiam". (1): hoc est quod supra (I 5. 7) id mutavit, quia me immutatum videt". Comparatio claudicat. (D)

26 Interpolationem ineptam in medio Donato iam notavit W: *subolem, hoc est filium significat, ut „quicquid peperisset, decreverunt tollere"* (I 3. 14). (C)

II 4. 5 Idem valet de his scholiis

(1) „Differat" disturbet et in diversum feret. Vergilius: „atque

arida differt nubila" (Geo. III 197) — (2) *et in Adelphis, miseram me, differor doloribus* — hoc est in diversum rapit, dissipat.

Exemplum magistri per se satis aptum, ut in II 1. 24 (2) supra. (C)

II 5. 18. Don. (3): „memini videre" pro vidisse. Ennius „memini me [quam] fieri pavum." Alii — (4): *sic „memini videre", ut „novi probare"* — „forma bona" (cf. vers. Ter.) distinguunt.

Notavit W. Utrius sit interpolata sententia non apparet. Ceterum ad Phorm. I 2. 24 citatur a Donato hic locus et denuo Ennius.

19. In longiore scholio Donati denuo W. notavit verba insiticia: *⟨amplecti⟩, quod volgo dicitur: cum illa manere, cum illa dormire.*

Neutri certo adsignari potest prae altero.

II 6. 3 (2): „aeque quicquam nunc quidem", bene „nunc quidem" — *similiter „nunc nihil"* (Heaut. II 3. 26) — ut paulo ante, cum dixit „id populus curat scilicet" (I 2. 14).

Donatus denotat utriusque loci ironiam, interpolatio comparat locutiones prorsus diversas. Notavit W. (C)

16 „Subtristis": „sub" temperamentum est plenae pronuntiationis — *ut „subridet" non ad plenum [tristis aut] ridet* — ut confessionem eliceret.

Notavit W.

III 1. 2 „Invenias virum" secundam pro tertia persona posuit — *pro inveniat quis vel invenire quis possit* — ut Vergilius: „migrantis cernas totaque ex urbe ruentes" (IV 401)

Notavit W. Utri hoc dandum sit non apparet. Idem scholion praeter interpolationem legitur etiam I 1. 39, et cf. I 2. 8 (2), et Servius ad l. Verg. hoc adnotavit: „Cernas honesta figura si rem tertiae personae in secundam referas, hoc est si quis cernat".

Ecce simile additamentum.

11 (3) „Ex peregrina" id est ex meretrice; mulieres enim peregrinae inhonestae ac meretrices habebentur; sic ipse alibi

(Eun. I 2. 27) „Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi". Hucusque Donatus (cf. ad I 1. 58 et 119). Ea quae porro leguntur in Eunucho huc non pertinent, itaque magister est, qui dein sic pergit:

et servus (Parmeno): „potest taceri hoc". *Quid est „potest taceri hoc"? meretricem habuisse matrem verisimile est.*

Rettulit magister, quisquis est, scholion idoneum Donati ad Eun. ll.: „p. t. h." id est verisimile est: nec hoc ad laudem proficit, sed ad dedecus meretricis.

W. verba inclinatis litteris expressit inde a *quid est*, sed addenda sunt interpolationi etiam quae praecedunt *et servus p. t. h.*

15 „Iuno Lucina". Don. (1): „Iuno" ab iuvando dicta, — (2) *I. L., Iunonis filia, Graece* Εἰλείθυια. *Latini Nixos dicunt* — „Lucina" ab eo, quod in lucem producat. (C)

Notavit W.

(5) „Fer opem" propter quod Lucina est. Inde obstetrix, quod opem tulerit. Obstetricis mentio ab h. l. aliena est, sed rettulit magister, quisquis est, scholium Donati ad I 5. 64, inductus iis quae Don. h. l. dedit in (3) et (6)

III 2. 4 Quod iussi dari bibere et quantum imperavi date

Don.: consuetudine quam [1]) ratione dixit pro: date ei potionem. Lucilius in quinto: „da bibere a summo".

Mag.: „d. b." nam duo verba iniuncta nullum habent significatum sine nomine aut pronomine, ut si dicas dic facere.

Wessner lacunam indicavit ante „nam duo", sed magister rationem reddere videtur, cur Donatus addiderit pronomen ei. (D)

7 „Quando quidem ipse est"

Mag. (2): quando et cum interdum causales sunt coniunctiones.

Don. (3) *Et* „quando" pro quoniam et pro quia intellegimus.

Donatus more suo tacet de cum, quia in textu non legitur. (C)

10 (5) „Puerperae" omnis, quae peperit — (6) *„Puerpera"*

---

1) Omissio comparativi potius vel magis, nota e Tacito et poetis, inveniri videtur etiam in III 2. 25 (2). In I 1. 8 (1) verba commendatio personae quam servi corrupta mihi videntur.

πρωτοτόκος — et non quod puerum, sed quod filium, puerpera dicta. Et apud veteres puer puellus, puera puella.

W. notavit interpolationem, quae praeterea falsa est, cum puerpera confundatur cum primipara. Sabbadini praeter litterarum vestigia coniecit *κουροτόκος*, sed secundum Glossaria VII 1. 156 est gr. *λοχός, λεχώ, νεοτόκος*, latine: primi partus puella, vel primi partus puerum (masculum) generans, et Isidorus XI 2. 14, in quo discrepant a Prisciano I 231: „puer pueri" cuius femininum „puera" dicebant antiquissimi, unde et „puerpera" dicitur, quae puerum vel pueram parit, id est puellam, quod est deminutivum puerae".

Eugraphius ad h. l.: Puerpera autem dicitur, quae recens est partu: „et a muliebris sexus parte nomen impositum est, „nam utique et puellam et puerum pariens dicitur puerpera, „quamquam et antiqui puellam pueram saepe dixerunt". Exspectaveris h. l. pro „a muliebris s. p." potius „a virilis s. p.".

Donatus sine dubio idem docuit quod Priscianus et Eugraphius, idque fuisse videtur in verbis: „et non quod ... dicta". Sed quomodo haec corrigenda sint non video. Fortasse sic: „et „non quod puerum, filium, sed quod <puerum vel pueram> „puerpera dicta; apud veteres" e. q. s. (C)

12 „Itane contemnor" valde temnor, — *temnor autem Graecum est, id est caedor et reicior,* — nam veteres temnere dicebant sine praepositione. (C)

Notavit W., sed ipsum scholium in quo interpolatio legitur, etiam a Donato abiudicandum et fortasse Philosopho tribuendum est, etenim temnere non est vetustum, sed poetarum classicorum.

22 Quasi tu dicas factum id consilio meo

(1) „Dicas" pro credas; non enim dicimus nisi quod credimus: ab eo quod sequitur id quod praecedit — (2) *Figura μετάληψις a posterioribus ad priora — idem alibi (Plaut. Merc. IV* 3. 37 *alibi) „audacter dicito"* et alibi (Phorm. III 2. 8) „faeneratum istud beneficium pulchre tibi dices", id est credes, scies, senties.

Sic haec edidit W. Si quid ex his Donato cedendum esset, ei darem tantum prima vv.: „Dices" pro „credas" et

exemplum Phormionis, verum vix ille in Phormione ll. „dices" pro „credes" positum aestimaverit, cum significet „dices" vel „senties". Ceterum verba: „non enim dicimus" sqq. philosophi esse antea vidimus (l.l. p. 221, ad I 1. 22).

(2) pertinet ad philosophi vv. „ab eo q. s. i. q. praecedit", et ipsius esse potest. Secundum Donatum metalepsis vix differt a metonymia, quod vocabulum in Andria saltem non usurpavit, cf. III 3. 1, IV 1. 52. Exemplum Plautinum est alicuius magistri nec quicquam ad rem facit, quae agitur.

25 (3) „Nihil iam mutire" Ennius: nec dico nec facio <mu>, — *unde et mutos dicimus*, — quod Graeci φθέγγεσθαι.
Merito interpolationem notavit W.

36 „Nihil moventur nuptiae" non perturbabuntur nuptiae.
Sic Donatus. Magister minus recte: „moventur" differuntur. (C)

III 3. 7 Quae (amicitia) cum aetate adcrevit simul
Inepte magister: hinc Vergilius: „crescent illae, crescetis amores" (Ecl. X 54). (C)

32 Neque illam hanc perpetuo habere
Don. (1): „Amphiboliam de industria posuit", h. e. poeta voluit nos intelligere: illum hanc et hanc illum habere p.
Magister hoc non perspexit et satis stolide subiunxit (2): aut utrumque significat. (C)

40 „Si animum induxisti" legitur et animum „induxisti" et animum „induxti". Sic Donatus variam lectionem indicare solet. Magister addidit quod sequitur: „sed illud plenum est, hoc per metaplasmum συγκοπήν deminuitur". (C)

III 4. 3 „Dudum": „Adverbia temporis aut certa sunt, ut *hodie cras*, aut incerta ut *dudum*, *nuper*, itaque incertis additur tempus ut *iam dudum*, *nunc nuper*". Pugnat mirabilis regula cum hoc loco, ubi nihil additur ut alibi sexcenties. (C)

19 Donatus (1): „Quiescas" pro „quiesce" imperativi modi, ne iniuriosum videretur. Ille (4): Aut deest „volo" aut „facito".

21 (5) „Quin hinc" id est ex hoc loco. (D)

III 5. 1 Ubi illic est scelus qui me perdidit?

Don. (4): ad intellectum, non ad verba redegit, et est figura σύλληψις per genera, — *Vergilius: pars in frusta secant* (I 212), *sed hic figura est per numeros.* — nam quia „scelus" scelestus intellegitur, modo „qui" subiunxit, non „quod". (C)

Emblema notavit W.

4 Ego pretium ob stultitiam fero

In media adnotatione Donati de differentia inter pretium et praemium cum exemplis Vergilianis Wessnerus hoc emblema notavit: (2) *sic et Plautus locutus est „pretium ob asinos" pro asinorum pretium* (*Argum Asin.* 3). (C)

3 Denuo in medium scholion Philosophi devenit adnotatio magistri a Wessnero indicata, (3): *„Sed hoc dicit: sic, inquit, periclitor: si hoc evasero, scio me postea non periclitaturum".* Impugnat autem non Donatum (1), sed Philosophum (2), unde efficitur, quod etiam per se verisimile est, hunc quoque magistrum scholia sua confecisse post illum et adhibuisse textum scholiis philosophi iam munitum. Antea hoc quoque vidimus, totum philosophi scholium non tantum hac interpolatione, sed etiam Graeca Donati adnotatione — „Menander sic: ἂν θεὸς" e. q. s. — in duas partes (2) et (4) esse divisum. Cf. Mnem. XXXII p. 238. (C)

8 Nec quid nunc me faciam scio

Mag. (1): nos „quid faciam", veteres autem „me" addebant!

Don. (2): *et* nota faciam ‹cum› ablativo casu. (C)

11 Viden me tuis consiliis miserum impeditum esse (C)

Don.: „Impeditus" est proprie, qui pedes habet illigatos, ut progredi non possit. Mag. inaniter: sed hic ad negotium rettulit.

16 Sed sine paululum ad me ut redeam

Don.: ad se redire dicitur, qui animum recipit et sedem mentis; Vergilius: „victus ad (Verg. in) se redit" (Geo. IV 443).

Magister, quem notavit W.: *et hic de corpore dixit: ad se autem redit, qui amens esse desistit.* (C)

Prima magistri verba *„et hic d. c. d."* respiciunt exemplum Vergilianum.

In Donati scholio W. correxit „recipit in sedem m.", Schopen „in sanitatem". Neutrum placet. Potius credo legendum esse: „qui animum recipit, sedem mentis", cf. Cicero de rep. II 67: „quae pars animi mens vocatur", et „mens animi" apud Plautum, Lucretium, alios.

Ad Ad. III 2. 26 Donatus: „animam recipe" quia ille prae anhelitu crebriora verba continuare non possit.

IV 1, 3 Ut malis gaudeant atque ex incommodis alterius sua ut comparent commoda

Don. (2): legitur et „gaudeat" et „comparet". Mag. (3): „ex incommodis alterius" et hic „gaudeat" subauditur! (C)

24 „Nisi me lactasses amantem". Mag. (1): produxisses, oblectasses, induxisses, quae significatio frustrationem ostendit. (C) Don. (2): lactare est inducere in aliquam voluntatem, a laciendo, unde et oblectare dicitur.

39 „Davus interturbat" [1]). Don. (3): *et* „inter" modo † pronuntiabat habetur significatio †; est enim auctiva particula, ut „interfectus, interemptus" (Plaut. Merc. V 1. 4). Mag. (4): vel „inter" modo pro per, ut ille: „hunc inter fluvio Tiberinus amoeno" e. q. s. (Aen. VII 30). Exemplum claudicat.

Corrupta Donati verba non male W. ita corrigenda esse censuit: „pronuntia, ut adiuvetur significatio", nisi praestat: „ut augeatur s.". (C)

IV 2. 9 Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga

Post elegantem Donati interpretationem (1) magister ita (2): aut, si poenitet te, quantum sua sponte insanit. (C)

23 Donatus recte (1): „Ne" pro nedum. Mag. (2): *aut adverbium prohibentis, ut sit „ne" non.* Notavit W. (C)

IV 3. 11 Ex ara hinc sume verbenas tibi

Don. (1): ex „ara" Apollinis scilicet, quam 'Αγυιαῖον Menander vocat.

1) De ambigua huius versus lectione vide Umpfenbach. Mox de auctiva particula confer IV 2. 11.

Mag. (2): aut quod Apollini comoedia est dicata, in cuius honorem aram statuebant comoediam celebrantes. (C)

Supra (p. 291 adn.) magistro A tribui conclusionem ex Donato (1) quae legitur in (3): Apollini ergo comoedia, Libero patri tragoedia.

Praeterea apertum excerptoris Donati indicium habemus in (4): „Verbenae", quasi herbenae, redimicula sunt ararum" ex (7) „Verbenae" sunt omnes herbae frondesque festae ad aras coronandas vel omnes herbae frondesque ex loco puro decerptae; verbenae autem dictae veluti herbenae [1]).

Ille excerptor, quem in scholiis multiplicibus saepius deprehendemus, diversus fuisse videtur a magistris adhuc repertis.

18 Don. (1): Bene „intenderam", verbum a venatoribus translatum, qui retia intendunt ad feras captandas.

Mag. (2): Vel a sagittariis atque arcu. (C)

IV 4. 19 Adeon videmur vobis idonei in quibus sic inludatis?

Don. (1): et „inludo in te septimo casu et inludo te accusativo dicimus.

Mag. (2): sed „in" primo supervacuum est, ut sit: quibus — „Ab Andria est ancilla haec" (vs. 17) effecit quod voluit Davus, nam intellexit Chremes, ex qua sit Pamphilo natus puer. — sic inludatis.

Miro librariorum errore magistri scholium dividitur adnotatione genuina Donati ad vs. 17 (cf. ad vs. 27), quod W. immerito inclinatis litteris expressit. (C)

44 Per tempus advenis

Don. (1): Idem est „per tempus" quod in tempore.

Mag. (2): Àut certe „per tempus" tempestive. (C)

IV 5. 22 Pol, Crito, antiquum obtines

Don. (1): „Antiquum" absolute dixit, ut aequum aut bonum, quod antiqui solebant.

Mag. (2): Aut certe per ἔλλειψιν, id est „morem et ingenium".

Meminit magister non indoctus loci in Hecyra V 4. 20: „At tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines". (C)

1) Cf. Serv. ad Aen. XII 120, ubi hoc etymon legitur: „quidam sane veris proximi herbas verbenas dicunt".

V 1. 22 Nescio quid tibi sum oblitus hodie ac volui dicere

Magister, quem supra tractavi p. 303, dedit scholium (1): deest „propter", ut sit „propter nescio quid".

Ab illo igitur diversus est hic noster in scholio (2): Aut: „nescio quare", ut sit adverbiale. (C)

V 2. 3 Ego commodiorem hominem adventum tempus non vidi

Don. (1): Hic Davus admiratur, quod in ipso articulo periculi supervenerit Crito: (2) potest enim et commodus esse quis et alieno tempore supervenire [potest]: — (3) *Et commodum in homine est, sed et opportunus adventum malum habere potest.* — nam commodum in homine est, adventus in facto eius, tempus in opportunitate facti.

Scholia (1) et (2) efficiunt unum integrum et continuum Donati; (3) quod notavit W., referendum videtur ad magistrum leniorem. De postremis („nam commodum" sqq.) dubito et Philosopho digniora videntur, quam Donato, qui speciosas distinctiones vulgo abhorret. (D)

24 Quadrupedem constringito

Vide de his scholiis Mnemos. XXXII p. 245, ubi dubitavi de auctore primi (1) et tertium (3) Philosopho adsignavi. Secundum (2) deberi puto alteri magistro. (C)

V 3. 5 Don. (1): *Et* „confidentia" modo pro audacia et pro improbitate, ut in Phormione „homo confidens" (I 2. 73). Aliter hic supra (V 2. 14) „confidens" pro constanti et gravi.

Mag. (2): Ergo confidentia interdum in mala significatione, interdum in bona significatione ponitur; sed fiducia semper in bona significatione ponitur.

Sapit magistrum confidentiorem. (C)

8 Don. (1): „inpotenti" minus potenti.

Mag. (3): Vel certe debili et devicto. (C)

V 4. 4 Don. (1): „Insolens" insuetus, insolitus, (add. exx. Ciceronis et Sallusti).

Mag. subiunxit: *„insolens" et arrogans intelligitur.*

Verba notavit W. (C)

22 Adplicat primum ad Chrysidis patrem se

(1): Quid est „primum" an quia postea mortuus est?

Omisi hoc scholium adscribere interrogativis Philosophi, l.l. p. 246.

34 Vix sum apud me

Don. (2): non sum apud me: consuetudine magis quam ratione dicitur.

His ibidem subiunxit Mag.: aut forte sic dicit, quasi abierit animus et rursus redierit. (C)

De reliquis huius loci scholiis vide Mnemos. l.l. p. 241.

36 Pater

Don. (4): Hic iam redit in gratiam Simo cum filio, nisi forte p a t r e m socerum (Chremetem) appellat, ut Turnus apud Vergilium (XII 50), non quomodo infra (vs. 44) dicit: „quod restat, pater".

Quae subiunguntur de his verbis e vs. 44, notata a W e s s n e r o: *an ideo „restat" quia haec iam maior pars reconciliationis est?* haec quoque Philosopho dare debui.

38 Nodum in scirpo quaeris

Don. (1): Scirpus palustris res est et levissima. Lucilius in primo: „nodum in scirpo, in sano facere ulcus". — Mag. (2): *Est autem s c i r p u s sine nodo et levis iunci species, alibi ipse: „reddunt curatura iunceas"* (Eun. II 3. 34). — Plautus: „scirpo induitur ratis".

Verba notavit W. (C)

Indicavi quatuor magistros, qui pro sua quisque doctrina et ingenio commentum Donati varie illustraverunt aut offuscaverunt idque fere videntur fecisse post Philosophum, etiamsi hoc nondum ubique pro certo adfirmaverim. Proximum officium hoc erit, ut indagemus scholia ipsius Donati, quorum characterem proprium si cognoverimus, paratiores, ut spero, erimus ad extricandam compositionem scholiorum multiplicium, quae propter rei difficultatem non nisi raro adhuc tetigi. Quid muneris tum porro nobis instet, postea videbimus.

HENGEVINIUS?

SCRIPSIT

P. J. M. VAN GILS.

Incerti auctoris De ratione dicendi ad C. Herennium libri IV [M. Tulli Ciceronis ad Herennium libri VI], edidit Fridericus Marx (Lipsiae in Aedibus B. G. Teubneri 1894).

Marx v. cl. codicem Herbipolitanum (Wirceburgensem) describens haec habet (p. 11 sq.): „Fol. 75 pagina postica explicit liber ad Her. VI, additae sunt ab homine eiusdem saeculi inscriptiones metricae ex ecclesiis urbis Romae sumptae scriptae litteris Karolingiis parvulis, quae complent fol. 75 v. et fol. 76 r. e quibus una celebrat monumenta Paschalis I qui papa fuit 817—824: conf. de Rossius ICUR II 1 p. 154 seqq. — Fol. 76 v. haec leguntur:

quem terra
pondus nunc dimittis servum tuum domine servum
secundum verbum domine tuum in pace
ex more docti mistico servamus *hengevinium*.

Vocabulum ultimum potest et legi *hengeninium*: illa tamen sine dubio praeferenda erit lectio. Fol. 77 (78 r.) Oeggius legit *gerbotus scripsit* — qua de re conf. C. Halmii Analecta Tulliana fasc. I p. IV, qui codicem contulit primus et lectiones ex codice satis diligenter excerptas l. s. edidit. Quae verba nunc fere deleta possunt quidem esse eius qui librum totum exaravit. Illi qui antecedunt fol. 76 v. versus, quorum ultimus transiectione verborum et numeris qualibus hymni panguntur poetam prodit ita

interpretandi videntur: '*Hengevinium cuius corporis pondus domine nunc in pace dimittis e terra* (conf. Lucas II 29), *eius animum nos clerici arcana sacramenti institutione servamus' unde colligas Hengevinium illum cum Gerbotus scriptor barbarus haec verba barbara conscriberet animum egisse et sacramentum accepisse.*"

Prorsus a vero aberravit v. cl.

Verba enim e codice citata sunt initia trium canticorum ecclesiasticorum, quae inveniuntur in Breviario Romano.

Pars media initium est — repetitis quibusdam vocibus ob cantum uti videtur — hymni ad Completorium:

„Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace". (Lucas II. 29).

Voces: „*quem terra pondus*" sumptae sunt ex hymno, quem composuit Venantius Fortunatus (F. Kaulen, Kirchen Lex.[2] IV (1886) art. Fortunatus Sp. 1632; S. Baümer, ibid. VI (1889), art. Hymnus, Sp. 533; Ulysse Chevalier, Repertorium Hymnologicum, II (Louvain 1897), p. 404).

Canitur hic hymnus „in Festis B. Mariae Virginis. Ad Matutinum" et sonat:

quem terra, pontus, sidera (varia lectio *aethera*)
colunt, adorant, praedicant,
trinam regentem machinam
claustrum Mariae baiulat.

Ultima vero verba referenda sunt ad hymnum de cuius auctore ambigitur. Alii enim putant eum esse Ambrosium (Migne Patrol. XVII, 1211 s. ponit canticum inter „Hymnos Sancto Ambrosio attributos" LXVII), alii Gregorium Magnum (Chevalier I p. 335. S. Gregorius (Ambrosian).

Canitur Dominicis „in Quadragesima". Prima stropha sonat:

ex more docti mystico
servemus h o c i e i u n i u m
deno dierum circulo
ducto quater notissimo.

DE LAPIDE NUPER ATHENIS IN ARCE INVENTO.

SCRIPSIT

E. VAN HILLE.

I.

. . . . π . . . . ν ο
. . . . ο λ
. . . .
[σ τ] α θ μ ὸ ν . . . . . .
. . ι τ ε ρ ο . ν ι α
. . ρ . . . .
ἀ ρ [γ υ] ρ ᾶ [σ τ] α θ [μ ὸ ν .
. . . . ο . . . . ο σ . .
. . . ο . . . .
. . . . υ . . . .
. . . .
. . . . δ ι . . . .
. ρ α . ν . π α ρ α . . γ . . .
. ε . . π ο . . μ . . . κ . '' α
δ π [ί σ] θ ι ο ν . . ε . η δ . ο . ρ
[σ]τ[αθμὸ]ν[Χ𐅄]ΔΔΔΓ·
[κ]ρατὴρ χρ[υσ]ο̃ς ὁ ἐλάττων,
[σ]ταθμὸν [. . . . . .]Γ⊢⊢II
[ὑ]δρία [χρ]υσῆ, σταθμὸν [. . .]𐅄ΔΔ[Γ]⊢⊢⊢IIII
[ὑ]δρία [χρ]υσῆ, σταθ[μ]ὸν [- - - - - - -]

[ο]ἰ[ν]οχόη χρ[υ]σῆ, [σ]ταθμὸν [. . . .] ⊢⊢I
[. .] χα [. . . . .] ο
[. . . . .] ω [.] ον [σ]ταθμὸν : 𐅅HHH
[Φι]άλαι [πτι]λωταὶ ἕξ, σταθμὸν [- - -]
[Φ]ιάλαι Αἰθιοπίδες τέττα[ρες],
[σ]ταθμὸν 𐅅[H]HHΓIII·
[Φ]ιάλη χρυ[σ]ῆ, ἣν Στέφανος ἀνέθηκεν
[Θ]άλλο, [σ]ταθμὸν H𐅄ΔΔΔΓ⊢·
στέφανος χρυσõς τῆς θεõ ἀριστεῖον
ἐκ Παναθηναίων, τῶν ἐπὶ Ναυ[σι]νίκο
ἄρχοντος, [σ]ταθμὸν : H𐅄ΔΔΔΔΓ[⊢]⊢⊢IIII·
[κ]υμβίον χρυσõν, σταθμὸν : ΔΔΓ⊢IIↃ·
χρυσίον ἐν κιβωτίωι ἀπὸ τõ [κα]νõ,
[ἵ]να τὰ ἐλεφάντινα ζῶια, σταθμὸν ΔΔΔΔ·
[δ]οκ[ι]μεῖα λεῖαι χρυσαῖ τετταράκοντα
[ἕξ], σταθμὸ[ν] 𐅄ΔΔΔΓ⊢⊢⊢⊢III·
χρυσίον, ὃ παρὰ Ἀριστάρχωι [η]ὑρέθη,
σταθμὸν Γ[⊢]⊢I·
[ε]ἱλικτῆρες Ἀρτέμιδος Βραυρωνίας
χρυσοῖ, σταθμὸν : ⊢⊢⊢IIIII·
[φ]ύλλον [ἀπὸ] τῆς θύρας ἀπὸ τõ ἑκατομπέδο
[χρ]υσõν ἀπὸ τõ ἥλο ἄστατον·
στέφανος χρυσõς, ὃν ἡ Νίκη ἔχει
[ἐπὶ τῆς] κεφαλῆς, ⟨ἣ⟩ ἐπὶ τῆς χειρὸς
τõ ἀγάλματος· τῆς Νίκης
τῆς ἐπὶ [Σωκρα]τίδο ἄρχοντος·
πρῶτος ῥυμός· κεφαλή· στεφάνη·
[σ]τέ[φα]νος [ὃ ἐπ]ὶ τῆι κεφαλῆι·
[σ]τέ[φα]νος, ὃν [ἐν] τῆι χειρὶ ἔχει·
[ἐ]νωιδίω· ὑπο[δ]ερ[ί]ς· ὅρμος· χεῖρες
ἀμφότ[ερ]α[ι· ἀμ]φιδέαι δύο π[. . ο .]
[ἥ]λ[ω . . .]
[σ]τα[θμὸν . . . .] H𐅄ΔΔΓ⊢⊢⊢I·
[δ]εύτε[ρος ῥυμ]ός· θώραξ, περόναι
[. . . . .]ον ὀπίσθιον,
[σ]ταθμ[ὸν . . . .] 𐅄ΔΔ⊢⊢⊢I
[τ]ρίτο[ς ῥυμός·] σκέλη ἀμφότερα·
[.]α[. .]χα[. . . . . .] δύο· περόναι τέτταρες·

[σ]ταθμ[ὸν . . .]ΧΗΗ𐅄ΔΔΔ⊢⊢C·
τέταρτος ῥυμός· ἀπόπτυγ[μ]α· πόδες δύο·
[πε]ρονίδες [- - - - - -]
[στ]αθμὸν ΧΧΗ[.]ΔΔΔ⊢·
ὑδρία χρυσῆ [στ]αθμὸν :: ΧΗΙΙΙΙΙ·
[στ]έφανος χρ[υσ]õς, ἀριστεῖον τῆς θεõ
[ἐ]κ Παναθηναίων τῶν ἐπὶ Σωκρατίδο
ἄρχοντος, σταθμὸν Η𐅄ΔΔΔ⊢⊢ΙΙΙ.

τάδε χρυσᾶ καὶ ἐπίτη(κ)τα
κ[α]ὶ ὑπόχαλκα ἄστατα·
κρατὴρ ἐπίτηκτος ἐπίχρυσος ὑπάργυρος·
ὑπόστατον κρατῆρος ὑπόχαλκον
ἐπίχρυσον· γοργόνειον χρυσõν
ὑπάργυρον ἐπίτηκτον ἀπὸ τῆς ἀσπίδος
τῆς ἀπὸ τõ νεώ· ἀσπιδίσκαι ἐπίχρυσοι
ὑπάργυροι τέτταρες· ἀκινάκης σιδηρõς,
τὴν λαβὴν χρυσῆν ἔχων, τὸ δὲ κολειὸν
ἐλεφάντινον ἐπίχρυσον, τὸ δὲ [. . . .]ιον
χρυσõν· ἀσπίδες ἐπίχρυσοι λεῖαι δύο·
τρίτη ἀσπὶς ἐπίχρυσος γοργόνεον ἔχοσα·
ἀνθέμιον χαλκõν ἐπιτήκτωι περι-
κεχρυσωμένον· ὑποδερίδιον ξύλινον
ἐπίχρυσογ· κανõν κατάχρυσον
ὑπόχαλκον χαλκᾶ διερείσματ' ἔχον.

τάδε σταθμῶι παρελάβομεν χρυσᾶ
καὶ ἐπίτηκτα καὶ ὑπόχαλκα·
κανõν χρυσõν ὑπόχαλκον, ἵνα ὁ 'Απόλλων,
σταθμὸν :-:ΧΧΧ𐅅𐅄ΔΔΔΔ𐅃⊢·
ἕτερογ κανõγ χρυσõν ὑπόχαλκον, ἵνα
ὁ Ζεύς, σταθμὸν :-:ΧΧΧ𐅅Η𐅄ΔΔΔΔ·
[Φι]άλη χαλ[κο]κρὰς βαρ(β)αρική, ἥγ Κλέων
ἀνέθηκεν, σταθμὸν Η𐅄Δ𐅃⊢⊢ΙΙΙΙΙ·
Φιάλη ὑπάργυρος ἀκυλωτή, σταθμὸν Η⊢ΙΙΙΙ·
θυμιατήριον ἐπίχρυσον ὑπόχαλκον, ἵνα
τὸ ἄλφα π(α)ρ[α]σεσήμανται, σταθμὸν
σὺν τοῖς ἥλοις τοῖς χαλκοῖς ΧΧΧΗΗΗΗ·

θυμιατήριον ἐπίχρυσον ὑπόχαλκον, ἵνα
τὸ βῆτα παρασεσήμανται, σταθμὸν ΧΧΧΗ𐅄ΔΔ·
χρυσίον ἐπίτηκτον ὑπάργυρον,
σταθμὸν :·:Γ[⊢]⊢⊢ΙΙΙ·
χρυσίον ἐπίτηκτον ἀπὸ τῶν ἀκρωτηρίων
τõ νεὼ τῆς Νίκης, *σταθμὸν* :·:Γ⊢ΙΙΙ·
χρυσίον ἐπίτηκτον ἀπὸ τῆς ἀσπίδος
τῆς πρὸς τῶι νεώι, σταθμὸν ⊢⊢⊢ΙΙΙΙΙ·
ἕτερον χρυσίον ἐπίτηκτον ἀπὸ τῶν
ἀκρωτηρίων, σταθμὸν ::Δ⊢⊢⊢·
σφραγίδιον ἀργυρõν δακτύλιον ἔχον.

τάδε ἀργυρᾶ ὑπόχαλκα· θυμιατήριον
χαλκᾶ ὑπερείσματα ἔχον, ὃ Ἀριστόκριτος
[ἀ]νέθη[κεν], σταθμὸν ::ΧΧΗΗΗΔΔΔ·
[θ]υμια[τήριον] χαλκᾶ διερείσματ' ἔχον,
[σ]ταθμ[ὸν . . . .] ΗΗΔΔΓ⊢⊢⊢·
[θ]υμια[τήριο]ν χαλκᾶ διερείσματ' ἔχον,
ὃ Κλεο[στράτ]η *ἀνέθηκεν, σταθμὸν* ΧΗΗΗΔΔ·
ὑδρία [. . . . .] λίνη ἡ ἐπὶ Δυσνικήτο
σταθμ[ὸν . . .] ΔΔΔΔΓ⊢⊢⊢·
στέφαν[ος . . .]ος ὁ παρ' Ἀβδηριτῶν
σταθμ[ὸν . . . .] ΔΔΔ[. .]⊢⊢⊢ΙΙ·
ἕτερος στέφανος, ἀριστεῖον ἐκ Παναθηναίων
[τ]ῶν ἐπὶ Δυσνικήτο, *σταθμὸν* ΗΗ·
[σ]τέφανος ὁ παρὰ Καρυστίων, *σταθμὸν* 𐅄ΔΔ·
[ἕ]τερος παρὰ Καρυστίων, *σταθμὸν* 𐅄ΔΔΙΙΙΙΙ·
[ἕ]τερο[ς] ὁ παρὰ Σιφνίων *στέφανος* 𐅄ΔΓ⊢ΙΙΙΙΙ·
ἕτερος στέφανος παρὰ δήμο συλλογέων
τῶν ἐπὶ Δυσνικήτο, *σταθμὸν* :·:ΔΔΔΓ⊢⊢ΙΙϽ·
ἐπέτειοι ἐπὶ Λυσιστράτο· *στέφανος ὁ παρὰ*
δήμο συλλογέων τῶν ἐπὶ Λυσιστράτου
ἄρχοντος, σταθμὸν : ΔΔΓ⊢Ι·
ἕτ[ε]ρος στέφανος ἐπὶ Λυσιστράτο, *ὃν*
ὁ δῆμος ἀνέθηκεν, σταθμὸν ·:· 𐅄ΔΔ.

II.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . . λ . ο |||||||| . . . . ͻ
. . . . ν . . . .
ο . . . . υ|||||ανσ . . . .
θυμιατήρι[ον] ἀρ[γ]υρατα . . ρ . . αντρα
ἄστατα ἐπι . . . .
κανο͂ν, ἵνα τὰ [ἐ]λ[εφάντινα ζῶια, ἄστατο]ν.

[ὑ]δρίαι ἀργ[υρα]ῖ Ἀθηνᾶ[ς] Πολ[ιά]δος·
πρώτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ[Η𐅄ΔΔΔΓ⊢⊢⊢]·
δευτέρα, σταθμὸν [𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔ⊢]·
τρίτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ[Η𐅄ΔΔΔ⊢⊢]·
τετάρτη, σταθμὸν 𐅅[ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔ⊢]·
πέμπτη, σταθμὸν [Χ⊢⊢⊢⊢ΙΙΙ]·
ἕκτη, σταθμὸν 𐅅Η[Η]Η[Η𐅄Δ]ΔΔΓ⊢⊢ΙΙΙ·
ἑβδόμη, σταθμὸν 𐅅[ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔ]⊢⊢⊢·
ὀγδόη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ[Η𐅄ΔΔΔΔΙΙΙΙΙ]·
ἐνάτη, σταθμὸν [ΧΙΙΙ]·
δεκάτη, σ[ταθ]μὸν 𐅅Η[ΗΗΗ𐅄ΔΔΔ⊢]·
ἐνδεκάτη, [στ]αθμὸ[ν 𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔΓ]·
δωδεκάτη, [σ]ταθμὸν [𐅅ΗΗΗΗ𐅄.\ΔΔΔ]·

τρίτη καὶ δεκάτ[η 𐅅HHHH𐅄ΔΔΔΔͰͰIII]·
τετάρτη καὶ δεκ[ά]τ[η 𐅅HHHH𐅄ΔΔΔ]·
πέμ[[ε]]πτη καὶ δεκάτη [𐅅HHHH𐅄ΔΔΔΔ]ͰͰͰ·
ἕκτη καὶ δεκάτη 𐅅HH[HH𐅄ΔΔΔΔ]ΓͰͰͰͰIII·
ἑβδόμη καὶ δεκάτη [𐅅HḤHH𐅄ΔΔΔΔͰͰͰ]·
ὀγδόη καὶ δεκάτη [𐅅HHHH𐅄ΔΔΔΔͰͰ]ͰͰ·
ἐνάτη καὶ δεκ[ά]τη [𐅅HHHH𐅄ΔΔΔΔͰͰ]ͰͰIII·
εἰκοστὴ 𐅅HHHH𐅄[ΔΔΔΔͰͰ]·
μία καὶ εἰκοστὴ XͰͰͰͰ[I]·
δευτέρα καὶ εἰκο[σ]τὴ [𐅅HHHH𐅄ΔΔ]ΔΔͰͰIIII·
τρίτη καὶ εἰκοστὴ [XI]·
τετάρτη καὶ εἰκοστὴ [𐅅HHHH𐅄ΔΔΔ]ΔͰ·
πένπτη καὶ εἰκοστὴ [X]·
ἕκτη καὶ εἰκοστὴ X[ΓͰͰͰͰIII]·
ἑβδόμη καὶ εἰκοστὴ [XIII].

ὑδρίαι ἀργυραῖ κα[ιναί]·
πρώτη, σταθμὸν 𐅅[H]H[H𐅄ΔΔΔ]ΔͰͰ[Ͱ]·
δευτέρα, σταθμὸν 𐅅HHH[𐅄ΓͰͰ]·
τρίτη, σταθμὸν 𐅅HHHHIIIII.

Ἀθηνᾶς Νίκης ὑδρίαι [ἀργυραῖ]·
πρώτη, σταθμὸν 𐅅HHH[- - - - -]·
δευτέρα, στ[αθ]μὸν 𐅅HH[- - - - - - - -]·
τρίτη, στα[θμὸν] XͰ·
τετάρτη, σταθμὸν 𐅅HHH𐅄ΔΔΔ[.]ͰͰ.

Ἀρτέμιδος Βραυρων[ίας] ὑδρία[ι]
ἀργυραῖ· πρώτη [𐅅HHH]H[𐅄]ΔΔΓͰͰͰͰ·
δευτέρα, σταθμὸν [𐅅HHHH]𐅄ΔΔΔͰͰ[Ͱ]·
τρίτη, σταθμὸν 𐅅HHHH𐅄ΔΔΔΓͰ[Ͱ]·
τετάρτη, σταθμὸν 𐅅HHHH𐅄ΔΔΔΔͰͰ·
πέμπτη, σταθμὸν 𐅅HHHHΔΔͰͰ·
ἕκτη, σταθμὸν 𐅅HHHHͰͰ·
ἑβδόμη, σταθμὸν 𐅅[HHH]H𐅄ΓͰͰͰ.

Ἀνάκοιν ὑδρίαι ἀργυρ[αῖ]·
πρώτη, σταθμὸν [𐅅]H[HH]𐅄ΔΔΔͰͰͰ·

δευτέρα, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗ𐅄ΔΔΔΓΙΙ·
τρίτη, σταθμὸν [𐅅ΗΗΗ]ΔΔΔΔͰͰ.

Δήμητρος καὶ Κόρη[ς ὑδρί]αι ἀργυραῖ·
πρώτη, σταθμὸν [𐅅ΗΗ]ΗΗ[ΔΔΓͰ]ͰͰͰΙΙΙ·
δευτέρα, σταθμὸν 𐅅[ ]ΗΔΔΔΓͰͰͰ·
τρίτη, σταθμὸν 𐅅ΗΗΗΗΔΔΓͰͰͰΙΙΙ·
τετάρτη, σταθμὸν [𐅅ΗΗΗΗ]ΔΔΔΓͰ[- - -]·
πέμπτη, σταθμὸν [𐅅ΗΗ]ΗΗ[𐅄]ΓͰͰͰͰ.

Ἀφροδίτης ὑ[δρ]ία ἀρ[γυ]ρᾶ μ[. . . . .] ΗͰ.

σταθμ[ί]α χαλκᾶ ΔΙΙ·
μάχαιρα σιδ[η]ρᾶ ἐλεφάν[τινον τὸ]
κολεὸν ἔχοσα, ἣν ἡ βολὴ ἀν[έθηκεν ἡ]
ἐπὶ Ἀντιγένος ἄρχοντος·
βοίδιον ἐλ(ε)φάντινον,
ὃ Σμικύθη ἀνέθηκεν·
παλλάδιον ἐλεφάντινον
ἐπίχρυσον καὶ ἀσπιδ[ίσ]κη ἐπίχρυσος,
ὃ Ἀρχίας ἀνέθηκεν· [χ]ρ[υ]σῖτις λίθος
ἐπὶ κίονος ξυλίνο· κυνῆ χ[αλκ]ῆ
ἐπίχρυσος μία· [γ]ραμματ[εῖον] παρὰ
τῆς βουλῆς τῆς ἐξ Ἀρείο πάγο
σεση(μ)ασμένον·
θρόνοι μεγάλοι τρεῖς οὐχ ὑγιεῖς
ἀνακλίσεις ἔχοντες ἠλεφαντωμ[έ]νας·
ἕτερος θρόνος ἀνάκλισιν οὐκ ἔχων·
ὄνυξ μέγας κατεαγώς·
φιάλη χαλκῆ, ἣγ Καλλίας
Πλωθειεὺς ἀνέθηκεν·
θρ]όνος Θετταλικός·
συβήνη ἐλεφαντίνη
ἡ] παρὰ Μηθυμναίων ἐπίχρυσος·
δί(φ)ρος κατεαγώς, ὑγι[εῖ]ς δύο
θρόνοι τέτταρες, τούτων [εἷς κ]ατεαγώς·
κλῖναι Μιλησιουργεῖς Δ ἐπι[σκ]ε[υ]ῆς
δεόμεναι· ὀκλαδίαι Δ·

τράπεζα ἠλεφαντωμένη.

στέφανοι ἐπέτειοι·
στέφανος χρυσοῦς ὁ παρὰ Ἀνδρίων
τῆι βουλῆι τῆι ἐπὶ Ναυσιγένους
ἄρχοντος, σταθμὸν ΗΔΔΓ⊢⊢⊢⊢ΙΙ·
ἕτερος στέφανος ὁ παρὰ [[*αν*]] *δήμο*
(*σ*)*υλλογέων τῶν ἐπὶ* Ναυσιγένους
ἄρχοντος, σταθμὸν ΔΔΔΓ⊢⊢⊢ΙΙΙC·
ἕτερος στέφανος ὁ παρὰ Τροζηνίων
τῆι βουλῆι τῆι ἐπὶ Να<υ>σιγένο<υ>ς
ἄρχοντος, σταθμὸν 𐅄ΔΔΔ⊢⊢ΙΙC·
ἕτερος στέφανος [*ὁ*] *παρὰ* Τροζηνίων
τῶι δήμωι, σταθμὸν ΗΗΔΔΙC.

III.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
τ . . . .
. *ι* . . . .
. *λ* . . . .
τη . . . .
δοκ[*ιμεῖον*] . . . .

τοι . . . .
ἐ . κι . . . .
[. . .] ο [. . .]
[χρυ]σο[. . . .]
δοκιμ[εῖ. . . . .]
φιάλα[. . . . .
χρυσίο[ν. . . . .]
σταθμὸν
δοκιμ[εῖ]ο[ν . . . .]
κρανίδιον [μικρὸν ἀπὸ τõ βάθρο]
π(α)ρεὰς χρυ[σᾶς ἔχον καὶ]
λό[φ]ο[ν ἐ]λεφά[ν]τ[ινον. . . . .]
μυρη[ρ]ὸ[ν ἀργυ]ρõ[ν. . . . . . .]
θηραῖα IIII· φιάλιο[ν - - - - - -]·

ἐκ τõ Παρθενῶνος·
γοργόνει[ο]ν· κάμπη κα[- - - - - -]
ἵππος· γρύψ· γρυπὸς προ[τομή]·
γρὺψ μέ[γας]· λέοντος προ[τομή]·
δράκων ἐπίχρυσος· [κλ]ῖν[αι]
Χ[ι]οργε̃[ς] ΓII· ξιφομάχαιρ[αι ΓIIII]·
ἐγχειρίδιον· ξίφη Γ· θώρακ[ες ΔΓI]·
πήληξ χαλκῆ· λύρα κατάχρυσ[ος]·
λύραι ἐλεφάντιναι IIII· λύρ[αι]
ξύλιναι Γ· κράνη χαλκᾶ IIII·
ἀσπίδες ὑπόξυλοι ἐπίχ[ρυσοι]·
κράνος Ἰλλυρικόν· ἀσπὶ[ς ἐγ]
Λέσβο ἐπίσημος· Νίκη· ἀσπ[ὶς]
ἐκ Παναθηναίων ἐπίχαλκο[ς]·
λήιον στάχυ<ε>ς ΔII περίχρυσο[ν]·
ἀλαβαστοθήκη ἄλυσιν ἀργ[υρᾶν]
ἔχουσα· μάχαιρα χαλκῆ ἐν
ἐλύτρωι ἐλεφαντίνωι· χαλ[κὸς]
κεχρυσωμένος· ἀκινάκης
κεχρυσ<ω>μένος· κιβωτίω δύο·
ὀπισθοκρηπῖδες· συβήνη μη[- - - - - -
ἀλα[β]ασ[τ]οθήκη ξυλίνη· κο[ί]τ[η]

ὑπόξυλος κατάχρυσος· ἀσπί[δες]
ἐπίσημοι ΔΔΔΙΙΙ, τούτων Γ ο[ὐ]
γεγραμμέναι· ἀσπίδες
ἐπίχαλκοι ΔΓΙΙ· κολεὸν μα[χαίρας]
ἰατρικῆς ἐλ[[ελ]]εφάντινον·
κλῖναι Μιλ[η]σιοργε̃ς ΓΙΙ·
κλινίδες ΙΙ· κνημίδων ζεύ[γη Δ]·
κυναῖ χαλκαῖ λεῖα⟨ι⟩ ΔΓΙΙ· [κράνη]
χαλκᾶ ΙΙΙ· στύρακες ΗΔ· σώρακοι
καιν(ο)ί· σωράκιον τοξευμάτων
σαπρῶν ἀχρήστων· δίφροι [Δ].

ἐν τῶι ἀρχαίωι ν⟨ε⟩ὼι ἄστατα·
στέφαν[[αν]]ος χρυσο̃ς, ὃγ Κόν[ων]
ἀνέθηκε, ἄστατος· στέφανο[ς]
χρυσο̃ς, ὃν οἱ ταμ[ί]αι ἀνέθε[σαν],
οἱ ἐπ' Εὐβολίδο ἄρχοντος·
στέφανος χρυσο̃ς, ὃν οἱ πρέ[σβεις]
ἀνέθεσαν οἱ μετὰ Δίωνος Λ[οκρο̃]·
στέφανος χρυσο̃ς, ὃν οἱ ταμ[ίαι]
ἀνέθεσαν οἱ ἐπὶ Δημοστρά[το]
ἄρχον(τ)ος· στέφανος χρυσο̃[ς]
ἄστα(τ)ος, [ὃ]ν Τιμ[α]γόρας ἀνέ[θηκεν]·
στεφάνω ὑποξύλω δύο· φιάλ[η]
ἀργυρᾶ ἄστατος ἣγ Κ[. . . . .]
Εὐκολίνη ἀνέθηκε· φιάλη ἀ[ργυρᾶ]
ἄστατος, ἣν Γλαυκὼ Νο[. .] γυ[νὴ]
ἀνέθηκεν· φιάλη ἀργυρᾶ ἄσ[τατος],
ἣν Δημὼ Ἀκομένο γυνὴ ἀνέθ[ηκεν]·
ἀσπιδίω δύο ἀργυρὼ καὶ κρ[ανιδίω]
δύο καὶ δοράτιον ἀργυρ[ο̃ν]·
φιάλη ὑπόξυλος ἐπίχρυσ[ος]·
χρυσίον ἄπυρον, ὃ ἀνέθηκ[εν - - - - -]
ἄστατον· δακτύλιος χρυ[σο̃ς]
ἄστατος, ὃν Ἀρχεδίκη ἀνέ[θηκεν]
ἀπορρα[ν]τήριον χρυσο̃ν, [ὃ]
ὁ ἀνδριὰς ἔχει· στεφάνη, [ἣν ἡ θεὸς]
ἔχει· π⟨λ⟩άστρα, ἃ ἡ θεὸς ἔχει·

ὄχθοιβος, ὃν ἡ θεὸς ἔχει ἐ[πὶ τῶι]
τραχήλωι· ὅρμοι Γ· γλαὺξ χ[ρυσῆ]·
αἰγὶς χρυσῆ· γοργόνειον [ἀργυροῦν]·
Φιάλη χρυσῆ, ἣν ἐν τῆι χει[ρὶ ἔχει]·
στέφανος χρυσοῦς, ὃν ἡ β[ουλὴ]
ἡ ἐπὶ Χαρισάνδρο ἄρχον[τος]
ἀνέθηκεν· στέφανος χρ[υσοῦς],
ὃν Τιμόθεος ἀνέθηκεν·
στέφανος χρυσοῦς, ὃν [- - - - -]
ἀνέθηκεν· στέφανος χ[ρυσοῦς],
ὃν Καλλίκλεια ἀνέθη[κεν]·
στέφανος χρυσοῦς, ὅ[ν ἡ βουλὴ]
ἡ ἐπὶ Ἱπποδάμαντος
ἀνέθηκεν· [Φ]ιάλη ⟨ἀ⟩ργυ[ρᾶ],
ἣν Ἀριστοβούλη ἀνέ[θηκεν]·
ξιφομάχαιρα χαλκ[ῆ]
πρὸς τῆι παραστάδ[ι]·
ξίφη δύο πρὸς τῆι π[αραστάδι]·
στέφανος χρυσοῦ[ς, ὃν ἡ βουλὴ]
ἡ ἐπὶ Καλλέο ἄρχο[ντος ἀνέθηκεν]·
Φιάλη ἀργυρᾶ, ἣν
. . . .
. . . .
. . . .
στέφανος χρυσο[ῦς, ὃν - - - -]
ἀνέθηκεν· Φιάλη [ἀργυρᾶ, ἣν]
Νικοφῶν Θημακ[εὺς ἀνέθηκεν].

Inscriptio haecce, quam ex auctoritate v. d. Kabbadiae nuper in Ephemeride Archaeologica [1]) brevi commentario instructam edidi, insculpta est in tabula marmoris Pentelici, quam Christiani adhibuerunt in porta occidentali Parthenonis extruenda, cum illud templum in ecclesiam Sanctae Virginis commutarunt. Dudum notum erat lapidem esse inscriptum; etenim pars aversa, in qua enumerantur res in Chalcotheca asservatae, apparebat

1) Cf. Ἐφημ. Ἀρχ. 1903, p. 141 sqq.

in poste meridionali portae. Hanc enumerationem nec nón partem exiguam inscriptionis partis adversae, quae detruncato forte fortuna lapide vicino in pariete templi legi poterat, Eustratiades v. d. edidit [1]). Cum mense Februario anni superioris lapis e muro solutus totius inscriptionis aspectum praeberet, occasio data est cum lateris hucusque occulti legendi tum partis iam editae corrigendae; nam non est obliviscendum Eustratiadem in editione facienda nonnisi gypseum ectypum adhibuisse.

Continet autem inscriptio traditionem quaestorum Minervae. Titulus periit. Catalogus ipse divisus est in columnas tres et ipsas parte superiore orbatas. Praeterea a dextra parte lapidis abscissum est frustum triangulare, qua re columna tertia ita est corrupta ut nullo modo sanari possit, reliquae tantummodo detritae sunt, praesertim columna media. Denique in columna prima duo foramina sunt infossa.

Traditio est anni 368/7 (Ol. 103. 1), id quod discimus e columnae II versibus 114—125, ubi sub vocibus *στέφανοι ἐπέτειοι* coronae enumerantur archonte Nausigene consecratae. Dubium non est quin hic annum traditionis teneamus, licet et alibi vox *ἐπέτειος* — sed perperam — sit adhibita; nam ante voces *στέφανοι ἐπέτειοι* linea est vacua relicta et superest anni 367/6 traditio, quam novicia continere videbimus.

Divisus est catalogus in tres partes, amplectentes

1. Res, quae asservabantur *ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ*, h. e. in Cella centumpedali Parthenonis. Recensentur hae in columnis prima et altera necnon in parte tertiae.
2. Res primum *ἐν τῷ Παρθενῶνι*, h. e. in atrio occidentali Parthenonis, asservatas sed inde in Cellam centumpedalem translatas. Eae leguntur inde a versu 38 usque ad versum 70 columnae III.
3. Res in templo Antiquo asservatas, inde a versu 72 usque ad 124 eiusdem columnae.

Columnam primam superscriptam fuisse *ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ* non est quod dicam. Lehnerus [2]) Michaelem secutus enumeravit praecipuas res, quae diversis aetatibus ibi fuerunt depositae; quarum complures in nostra inscriptione commemorantur.

1) Cf. Ἐφημ. Ἀρχ. 1874, p. 462 et C. I. A. II. 678.

2) Über die Athenischen Schatzverzeichnisse des vierten Jahrhunderts, p. 92 sqq.

Mihi hic de nonnullis donariis quaedam in medium proferre liceat. Pauca tantummodo de literis incertissimis versuum 1—15. Interpretatio inscriptionis, quae mense Augusto mihi erat facienda, multis difficultatibus erat obnoxia: calor erat maximus et lapis ad imaginem photograptam recte faciendam in latere erat collocatus, quo in statu legenti molestissimo permanere debebat, quoniam imagines identidem corruptae eveniebant. Itaque quae altero die repperisse mihi videbar, postridie obliterabam identidem; quapropter ea tantum, quae satis certa duxi, lectori obtuli.

Versu 7 vocem ἀργυρᾶ legere mihi visus sum, sed quo haec vocula pertineat ne suspicor quidem. Neque admodum placet; nam si illud ἀργυρᾶ recte sese habet, inter versus 8 et 14 τάδε παρελάβομεν χρυσᾶ vel eiusmodi aliquid scriptum fuerit necesse, quoniam inde a versu 17 res nonnisi aureae commemorantur. Quae verba potius in capite columnae statim post ἐν τῷ ἑκατομπέδῳ expectamus. Certiores tamen videbantur literae αρ . . ρα quam ut eas praetermitterem.

In inscriptione C.I.A. II. 701 invenimus οἰνοχόας, Φιάλας Ἀθηνᾶς Νίκης, Φιάλας Αἰθιοπίδας. Etiam in nostrae inscriptionis versibus 19—26 fit mentio paterarum Aethiopicarum, non tamen convenit numerus aut pondus, et ordo quoque differt; itaque conicere non audeo easdem res utrobique commemorari. Et κρατὴρ χρυσοῦς ὁ ἐλάττων idemne sit qui κρατὴρ χρυσοῦς ὁ μικρὸς dicitur in inscriptione C. I. A. II. 668. 12 necne, effici nequit. Sic prorsus manet incertum, quas res comprehenderint versus 1—16 et 22 sq.

In versibus 27 sq. ab Eustratiade male lectis [1]) commemoratur patera aurea Stephani Thalli filii; de quo Stephano eiusve nepote fortasse apud Lysiam sermo est in oratione de bonis Aristophanis, anno 388 vel 387 habita. Stephanus ille multo minus dives erat, teste Lysia, quam homines putaverant liberalitatibus eius commoti. Hic fortasse exemplum tenemus illius liberalitatis.

1) Inutile mihi videtur quicquid interest inter meam et Eustratiadis editionem indicare. Lectorem benevolum ad inscriptionem 678 relego.

De corona versus 29 infra agemus, nec non ad aurum canistri chryselephantini redibimus.

Cum versibus 35—40 optime concinit inscriptio C.I.A. II. 747, partim *στοιχηδὸν* exarata, quae e Fragmentis Incertis transferri iam potest ad Traditiones Quaestorum Minervae et emendatius sic scribi:

δοκι[μειαλειαιχρυσαι ΔΔΔΔΓΙ]
σταθ[μον 𐅄ΔΔΔΓ⊢⊢⊢⊢III]
χρυσιο[νοπαρααρισταρχωι]
ηυρεθη[σταθμον Γ⊢⊢Ι]
[ε]λικτηρε[σαρτεμιδοσβραυρωνι]
ασχρυσοισ[ταθμον ⊢⊢⊢IIII]
προστηννικ[ην . . . .
προσαπεδοσ[ανπαραλαβοντεσπαρα]
τωνπροτερων[ταμιων]
σταθμον. . . . . [*χρυσιον*?]
αποτωνθυμι[ατηριωνοηυρεθη?]
παρακαλλιμ[αχωισταθμον. . . . . . .
(*vacat.*)

A sinistra parte huius fragmenti cernuntur reliquiae numerorum, unde apparet non primam hanc columnam Traditionis fuisse.

Cum versibus 41 sq. cf. C. I. A. II. 708, 9 sqq.: *αἱ θύραι αἱ ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ τῶνδε δέονται μὴ ἐντελεῖς εἶναι· περὶ τὴν τοῦ λέοντος κεφαλὴν ἐλλείπει τῶν φύλλων ἑνός, περὶ δὲ κ.τ.λ.*, et 701 II 46 sq.: . . . . . *τῶν θυρῶν τοῦ Ἑκατομπέδου*, 677, II 2, 27 . . . . . *ον ἀπὸ τῆς θύρας*. Splendide autem inscriptione nostra confirmatur coniectura v. c. Michaelis (quam profert Lehnerus l.l. p. 57), C. I. A. II. 675, 4 legentis [*φύλλον*] aut [*μῆλον τῆς θύρας τοῦ Ἑκατομ*]*πέδου χρυσοῦν ἀπὸ τοῦ ἥλου*. Quod folium fortasse fuit ex ornamentis quae ianuis Cellae centumpedalis deësse dicuntur in inscriptione 708. Quod autem in nostra inscriptione legitur *ἀπὸ τοῦ Ἑκατομπέδου*, non *ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ* aut *τοῦ Ἑκατομπέδου*, suspicor olim folium illud, cum fractum esset, asservatum esse in Opisthodomo [1]), ideoque appellatum: „folium

1) Cf. Lehneri l l. p. 97 B.

de ianua ex Hecatompedo (huc translatum, quod cecidit) de clavo"; dein, quod mox demonstrabo aliis exemplis, postquam res ex Opisthodomo in Cellam centumpedalem sunt translatae, quaestores eas secundum materiem ordinasse nulla ratione habita locorum unde provenerant rerumve denominationibus non mutatis [1]); denique aliter digestis catalogis tales anomalias esse sublatas.

Versus 43—45, qui in omnibus fere traditionibus Cellae centumpedalis inveniuntur, luculenter testantur huius Cellae hic recenseri donaria. Hic enim commemoratur corona Victoriae quae in manu simulacri Minervae Virginis stat.

Versibus 45—62 describitur Victoria archonte Socratide (374/3; Ol. 101. 3) consecrata. Cuius archontis nomen integrum extat versu 65, et versu 46 vestigia certe literarum *σωκρα* supersunt. Non eadem est Victoria quae in inscriptionibus 652, 660, aliis commemoratur, huius enim partes alia ratione distributae sunt per singulos *ῥυμούς*. Et complura Victoriae signa fuisse notum est. Pleraque autem anno 407 in usum belli esse conflata, sed eorum numerum post bellum Peloponnesiacum singillatim esse restitutum, docuit Foucart [2]). Hoc mirum est, in nostra inscriptione unam tantum Victoriam describi, neque eiusdem fieri mentionem in 677, ubi complures Victoriae fuerunt enumeratae, si recte Lehnerus ibi vs. 25 legit N*ίκη σώτειρα ἡ μία*, existimans eam hac voce opponi *ταῖς ἑτέραις* N*ίκαις*, quae in sequentibus commemorantur [3]). Foucart omnes Victorias praeter notissimam illam in templo Dianae asservatas esse putat; quam miram et veri dissimilem coniecturam protulit collato versu 10 inscriptionis cuiusdam a se editae:

....*υσεντοαρτεμισιονοεπεστατεσταθμοντ*..

ultro tamen confessus se hunc versum neque supplere neque interpretari posse. Itaque iure Lehnerus eam coniecturam reiecit;

1) Hoc imprimis inde apparet quod in describendis rebus antiquioribus orthographia antiqua usurpatur. Sine dubio tituli coronarum v. c. ad literam perscribebantur in catalogis, etsi orthographia nova iam in usum venerat.

2) Les Victoires en or de l'Acropole, B. C. H., 1888 p. 283 sqq.

3) Cf. Lehneri l.l. p. 89 sq.

nam haud facile est dictu, cur Quaestores Victorias in Artemisium deportaturi fuerint. Potius existimat eas in Opisthodomo esse depositas, postea cum reliquis rebus Opisthodomi in Cellam centumpedalem translatas, dein a Quaestoribus inscriptionis 677 veteri Victoriae Cellae centumpedalis annumeratas.

Haec coniectura habet, quo sese commendet; nam Victoriae initio erant pecuniae instar, quae pecunia in Opisthodomo asservabatur. Cum tamen in nostra inscriptione non nisi unius Victoriae fiat mentio neque spatium supersit ad plures in textum introducendas, equidem confiteor me rem non intellegere. Itaque potius me converto ad fragmentum 710um, quod sic videtur explendum:

[π ε μ π τ ο σ ρ υ μ] ο [σ].
[α κ ρ ω τ η ρ]τ ο ν ο[π ι σ θ ι ο ν]
[σ κ ε λ η δ]υ ο χ ρ υ[σ ι δ ι α μ ι κ ρ α]
[σ τ α θ μ ο ν] XXXXΔΔ ......
[τ η σ ε] υ [ε] ρ [α σ] ν ι κ [η σ ...
[π ρ ω τ] ο σ ρ υ μ ο σ (*vacat*)
[κ ε] Φ α λ η σ τ ε Φ α ν [η σ τ ε Φ α ν ο σ]
[ο] ε π ι τ η ι κ ε Φ α λ η [ι ε ν ω ι δ ι ω]
[υ π] ο δ ε ρ ι σ ο ρ μ ο σ [χ ε ι ρ ε δ υ ο]
[α μ] Φ ι δ ε α ι δ υ ο ....
...ο σ κ α τ α κ ....
[σ τ α θ] μ ο ν XX///Γ ....
[δ ε υ τ ε ρ ο] σ [ρ υ μ ο σ]

Versus 1—8 accurate στοιχηδὸν sunt perscripti. Versu 9 item στοιχηδὸν scriptae sunt literae Φιδεαι, sed δύο vocula paulo propius literae ι est admota; versus 10 denuo recte ut videtur, sed versus 11 ita est scriptus, ut vox σταθμόν locum compleat literarum septem et dimidiae; quod ita esse apparet e loco literarum μον, unde sequitur literam σ versus 12i esse octavam.

Quae inde ab initio usque ad versum 5um supplevi incerta sunt[1]). Nam πεμπτοσρυμος (ante versum 1) peccat in ordinem στοιχηδὸν factum, item versus tertius[2]); dein pro T legitur I versu 1, sed editor T punctis tantum notavit in corpore, denique versu

1) Editor corporis adnotavit: „Vs. 1—3 nihil fere agnoscitur".
2) Num forte est legendum vss 2 et 3 χ ρ υ σ ι α σ τ α θ μ ο ν τ ο τ ο ν?

4° pro T legitur Ƴ, quae sescenties confunduntur [1]). Haec autem quamvis sint dubia, satis tamen mihi constat Victoriam hic describi et Lehnerum mihi assensurum esse pro certo habeo, etiamsi locum non attulerit.

Quae versibus 5—12 supplevi certa videntur. De Victoria autem agi quivis videt, sed, quod mentione dignum, minime haec congruunt cum descriptione quam praebent inscriptiones 677 aliae, optime vero cum nostrae I v. 47—54; nam quod Victoria in fragmento 710 nullam coronam manu tenere dicitur, interim fractam suspicor. Sit hoc discrimen, sed quod manus utraque et hic et illic ad eundem ῥυμὸν pertinet, mihi quidem satis documenti est de eadem Victoria agi; nam alibi ubique manus dextera et sinistra sunt separatae.

Versus 9 et 10 haud facile quis correxerit, cum et in nostra inscriptione hic locus sit lacunosus.

Versibus 1—3 fragmenti 710ⁱ eam quam aliunde novimus Victoriam indicari arbitror, quare contra ordinem literarum supplevi πέμπτος ῥυμός, non τρίτος ῥυμός, quod fecissem si de alia quadam Victoria agi putavissem. Quod autem discrepant numeri et in vulgari descriptione χρυσίδια desiderantur, unam utriusque rei causam esse suspicor, χρυσίδια enim diffracta cum ad quintum ῥυμὸν essent addita, pondus auctum esse.

'Ακρωτήριον quid significet difficile dictu est. Quam vocem in nostra inscriptione vs. 55 non supplevi, quoniam aliarum literarum vestigia cernere mihi videbar; sed confiteor vix aliud quid ibi potuisse scribi. In nonnullis inscriptionibus legimus ἀκρωτήριον χρυσίον ὀπίσθιον, ubi Köhlerus χρυσίον in χρυσοῦν mutavit, Foucart vero lectione inscriptionum servata statuit χρυσίον ὀπίσθιον esse partem statuae posticam, ἀκρωτήριον autem alas significare. In inscriptionibus C. I. A. II 652, 23 et IV II 331, 12 legimus ἀκρωτήριον χρυσίον ὀπίσθιον, in 677, 39 literas ηριο . . . . . . ον spatii habita ratione expleo potius ἀκρωτήριον χρυσίον ὀπίσθιον quam ἀκρωτήριον ὀπίσθιον, sed 667, 11 invenimus ἀκρωτήριον ὀπίσθιον, quod etiam in fragmento 710 supplevi, in

1) Cf. v. c. nostrae inscriptionis III vs. 81: αρχονυος pro ἄρχοντος et vs. 82 αστανος pro ἄστατος.

nostra autem inscriptione quicquid vs. 55 scriptum fuit ad ambas voces *χρυσίον* et *ἀκρωτήριον* recipiendas spatium non sufficit. Equidem cum Foucarto faciens ubi *χρυσίον* deëst *ὀπίσθιον* interpretor *τὸ ὀπίσθιον μέρος*.

Vs. 68—83 recensentur donaria aurea (sive potius inaurata), infusa, aes intus habentia nullo pondere addito. Quae partim tantum in aliis inscriptionibus recurrunt. Sic v. c. crater, cuius mentio fit vs. 70, commemoratur etiam in inscriptionis 652 (Ol. 95. 3) parte adversa versu 44, ubi fulcrum eius dicitur aureum. Itidem 660, 20, 667, 26. In parte aversa inscriptionis 652 statim ab initio gorgoneum citatur *ἀπὸ τῆς ἀσπίδος τῆς ἀπὸ τοῦ ἕδους*, quod 660, 53 et 661, 23 recurrit. Quamquam vocabulum *ἕδους* editores unde habeant nescio; nam, quantum video, ubique per coniecturam in textum introductum est. Gorgoneum nostrum *ἀπὸ τῆς ἀσπίδος τῆς ἀπὸ τοῦ νεὼ* esse dicitur versu 74. Haec igitur incerta sunt, sed in inscriptione 677 II 1, 35 fulcrum crateris quale nostro loco commemoratur post seriem coronarum, de qua infra. Spatium tamen illic non sufficit ad supplendas res quae apud nos versibus 72—83 sequuntur. Denuo igitur versamur in tenebris neque scimus unde hae res in Cellam centumpedalem introductae quove postea ablatae sint.

Inde a versu 85 recensentur res ex eadem materie sed pondere addito. De canistris ornatis Iovis et Apollinis imaginibus, de patera Cleonis (quae nunc demum recte legitur), de patera glandibus ornata (hactenus male scriptum fuerat *πτιλωτή* pro *ἀκυλωτή*, quod ni fallor *ἅπαξ εἰρημένον* est), de turibulis literis A et B signatis opus non est dicere. Reliqua, auri pondera (*χρυσία*) oriunda a templo Victoriae, a scuto templi, ab acroteriis et sigillum cum anulo, misere corrupta recurrunt 679, I 25—34; 677, II 18—23. Has res ex Opisthodomo in Cellam centumpedalem esse transportatas agnovit Lehnerus (l.l. p. 17). Etenim IV 2, 645 b *ἐπ' Ἀριστοκ[ράτους ἄρχοντος]* sive Ol. 95, 2 tamquam *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου* allata enumerantur ..... *τὰ ἐλεφάντινα* .... *θυμιατήριον* varia pondera mutilata. Eosdem numeros deprehendimus IV 2, 653 Ol. 95, 3 una cum reliquiis vocum *θυμιατήριον, οἰνοχόαι, κανᾶ, ἵνα ὁ Ἀπόλλων* et *ἵνα ὁ Ζεύς*.

In nostra inscriptione *οἰνοχόας* frustra quaerimus, nam *οἰνοχόη χρυσῆ* (Col. I vs. 21) cum hisce non est confundenda. Cetera conveniunt excepto pondere canistri Apollinis. Turibula partim variis sunt ponderibus (Col. I 110—115), partim pondus non indicatur (Col. II in fronte); etiam *τὸ κανοῦν, ἵνα τὰ ἐλεφάντινα ζῷα* in nostra inscriptione *ἄστατον* est; quae tamen res non obstat, quominus cum Lehnero Opisthodomo ea attribuamus. Constat igitur sub finem quinti vel initio quarti saeculi nonnullas res ex Opisthodomo in Cellam centumpedalem esse translatas et *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου* dictas. Usque ad annum 395 tres catalogos etiam distinctos extitisse *τῶν ἐν τῷ Ἑκατομπέδῳ, τῶν ἐκ τοῦ Παρθενῶνος, τῶν ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου χρημάτων* demonstrat Lehnerus, dein autem res pretiosas, quae ex Opisthodomo essent transportatae, secundum materiem inter ceteras quae in Cella centumpedali servabantur mixtas esse et commemoratas. Aliquamdiu post singula loca denuo indicata esse suspicatur; sic v. c. in laterculo cuius supra mentionem fecimus, 677, II, Col. 2, 6 voces *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου* periisse putat et 679, I 23 vestigium huius tituli superesse [1]. Quod falsum esse existimo. In nostra enim inscriptione eiusmodi tituli nec vola est nec vestigium nec spatium ad eum supplendum sufficit, literae autem quas dicit inscriptionis 679 ratione habita vitiorum vulgarium lapicidarum [2] et scripturae haud accurate *στοιχηδὸν* factae sic videntur explendae:

τ α [δ ε] σ υ α θ [μ ω ι π α ρ] ε [λ α β ο μ ε]ν κ α ι
π α [ρ ε δ] ο μ ε ν [ε π ι τ η κ τ α] κ α ι
ε π [ι χ ρ] τ σ [α κ] α [ι υ π] ο [χ α λ κ α]
κ α [ν] ο υ ν χ [ρ υ] σ ο υ ν ι ν α ο α π ο λ λ ω ν.

Sic 679 bene cum nostra convenit, nisi quod in illa praecedit hydriarum catalogus, qui in nostrae columna altera sequitur.

Ita demonstratum est voces *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου*, cum semel a quaestoribus essent omissae, nunquam postea esse restitutas. Gravior error Lehneri hic est, quod inscriptione 677 valde mutilata fretus *τὰ ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῴ χρήματα* Opisthodomo attribuit [3], ad quam quaestionem infra redibo.

1) Lehneri l.l. p. 87.
2) Cf. p. 341, 1; notandum est praeterea vs. 24 ΤΣ punctis tantum esse significata in corpore.
3) l.l. p. 98.

Inde a versu 110 incipiunt donaria argentea aes intus habentia. Sunt tria turibula nota ex inscriptione 698. Tertium Cleostratae inde a 649 passim invenitur commemoratum, solet autem subiungi Victoriae vulgari, unde apparet antiquitus ad Cellam centumpedalem haec pertinuisse, nam Cleostratae turibulum anno 399 iam ibi erat.

Versu 116 haec series interrumpitur et in secunda demum columna continuatur. Error hic commissus est anno 370 — cuius anni traditionem non habemus, — nam quae sequuntur inde a versu 117 usque ad 132 annis Dynniceti (370) et Lysistrati (369) sunt dedicata. Praeterea haec omnia vel saltem pleraque aurea esse, non est quod dubitemus. Quid versu 117 in literis .....λινη (an αγνη?) lateat, obscurum est, sed 119 [χρυσ]οῦς esse legendum, licet trium tantum literarum spatium esse videatur, pro certo habeo. Notandum est praeterea Quaestores nostros neglexisse inducere vocem ἐπέτειοι ante coronas anni Lysistrati, quam in superiore traditione invenissent.

Hic columna prima finem capit sine corruptela, nam reliqua pars tabulae vacat.

Columna II ab initio usque ad versum 18 misere est corrupta. Versibus autem 19—21 commemorantur turibulum argenteum, et canistrum quoddam, quod aureum fuit, si eiusdem mentio est facta Col. I 33 sq., qua de re Lehnerus haud sine causa dubitat; nam mirus foret locus donarii aurei post argenteum turibulum in traditione secundum materiem donariorum ordinata. Me iudice argenteum fuit, unum e donariis quae ex Opisthodomo sunt allata (cf. p. 342). Quapropter suspicor τοὺς πίνακας, τὰς οἰνοχόας, τὰ χερνιβεῖα, τὰς φιάλας, τὰς νήττας, quorum recensio fit 677, II 1, 39—61, initio columnae II^ae^ nostri lapidis fuisse enumerata.

De catalogo hydriarum, qui nunc sequitur (vs. 23—84) nihil dicam, nisi quod ea, quae in lapide misere trito legere non potui, aliunde supplevi, certa vero literarum vestigia ubi indagare mihi visus sum, etiam invitis ceteris lapidibus alios numeros addidi, quos lector harum rerum curiosus facile reperiet. Hoc tantum annoto versu 84 uniuscuiusque esse supplere:

Ἀφροδίτης ὑ[δρ]ία ἀρ[γυ]ρᾶ μ[ία σταθμὸν] Η⊢,

sed spatium minus ac literarum ductus incertiores mihi visa esse, quam ut haec vocabula in textum reciperem.

Sequentia (vs. 86—112) varia sunt, ut ita dicam. Partim eadem invenias: 645, 25; 646, 10—18; 647, 3—5; 649, 16 et 23; 652 A 46—48, B 4; 654 a 26, b 9; 658, 7? et 8; 660, 22 et 59; 667, 41—44; 673, 27; 676, 1—29; 684, 13—15; 701 II 43—57; 703, 7—8.

Una res archontis Antigenis (Ol. 92, 4) nomine addito designatur (versibus 87—89). Quae autem versibus 110—112 recensentur decem lecticae Mileti factae vel saltem artis Milesiae, decem sellae plicatiles, una mensa ebore ornata, V° saeculo in Parthenonis atrio occidentali fuerant asservatae (cf. C. I. A. I 170 et 173). Alia eiusdem originis donaria in Columna III enumerata sunt praescripto titulo: *ἐκ τοῦ Παρθενῶνος*, quapropter has res hoc loco non ratione sed mero errore enumeratas esse puto. Antiquiores autem IV^i^ saeculi tabulas, quas supra indicavimus, si quis conferat, donaria reliqua huius partis inscriptionis haud ita multo post turibulum Cleostratae, coronam Victoriae, reliquas res antiquas inveniet commemorata; unde apparet iam inde ab initio pacis, cum pauca essent donaria, in Cella centumpedali fuisse dedicata. Postea increscentibus Deae opibus Quaestores paria paribus, ut vidimus, adiunxerunt, cuius rationis catalogi hydriarum et coronarum (vide infra) praecipua documenta sunt.

Sequuntur coronae *ἐπέτειοι*, Nausigene archonte Ol. 103. 1 sive anno 368/7 dedicatae. Cuius nomen ter repetitum coronarum titulum fuisse puto.

Pauca dicam hoc loco de coronarum catalogo, quem praebet inscriptio Ol. 107. 3 sive anni 350/49, C. I. A. II 698. Initium capit inde ab anno Phrasiclidis (371/0). Recensentur ibi:

corona	[Nausi]nico	archonte	dedicata	193	drachm.	4 ob.
„	Dynniceto	„	„	200	„	
„	Lysistrato	„	„	36	„	
„	Nausigene	„	„	38	„	$3\frac{1}{2}$ „

Certum ibi mihi videtur [*Ναυσι*]*νίκου* nomen, licet temporis ordinem interrumpat et numerus aut meo aut alieno errore

(omisso Γ?) quinque drachmis minor sit quam in nostra inscriptione (I 30 sq.).

Coronae tertiae in nostro lapide (I 128—130) pondus 26 drachmarum 1 oboli tribuitur, sed post vocem σταθμὸν est unius literae spatium, quod interpunctioni tribuo, nullius certe literae vestigium sed tantum „:" dignoscere mihi visus sum. Reliquae coronae conveniunt (I 121 sq. et II 118—120).

Coronarum catalogum anno 367 incohatum esse suspicor. Cf. 677, II 1, 16—32, ubi variarum coronarum olim mentionem fuisse factam literarum vestigia testantur. Iure dixerit quispiam, illo tempore tumultuariam fuisse rerum sacrarum administrationem. Quaestores enim anni 370 cum coepissent donaria secundum materiem disponere, mire ipsi opus suum depravantes coronas sui anni catalogo Cellae centumpedalis inseruerunt. Idem fecerunt Quaestores anni sequentis, nostri autem anni Quaestores iterum seriem Cellae centumpedalis interruperunt; nam vix dubitandum est, quin etiam in parte superiore columnae III donaria Cellae illius fuerint commemorata.

Sed ut ad coronarum catalogum redeam, tria genera coronarum haud difficulter discreverit quis:

I. Coronas Panathenaïcas pondere circiter 200 drachmarum.

II. Coronas circiter 30 vel 40 drachmarum. E nostra inscriptione apparet has coronas donaria τῶν συλλογέων τῶν τοῦ δήμου esse, quae quotannis dedicabantur; ante annum 370 coronae eae non commemorantur. Magistratus illos inde a saeculo quinto primum creatos docent Schömann-Lipsius, Griechische Alterthümer, I p. 394 et 408.

III. Coronas ponderibus diversissimis, quas donaria gentium exterarum fuisse putaverim.

In columna tertia usque ad versum 30 nil superest nisi vestigia vocum δοκιμεῖα, Φιάλαι, χρυσίον. Quae quamvis sint exigua, sufficiunt tamen ad demonstrandum haec quoque ad Cellae centumpedalis traditionem pertinere; si enim compares 677, I, III, invenias, ut hic reliquias δοκιμείων, quorum unum vel plura σεσ[ημασμένα] dicuntur, quod participium recurrit plus minusve mutilatum 697, 11; 701, II (III), 66; 703, 16. In nostri lapidis versibus 22—24 legenda suspicor:

τοι[. . . . . δοκιμεια]
ε[γ]κι[βωτιωισεσημασμενατηι]
[δημ]ο[σιαισφραγιδι].

Sed incertiora haec sunt quam quae in textum recipiantur [1]).

Quae sequitur galea parva ἀπὸ τοῦ βάθρου (magni Minervae simulacri), nostro loco et in inscriptione 676 genarum tegmina habet, quorum alibi non fit mentio. Haec omnia et sequentia: vas unguentarium, quattuor res ignotas Theraeas, patellam ad traditionem Cellae centumpedalis pertinere apparet inspectis 676, 677, 701, 703. Imprimis utilis est comparatio inscriptionum 676 et 677. In hac 8 versibus supra reliquias τῶν δοκιμείων extat litera ξ, in qua vocis ξύστις (676, 35) vestigium agnoscere mihi videor, quapropter quae in inscriptione 676 inter 20—40 sive inter mensam eburneam (in nostra II 112) et galeam parvam (in nostra III 31) leguntur in nostra inter versus 1—20 columnae III incisa fuisse puto.

De fatis horum δοκιμείων nil est notum; inscriptiones enim 676 et 677 eiusdem aetatis sunt fere ac nostra.

Catalogus rerum „ἐκ τοῦ Παρθενῶνος" non multum peculiare habet. Lehnerus iam probavit, id quod nostro catalogo confirmatur, multa (res 24 ex 51) e catalogo saeculi quinti in nostro superesse; quod autem multae res pretiosae traditionum ineuntis saeculi quinti (C. I. A. II, 645, 655, 656) in inscriptione nostra frustra requiruntur, in his donaria ad ornatum muliebrem pertinentia, suspicari licet conflata esse interim quae vetustate essent corrupta, ut hydriae v. c. inde fierent [2]).

Ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ quae anno inscriptionis nostrae asservabantur invenimus in fine tabulae, III, 72 usque ad finem. Quae in tres partes dividere possumus; habemus enim:

I. Coronas, arma parva, pateras, anulos, aurum a privatis, quaedam a mulieribus consecrata.

---

1) Supplementi incertioris etiam mihi in mentem venit vs. 17 sq.:
τ[αδεπροσπαρεδοσανοιταμιαι]
[ο]ι[επι . . . . αρχοντος]

2) Cf. quae Demosthenes de Androtione disputat, quo infra redibo.

II. Coronas aureas, quas dedicarunt collegia, imperatores, legati:

Conon.			
Quaestores	Eubulide	archonte anno	394.
„	Demostrato	„ „	393.
Legati Locrenses (si verum vidi) sub Dione.			
Senatus	Callea	archonte anno	377.
„	Charisandro	„ „	376.
„	Hippodamante	„ „	375.
Timotheus [1]).			

III. Insignia, ornamenta, attributa simulacri Deae.

Quae sub I enumeravimus, nil habent, quod ea a donariis vulgaribus distinguat.

Ad coronas autem dedicatorias quod attinet, Cononem coronam suam vovisse arbitror post pugnam ad Cnidum factam anno 394 Timotheumque post expeditionem Corcyream et pugnam ad Leucadem factam anno 375; legatos autem Locrenses suspicor praeside Dione Athenas venisse anno 394 de re una cum Atheniensibus gerunda contra Lacedaemonios. Quae si probabiliter statuo, vs. 73 — 80 habemus res annis 394 et 393, vs. 102 — 117 res inter annos 377 et 375 dedicatas, separatas aliis donariis quorum aetas et donator vel aetas sola ignorantur. Aliqua igitur in hac inscriptionis parte habetur temporis ratio.

Quae ad Deae simulacrum pertinent (vs. 95—101) ideo notatu sunt digna, quod nescimus de quo simulacro illic fiat sermo; etenim ad Minervae Virginis simulacrum haec referri non posse, neque ad antiquissimum ξόανον sive τὴν πολιάδα, mox videbimus.

Nam ordine rerum eo deducimur ut intricatam quaestionem tangamus quae est περὶ τοῦ ἀρχαίου νεώ.

(*Continuabuntur*).

1) Erravit igitur Lehnerus Opisthodomo haec attribuens, quem deceperat misere habita inscriptio 677, ubi haecce (II, III 7—16 vel 22) interrumpunt seriem Parthenonis.

ADNOTATIONES CRITICAE

AD

LYCURGI LEOCRATEAM.

SCRIPSIT

S. A. NABER.

Anno 1854 amicus meus Antonius van den Es, quem ad hunc diem Amstelodami rude donatum superstitem esse laetamur, *Specimen* edidit *Philologicum Inaugurale de Lycurgi Leocratea*. Hunc libellum post tantum temporis spatium hisce diebus lubenter relegi itemque inspexi iudicium quod de commilitonis opere tuleram in *Mnem.* 1854 p. 409. Quae tunc scripsi, mea memoria penitus exciderant; sed laetus vidi me haud maligne laudavisse quae in Vandenessii [1]) dissertatione probanda essent; nec tamen minus hodie, tot speciminibus academicis lectis examinatis et correctis, libellum bonae frugis plenum cumulatius aliis commendo quam tunc me fecisse video. Veluti est Thalhemius qui Lycurgum apud Weidmannos edidit anno 1880; Van-

1) Amicus meus Thalhemio simpliciter audit *Es*. Est hic error multorum Germanorum, qui rationem particulae *van* in nostris gentiliciis nominibus minus perspectam habent. Nempe quod apud illos nobilium nominibus praefigitur *von* saepe quidem certa ratione omittitur: idem nostri quoque nobiles interdum faciunt, sed hi longe parcius. Contra, sicubi eadem illa particula *van* non nobilitatis indicium est, sed priscae originis, omitti nullo modo potest. Herwerdenum et Leeuwenium recte appellamus itemque, si quis hoc malit, Essium, Latina terminatione addita; ceterum sunt *van* Herwerden, *van* Leeuwen, *van den* Es et nos Hollandi sedulo cavemus ne praeclari viri ἀκέφαλοι περινοστῶσιν, cf. *Mnem.* 1902 p. 231.

denessium aliquoties laudavit; sed haud ita pauca sunt acute observata, quae silentio praeteriit; hoc enim hodie saeculum est: frustra studemus ut veterum opera quam emendatissime edi et legi possint, nam plerique editores vetustis librariorum vitiis delectantur et vix evidentes correctiones excerpunt, ut in marginibus apponant, reliqua omnia aut satis certa aut fortasse verisimilia cum contemtu abiiciunt; quam rationem ne tunc quidem probarem, si nonnullorum iudicium et criticam facultatem pluris facerem quam oportet.

De oratione in Leocratem maneo in ea sententia, quam olim pronunciavi. Ille est Lycurgus qui per duodecim annos ταμίας fuerat τῆς κοινῆς προσόδου et nunc senex post vitam praeclare actam pueruli instar in schola magistri misere declamitat in Leocratem, quamquam concedat nulla esse diserta verba legis, in quae reus peccarit. Eaedem sententiae, ter quaterve simili modo tornatae, ad satietatem usque recurrunt. Nullum κέντρον auditoribus ἐγκαταλείπεται· nihil festive dictum; scholae pulverem omnia redolent. Denique est historiae et antiquitatis crassa ignoratio, ut nihil veri simul et novi ex turbido fonte possimus expiscari. Inter decem oratores Atticos ultimum fere locum veteres critici tribuerunt Andocidi: non ego sum qui huius patrocinium suscipere audeam; verum enimvero, si penes me iudicium foret, haud cunctanter Lycurgum oratorum omnium pessimum appellarem. Sed suspicari licet Alexandrinos grammaticos alias trivisse Lycurgi orationes Leocratea longe praestantiores. Arguitur hoc tum ex iudicio quod de Lycurgo tulerunt Dionysius Halicarnassensis et Cicero, tum ex fragmentis quae Rutilius Lupus nobis servavit. Quidquid tamen huius rei est, experiar num hic illic paucula menda eluere possim, quae hucusque criticorum aciem effugerunt.

§ 18. Quam mire est dictum τὸ ἄςυ τῆς πόλεως. Cf. Vandenessius p. 15.

§ 19. Sine sensu legitur: τὴν Φυρκίνου μαρτυρίαν, ὃν καὶ ὑμῶν οἱ πολλοὶ κατηγοροῦντα τούτου (ἴσασιν) ἐν τῷ δήμῳ ὡς καὶ μεγάλα καὶ βλάβους εἴη τὴν πεντηκοςὴν μετέχων αὐτοῖς. Hunc locum graviter corruptum esse vides, sed perparum ad emen-

dandum proficitur Sauppii correctione: ὡς καὶ μεγάλα βεβλαφὼς εἴη. Primum constat πεντηκοστολόγους fuisse Leocratem et Phyrcinum, nam aperta verba sunt § 58: ἔτι δὲ καὶ τῆς πεντηκοστῆς μετέχων ἐτύγχανεν ἣν οὐκ ἂν καταλιπὼν κατ' ἐμπορίαν ἀπεδήμει et conferri poterit de publicanis Boeckhius *Oecon. Civil.* I p. 425 sqq. cum Bakii epicrisi *Schol. Hyp.* IV p. 269. Credibile est Phyrcinum questum fuisse se damnum accepisse ex fuga collegae, qui in portorio exigendo se destituisset. Hoc facili opera obtinebimus scribendo: ὡς καὶ μεγάλα βλαβείη τῆς πεντηκοστῆς μετέχων αὐτῷ.

Multae sunt minutae correctiones quas Thalhemius inconsiderate sprevit; veluti § 20 cum Dobraeo ἐκκλητεύσομεν, § 21 cum Sauppio ἐν γειτόνων, § 30 cum Bekkero γενομένων, § 37 cum A. G. Beckero ἀφειμένοι, coll. § 40 et 47 scribere debuerat. Talia per totam orationem unusquisque sibi colligere poterit. Unum praeterea exemplum describam, quia correctio est admodum elegans: γυναῖκας ..... πυνθανομένας [εἰ ζῶσι] τὰς μὲν ὑπὲρ ἀνδρὸς, τὰς δ' ὑπὲρ πατρός. Expunxit Vandenessius id quod vides p. 26.

§ 21: ἐκπλεῖ πάλιν ἐκ τῆς 'Ρόδου καὶ ἀφικνεῖται εἰς Μέγαρα καὶ ᾤκει ἐν Μεγάροις πλείω ἢ πέντ' ἔτη. In nitida compositione flagitatur praesens οἰκεῖ.

§ 42: ὥστε πρότερον μὲν ὑπὲρ τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερίας ἀγωνίζεσθαι, ἐν δὲ τοῖς τότε χρόνοις ἀγαπᾶν ἐὰν ὑπὲρ τῆς αὑτῶν σωτηρίας ἀσφαλῶς δύνηται κινδυνεῦσαι. Difficile dictu est quid sit ἀσφαλῶς κινδυνεῦσαι et arguitur corruptela quod continuo sequitur: καὶ πρότερον μὲν πολλῆς χώρας τῶν βαρβάρων ἐπάρχειν, τότε δὲ πρὸς Μακεδόνας ὑπὲρ τῆς ἰδίας κινδυνεύειν. Rogat Thalhemius num forte verum sit ἀμύνεσθαι, sed hoc quidem vix quisquam probabit. Incidi equidem in: ἐὰν ὑπὲρ τῆς αὑτῶν σωτηρίας ἀσφαλῶς δύνηται κοινολογεῖσθαι.

Sequuntur in eadem paragrapho quorum est valde impedita constructio: τοσαύτη δ' ἡ πόλις ἐκέχρητο μεταβολῇ ὥστε ..... καὶ τὸν δῆμον ὃν πρότερον Λακεδαιμόνιοι καὶ Πελοποννήσιοι καὶ οἱ

τὴν Ἀσίαν κατοικοῦντες Ἕλληνες βοηθὸν ἐπεκαλοῦντο, οὗτος ἐδεῖτο τῶν ἐξ Ἄνδρου καὶ Κέω καὶ Τροιζῆνος καὶ Ἐπιδαύρου ἐπικουρίαν αὐτῷ μεταπέμψασθαι. Operosa ratio est quam Vandenessius sequitur p. 27; mihi quidem insiticia videntur verba: *οὗτος ἐδεῖτο*, deinde si rescripseris *ἐπικουρίαν ἀντιμεταπέμψασθαι*, ad sententiae integritatem nihil desiderabis. Idem ille populus, cuius auxilium potentissimae gentes olim implorabant, nunc opem petit ab insulanis et parvorum oppidulorum incolis.

§ 49: *εἰ δὲ δεῖ καὶ παραδοξότατον μὲν εἰπεῖν ἀληθὲς δέ.* Praestat positivus: *παράδοξον.*

§ 50: *οὐκ ἂν αἰσχυνθείην εἰπὼν ςέφανον τῆς πατρίδος εἶναι τὰς ἐκείνων ψυχάς.* Vandenessius merito contendit hoc intelligi non posse et commendat *τὰς ἐκείνων τύχας.* Cur Thalhemius eam suspicionem ne memoravit quidem?

§ 52: *ἡ βουλὴ ..... τοὺς φεύγοντας τὴν πατρίδα ..... λαβοῦσα ἀπέκτεινε.* Nonne hoc *ξυλλαβοῦσα* dictum oportuit?

§ 58: *οὔτε τότε ἐκπλεύσας οὐδὲν εἰσήγαγεν ἐκ Μεγάρων, ἓξ ἔτη συνεχῶς ἀποδημήσας.* Qui e portu in altum enavigat *ἐκπλεῖ*, qui domum redit *καταπλεῖ* et Leocrates nullas merces Megaris Athenas importavit, unde apparet verum esse: *καταπλεύσας οὐδὲν εἰσήγαγεν.* Opponuntur inter se *ἐκπλεῖν* et *καταπλεῖν*, quemadmodum *ἐξιέναι* et *κατιέναι*· activa autem verba sunt *ἐξάγειν* et *κατάγειν*, de quo usu est luculenta Cobeti observatio *Mnem.* 1854 p. 128 et 1862 p. 114. Hinc pendet intelligentia eorum quae leguntur § 18 de Rhodiis, nam, accepto nuncio de pugna apud Chaeroneam, *τριήρεις πληρώσαντες τὰ πλοῖα κατῆγον καὶ τῶν ἐμπόρων καὶ τῶν ναυκλήρων οἱ παρεσκευασμένοι δεῦρο πλεῖν αὐτοῦ τὸν σῖτον ἐξείλοντο καὶ τἆλλα χρήματα διὰ τοῦτον.* Itaque triremes armarunt et onerariarum navium institores in quos incidebant, iusserunt Rhodum *κατιέναι*, ne quid frumenti Athenas veherent ad hostes. Nihil praedonum ritu Rhodii latrocinabantur nec merces publicatae fuerunt et dardanarii libenter Rhodum devertebantur, quod colligere possumus

ex Demosthenis Oratione contra Dionysodorum. Eo sensu quo dixi vocabulum *κατάγειν* usurpavit Demosthenes de Pace § 25 p. 63: *ἐῶμεν ... Χίον καὶ Κῶν καὶ Ῥόδον καὶ Βυζαντίους κατάγειν τὰ πλοῖα.* De Foed. Alexandr. § 19 p. 217: *ἔϛι γάρ που ἐν ταῖς συνθήκαις τὴν θάλατταν πλεῖν τοὺς μετέχοντας τῆς εἰρήνης καὶ μηδένα κωλύειν αὐτοὺς μηδὲ κατάγειν πλοῖον μηδένα τούτων.* Polycl. § 5 p. 1207: *Κυζικηνῶν καταγόντων τὰ πλοῖα ἕνεκα τῆς ἰδίας χρείας τοῦ σίτου.* Ibid. § 17 p. 1211: *Βυζάντιοι καὶ Χαλκηδόνιοι πάλιν κατάγουσι τὰ πλοῖα καὶ ἀναγκάζουσι τὸν σῖτον ἐξαιρεῖσθαι.* Haud satis apparet rectene hos locos Vandenessius p. 81 intellexerit; sed perperam Harpocration v. *κατάγειν τὰ πλοῖα· Δημοσθένης ἐν η' Φιλιππικῶν* (de Pac. § 25)· *κατάγειν τὰ πλοῖα λέγεται ἀντὶ τοῦ βιάζεσθαι καὶ κακοῦν καὶ μὴ ἐᾶν τοὺς πλέοντας ὅποι βούλονται πλεῖν, ἀλλ' εἰς τὰ οἰκεῖα χωρία τοῖς λ η ϛ ε ύ ο υ σ ι κατάγειν, ὡς καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατὰ Λεωκράτους δηλοῖ.* Et hic quidem levis error est, sed gravius peccavit Georgius Grotus in *Historia Graeca* XI p. 504 Ed. Amer.: the Rhodians with their triremes began a cruise to seize the merchant-vessels at sea. Hence we learn, indirectly, that the Athenian naval power constituted the standing protection for the merchant vessels; insomuch that so soon as that protection was removed, armed cruisers began to prey upon them from various islands in the Aegean. Nempe Athenienses et postea Rhodii arrogabant sibi ius, quod nisi barbaro *stapulae* nomine non possum appellare.

§ 61: *ἡ πόλις τὸ μὲν παλαιὸν ὑπὸ τῶν τυράννων κατεδουλώθη, τὸ δ' ὕϛερον ὑπὸ τῶν τριάκοντα κ α ὶ ὑπὸ Λακεδαιμονίων τὰ τείχη καθῃρέθη.* Postremum hoc parum apte additum est idque Vandenessius rectissime ostendit p. 34, cum praesertim continuo sequatur: *καὶ ἐκ τούτων ὅμως ἀ μ φ ο τ έ ρ ω ν ἠλευθερώθημεν.* Nec tamen amicum meum sequar qui interpolationem odoratus est; satis est intercalare: (*ὅ τ ε*) *καὶ ὑπὸ Λακεδαιμονίων τὰ τείχη καθῃρέθη.*

§ 62. Hic planissime delirat orator. Contendit fieri nullo modo posse ut civitas renascatur, si semel eversa fuerit eamque rem comprobat exemplis Troiae et Messanae. Esto: ne Troia alite

lugubri renata sit, sed ipse docet Lycurgus Messanam *πεντακοσίοις ἔτεσιν ὕστερον ἐκ τῶν τυχόντων ἀνθρώπων συνοικισθῆναι.* Quid est nugari et sibi ipsi contradicere nisi hoc est? Quin et ipsae Athenae, secundum § 123, aliquando *ἀνάστατοι* fuerunt et tamen renatae sunt. Iam Hyperid. Philippid. § 8: *πολλαὶ πόλεις ἄρδην ἀναιρεθεῖσαι πάλιν ἴσχυσαν.* Deinde quod pertinet ad illos annos quingentos quibus deserta Messana iacuit, recte ostendit Vandenessius p. 92 inter urbem Iram a Lacedaemoniis captam compositumque secundum Messeniacum bellum et pugnam Leuctricam vix tria intercessisse saecula. Sed quod amicus meus diligenter exsecutus est p. 91 et 109, etiam supra Andocidem et Aeschinem Lycurgus veteris historiae incuriosus fuit. Vix melius est quod Dinarchus perhibet c. Demosth. § 73: *Μεσσήνην τετρακοσιοστῷ ἔτει κατῴκισαν.*

§ 73. Post pugnam ad Eurymedontem factam Athenienses *ἅπασαν τὴν Ἀσίαν κακῶς ποιοῦντες περιέπλευσαν.* Etiamsi fortasse ferri debeat § 15: *πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περιπλέοντες,* nam sermo fit de mercatoribus qui littora legunt mediterranei maris, non tamen assequor quomodo Asia possit circumnavigari; agitur de pace Calliae quae dicitur vetitique Persae sunt *μακρῷ πλοίῳ μὴ πλεῖν ἐντὸς Κυανέων καὶ Φασήλιδος*, unde suspicor reponendum esse *παρέπλευσαν.*

§ 74. Leocrates est *ὃς οὔτ' ἔδεισεν οὔτ' ᾐσχύνθη ὑμᾶς.* Mihi quidem placet reponere *ἠλέησεν*, coll. § 17: *οὔτε τοὺς λιμένας τῆς πόλεως ἐλεῶν, οὔτε τὰ τείχη τῆς πατρίδος αἰσχυνόμενος*, § 39: *τίς οὐκ ἂν τὴν πόλιν ἠλέησεν*; item § 141.

§ 88: *Ὁρᾶτε· ὁμοίως ἐφίλουν τὴν πατρίδα Λεωκράτει οἱ τότε βασιλεύοντες.* Eximie emendavit Coraes: *Ἆρά γε ὁμοίως* itemque illud *ἆρά γε* Lycurgus habet § 70, 119 et 123. Nec tamen Thalhemius correctionem in textum inferre ausus est. Quam temerarius criticus illi debeo videri.

§ 88. De regibus Atheniensium ita legimus: *τοιγαροῦν μονώτατοι ἐπώνυμοι τῆς χώρας εἰσίν.* Non quaero nunc verene hoc orator tradiderit de decem tribubus earumque nominum ori-

gine, sed, etiamsi vetusta lectio est, quam itidem confirmat Schol. ad Aristoph. Pluti vs. 182, malim tamen *μόνοι οὗτοι*, cum superlativus *μονώτατος*, quantum comperi, ceteroquin apud oratores non occurrat, nisi forte ea paragrapho, quae proxime sequitur, ubi Leocrates *μονώτατος ἂν προσηκόντως ἐξορισθείη τῆς χώρας ἣν ἐγκαταλιπὼν τοῖς πολεμίοις ᾤχετο*. Orator in eandem sententiam declamat § 131: *μόνος οὗτος τῶν πάντων ἀνθρώπων καὶ τὰ τῆς Φύσεως οἰκεῖα καὶ ἀναγκαῖα προδέδωκεν*. Sequitur obliviosum fuisse, qui § 53 ita dixisset: *ἀλλὰ μὲν Αὐτολύκου μὲν ὑμεῖς κατεψηΦίσασθε, μείναντος μὲν αὐτοῦ ἐν τοῖς κινδύνοις, ἔχοντος δ' αἰτίαν τοὺς υἱεῖς καὶ τὴν γυναῖκα ὑπεκθέσθαι, καὶ ἐτιμωρήσασθε*. Ceterum Hermogenes apud Hyperidem improbabat superlativum *μονώτατος*, cf. apud Blassium fragmt. 239.

§ 90: *καίτοι γ' ἐπεχείρησεν εἰπεῖν, ... ὡς οὐκ ἄν ποτε ὑπέμεινε τὸν ἀγῶνα τοῦτον συνειδὼς ἑαυτῷ τοιοῦτόν τι διαπεπραγμένῳ*. Facilia haec sunt, deinde sequitur paucis quibusdam interpositis: *οὐ γὰρ τοῦ πράγματός ἐϛι σημεῖον, ὡς οὐ πεποιήκασιν, ἀλλὰ τῆς ἀναιδείας ἣν ἔχουσιν, οὐ γὰρ τοῦτο δεῖ λέγειν, ἀλλ' ὡς οὐκ ἐξέπλευσεν οὐδὲ τὴν πόλιν ἐγκατέλιπεν οὐδ' ἐν Μεγάροις κατῴκησεν*. Hic quanto elegantiores et significantiores erunt primae personae *ἐξέπλευσα, ἐγκατέλιπον, κατῴκησα*.

§ 91: *ἐπεὶ τό γ' ἐλθεῖν τοῦτον, οἶμαι θεόν τινα αὐτὸν ἐπ' αὐτὴν ἀγαγεῖν τὴν τιμωρίαν*. Longum est totam verbosam ratiocinationem describere, sed quum § 92 dii dicantur *τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγειν*, malim fere: *ἐπὶ ταύτην ἀγαγεῖν τὴν μωρίαν*, quam suspicionem si probaveris, vix remanebit causa cur cum Herwerdeno expungas verba: *ἑτέρωθι .... ὑπέχει ταύτην τὴν τιμωρίαν*. Cf. apud Ciceronem Act. Sec. in Verrem I § 6: scelerum poenis agitatur et a mente consilioque deducitur.

§ 92: In ea sententia quam modo afferebam: *οἱ γὰρ θεοὶ οὐδὲν πρότερον ποιοῦσιν ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσι* Bekkerus delere voluit id quod est *ποιοῦσιν*· equidem scribere malim *προυργιαίτερον*.

§ 94. Contendit orator immortales deos πάσας μὲν τὰς ἀνθρωπίνας πράξεις ἐπισκοπεῖν, μάλιστα δὲ τὴν περὶ τοὺς γονέας καὶ τοὺς τετελευτηκότας καὶ τὴν πρὸς αὐτοὺς εὐσέβειαν. Hirschigius delere voluit verba καὶ τοὺς usque ad αὐτούς· fortasse satis erit rescribere: καίπερ τετελευτηκότας.

§ 98. Laudantur veteres: ἐφ' οἷς γὰρ ἐκεῖνοι ποιοῦντες ἐφιλοτιμοῦντο, ταῦτα δικαίως ἂν ὑμεῖς ἀκούσαντες ἀποδέχοισθε. Suppleverim: (ὀρθῶς) ποιοῦντες.

§ 99: τί ποιῶν ἂν νίκην λάβοι παρὰ τῶν πολεμίων. Immo: κατὰ τῶν πολεμίων.

Sequitur longum Euripidis fragmentum ex Erechtheo petitum, cuius tale est initium:

τὰς χάριτας ὅστις εὐγενῶς χαρίζεται,
ἥδιον ἐν βροτοῖσιν· οἳ δὲ δρῶσι μέν
χρόνῳ δὲ δρῶσι, (δρῶσι) δυσγενέστερον.

Apud Nauckium, ad quem lectores ablego, est videre quid docti viri ad fragmenti emendationem contulerint. Mihi quidem prae ceteris displicuit adverbium εὐγενῶς, cui illud δυσγενέστερον e regione oppositum est. Ut in incerta re commendo:

τὰς χάριτας ὅστις εὐπετῶς χαρίζεται
ἥδιον ἐν βροτοῖσιν· οἳ δὲ δρῶσι μέν
χρόνῳ δὲ δρῶσι, (δρῶσι) δυσπετέστερον.

Hoc est illud quod dicitur bis dare qui cito dat. Quod autem vs. 6 Dindorfius commendavit: οὐκ ἂν τιν' ἄλλην τῆσδε βελτίω λάβοιν, ostendisse mihi videor *Mnem.* 1881 p. 99 sqq. formas optativorum in -οιν esse commenticias nullaque prorsus fide dignas, cum ne unum quidem certum exemplum indicari possit, nec satis tuto inauditas formas per coniecturam in textum infercire liceat; sed nolo retractare id quod olim quantum satis erat explicavi. Denique vs. 20:

εἴπερ γὰρ ἀριθμὸν οἶδα καὶ τοὐλάσσονος
τὸ μεῖζον, ἑνὸς οἶκος οὐ πλέον σθένει
πταίσας ἁπάσης πόλεως οὐδ' ἴσον φέρει.

Thalhemius post Nauckium et Nauckius post Emperium ediderunt οὑνὸς οἶκος, quae crasis mihi egregie displicet; multo

certe malim cum Bekkero scribere: *οὑμὸς οἶκος*, sed longe simplicissimum erit: *ἑνὸς ὅδ' οἶκος*.

§ 104: *οἱ γοῦν ἐν Μαραθῶνι παραταξάμενοι τοῖς βαρβάροις* (*πρὸς*) *τὸν ἐξ ἁπάσης τῆς Ἀσίας ςόλον ἐκράτησαν*. Vides quid exciderit.

§ 105. Oraculum datum fuit *τοῖς ἀνδρειοτάτοις Λακεδαιμονίοις ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις πολεμοῦσιν πρὸς Μεσσηνίους*, ut sibi ducem ad bellum ab Atheniensibus peterent. Nota historiola est, sed Graecitas laborat: scripserim adverbium *ἀνδρειότατα*, expuncto proprio Lacedaemoniorum nomine, quod Lycurgi aequales haud nimis lubenter audiebant, sicuti apparet § 128.

§ 107. Secundum Tyrtaeum longe miserrimum est videre senem qui in bello occubuit:

αἱματόεντ' αἰδοῖα φίλαις ἐν χερσὶν ἔχοντα.

Hic conferunt interpretes Homerum in Iliade X 74:

ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον,
αἰδόα τ' αἰσχύνωσι κύνες κταμένοιο γέροντος,
τοῦτο δὴ οἴκτιςον πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

itemque Odyss. σ 85:

εἰς Ἔχετον βασιλῆα, βροτῶν δηλήμονα πάντων,
ὅς κ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ οὔατα νηλέϊ χαλκῷ
μήδεά τ' ἐξερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.

quae verba cum parva varietate redeunt χ 475. Verum apud Tyrtaeum de canibus prorsus nihil. Saepe haec dum legebam recordatus sum eorum quae de Davide traduntur 1 Regg. XVIII. 27: *ἐπάταξεν ἐν τοῖς ἀλλοφύλοις ἑκατὸν ἄνδρας καὶ ἀνήνεγκε τὰς ἀκροβυςίας αὐτῶν*, coll. 2 Regg. III. 14. Fierine potest antiquissimis temporibus ut idem mos in Peloponneso invaluerit et caesorum hostium praeputia ducerentur in triumphum? Sed in Tyrtaei fragmento multa nimis obscura sunt.

§ 124: *οἱ πατέρες ὑμῶν πεπονθότες οἷα οὐδεὶς πώποτε τῶν Ἑλλήνων ἠξίωσε*. Postremum vocabulum Dobraeus eiicere voluit; equidem cogitaram de: *ἤλπισε* neque ea est violenta mutatio,

cum Λ et Ξ confundi soleant itemque Π et Ω. Paragrapho autem 68: *οὕτως ἐστὶν ἀνόητος .... ὥστε τὸ κάλλιστον τῶν ἔργων πρὸς τὸ αἴσχιστον συμβαλεῖν ἠ ξ ί ω σ ε*, idem vocabulum libenter expungam.

Paulo evidentius est quod mihi videor observavisse de § 135. Orator vehementissime invehitur in eos qui causam Leocratis in iudicio tutantur: *ἀλλ' ἔμοιγε δοκοῦσι δικαίως οὐκ ἂν χάριτος τυχεῖν ἀλλ' ἀποθανεῖν, ὅ τ ι χρῆσθαι τούτῳ τολμῶσι.* Inseram: *ὅτι (ν ῦ ν ἔ τ ι) χρῆσθαι τούτῳ τολμῶσι*, quo facto paulo rectius additum erit: *πρὶν μὲν γὰρ τοῦτο πρᾶξαι Λεωκράτην ἄδηλον ἦν ὁποῖοί τινες ὄντες ἐτύγχανον, νῦν δὲ πᾶσι φανερὸν ὅτι τοῖς αὐτοῖς ἤθεσι χρώμενοι τὴν πρὸς τοῦτον φιλίαν διαφυλάττουσιν.* Neque nunc opus erit delere proprium Leocratis nomen, quo Vandenessius recte offendebatur.

§ 136. Leocrates patris *τὴν χαλκῆν εἰκόνα ἔκδοτον κατέλιπε [τοῖς πολεμίοις] .... ἱεροσυλῆσαι καὶ αἰκίσασθαι.* Summo opere displicent vocabula quae uncinis circumdedi. Deinde quid tandem illud est quod Leocratis pater statuam sibi posuisse dicitur *μνημεῖον τῆς αὑτοῦ μ ε τ ρ ι ό τ η τ ο ς*?

§ 138: *τὸ γὰρ ὑπὸ τῶν ἀ δ ι κ η μ ά τ ω ν ἀπολογεῖσθαι τεκμήριόν ἐστιν ὅτι καὶ τῶν πεπραγμένων οἱ τοιοῦτοι ἂν μετάσχοιεν.* Quod Bekkerus corrigere voluit *ἀδικησάντων*, equidem praefero: *ἠ δ ι κ η κ ό τ ω ν.*

Nunc consideranda sunt ea quae leguntur § 139: *οὐ γὰρ εἴ τις ἱ π π ο τ ε τ ρ ό φ η κ ε ν ἢ κεχορήγηκε λαμπρῶς ἢ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τι δεδαπάνηκεν, ἄξιός ἐστι παρ' ὑμῶν τοιαύτης χάριτος· ἐπὶ τούτοις γὰρ αὐτὸς μόνος στεφανοῦται, τοὺς ἄλλους ο ὐ δ ὲ ν ὠ φ ε λ ῶ ν.* Itane? num choragi reipublicae nihil prosunt? At nisi choragi sint, ne spectacula quidem edentur. Sine choragis ubi Aeschylus *δρᾶμα ποιήσας Ἄρεως μεστόν, εἶτα διδάξας ἐπιθυμεῖν νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους, κοσμήσας ἔργον ἄριστον? τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν ἔστι διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς ἡβῶσιν δὲ ποιηταί.* Hic miror Lycurgum, qui dum causae servit, tanto cum contemtu loquatur de scenica poesi, quum idem sit ille, cui nos

trium tragicorum poetarum opera debeamus. Docuit Aristoteles Politic V. 7. 11: *βέλτιον δὲ καὶ βουλομένους κωλύειν λειτουργεῖν τὰς δαπανηρὰς μὲν μὴ χρησίμους δὲ λειτουργίας, οἷον χορηγίας καὶ λαμπαδαρχίας*. At quid Lycurgus ipse? Vide modo § 100, ubi Euripidem laudat, qui putaverit *κάλλιστον ἂν γενέσθαι τοῖς πολίταις παράδειγμα τὰς πράξεις, πρὸς ἃς ἀποβλέποντας καὶ θεωροῦντας συνεθίζεσθαι ταῖς ψυχαῖς τὴν πατρίδα φιλεῖν.* Haec verba eum decent qui legem tulit qua cautum est ne histriones immortalia opera temere interpolarent et incrustarent; illa nescio quid illiberale et *βάναυσον* habent.

Non magis reip. prodest si quis *ἱπποτροφεῖ* egitque *περὶ τῆς ἱπποτροφίας* Xenophon Oecon. II 6, quem locum Boeckhius laudavit *Oec. Civil.* I p. 353; sed in equo alendo parva, credo, apud populum gratia neque ea res magno constabat, quum praesertim illi qui equo merebant, subsidio ex aerario sustentabantur. Amici *τοῦ ἀδυνάτου* apud Lysiam omnes equum alunt; num forte eos populus propterea admirabatur et diligebat? Suspicor fere latere verbum ex Herodoto notissimum *τεθριπποτροφεῖν*, sed de forma perfecti sitne scribendum *τεθριπποτρόφηκεν, τεθριπποτετρόφηκεν* an forte *τετεθριπποτρόφηκεν* nihil definio; vide enim Hyper. Lycophr. § 16. *Τετριηράρχηκα* legitur Lys. XXV. 12. Cf. Lys. XIX. 63 et de eo loco cff. Rauchensteinius et Frohbergerus.

§ 141. In causa proditionis oportebat adesse pueros et mulieres, *ὅπως .... ἐν ὀφθαλμοῖς ὄντες καὶ ὁρώμενοι καὶ ἀναμιμνήσκοντες ὅτι τοῦ κοινοῦ παρὰ πᾶσιν ἐλέου οὐκ ἠξιώθησαν, πικροτέρας τὰς γνώσεις κατὰ τοῦ ἀδικοῦντος παρασκευάζωσιν.* Hic Vandenessius rectissime non tulit participium *ὁρώμενοι*· sed quantum video, emendatio ei non successit. Reponam: *θεώμενοι.*

Quanto melius consultum fuisset famae Lycurgi, si stulta oratio periisset.

AD SCHOLIA PACIS ARISTOPHANIS.

Ad Belli dei verba vs. 246:

ὦ Μέγαρα, Μέγαρ', ὡς ἐπιτετρίψεσθ' αὐτίκα

in codice V et alia sunt adscripta et haec:

„πᾶσα ἡ τοῦ πολέμου πρόφασις δι' αὐτοὺς δοκεῖ γεγονέναι χάριν τοῦ τὸ πινάκιον συνθέντος τὸ κατ' αὐτῶν εἰς τὴν Περικλέους χάριν, ὥστε μήτε γῆς μήτε λιμένων 'Αττικῶν ἐπιβαίνειν τοὺς Μεγαρεῖς".

Quae verba sine sensu sunt; neque enim post δι' αὐτοὺς neque bis deinceps collocatum tolerabile est χάριν. Pro χάριν τοῦ legendum est Χαρίνου. Propter Megarenses δοκεῖ γεγονέναι ἡ πρόφασις τοῦ πολέμου, Χαρίνου τὸ πινάκιον συνθέντος τὸ κατ' αὐτῶν, i. e.: „Χαρίνου γράψαντος ψήφισμα κατ' αὐτῶν", ut loquitur Plutarchus noto loco (Pericl. 30).

Ad versum 764, ubi poeta comicus dicitur παῦρ' ἀνιάσας πόλλ' εὐφράνας spectatores missos facere, spectat hoc scholion V:

„ὀλίγα κωμῳδήσας ἢ οὐδὲν λυπήσας. ὁμοίως τῷ· ἦ ὀλίγον οἱ παῖδα ἐοικότα γείνατο Τυδεύς".

„Absurdam comparationem!" adnotat vHerwerden. Fefellit collegam dictio brevior; λιτότητος quae dici solet exemplum hoc esse significat interpres, παῦρα enim adiectivum id quod οὐδέν valere hoc loco, quemadmodum apud Homerum Agamemnon Diomedem increpans „patri parum similem" vocet, cum „plane dissimilem" dicere velit. Quae observatio redit in scholio ad Myrrhinae verba Lys. 896 ὀλίγον μοι μέλει: „ἀντὶ τοῦ οὐδὲ ὀλίγον". Ubi acuta est Roemeri coniectura: ἀντὶ τοῦ οὐδὲ ὅλον.

Ne viro amicissimo obloquendo finem faciam, subiungam locum ubi verum vidit. Ad versum 650 adnotavit: „schol. ὅτι χθόνιος ὁ 'Ερμῆς, ὅθεν καὶ καταιβάτης παρὰ 'Ροδίοις (παρ' ἐδχοις aut simile quid Ven. 475) [καὶ 'Αθηναίοις?]". — In codicis V imagine phototypica lego „παριδίοις καὶ αθθ" (-οις et καὶ notis indicata) sive „παρὰ <'Ρο>δίοις καὶ 'Αθηναίοις", ut habet R. Venetum 475 autem e codice V descriptum esse olim vidit Cobet (anno 1842, Brieven aan Geel p. 328), dubitanter deinde perhibuit Dindorf, fidenter negavit Blaydes, fuse denique demonstravit Zacher.

J. v. L. J. F.

EPIGRAPHICA.
DE INSCRIPTIONIBUS IN INSULA PROTE NUPER INVENTIS

SCRIPSIT

J. H. W. STRIJD.

Mense Aprili anni proximi cum viro cl. Anthes Darmstadiensi iter per Peloponnesum feci, quo in itinere Proten adiimus, parvam insulam, ubi inscriptiones adhuc ineditas extare v. cl. Skias Atticarum antiquitatum ephorus nos admonuerat.

Quoniam insula satis ignota est, haud abs re esse arbitror pauca de eius situ praefari, priusquam inscriptiones, quas ibi invenimus, proferam.

Prote, ut Sphacteria vicina insula, quam magnitudine paulum superat, terrae quondam motibus formata videtur. Mons est, cuius latera, excepto quod ad meridiem spectat, satis ardua e mari surgunt neque appellendi praebent facultatem. Quartum vero latus leniter acclive est; cuius in extrema parte, loco editiore, duo tresve ordines lapidum extant; turris haec sunt rudera, ut aedificii forma indicat, est enim rotunda. Ipsi illam turrim non sumus aggressi, sed *γυμνασίαρχος* vicini pagi Gargalianá, qui nonnullas insulae inscriptiones transcripserat totamque insulam plus semel percurrerat, sibi persuasum esse nobis dixit turrim Hellenicorum quae dicuntur temporum opus esse: lapides alium alii bene iunctos curiose elaboratos esse. Medio illo latere vallis modica, ubi ecclesiola aedificata est *τῇ παναγίᾳ* sacra, quo quotannis homines vicinos orae maritimae pagos incolentes (nam insula dumosa habitatoribus vacua est) peregrinationem (*πανή-γυριν*) suscipiunt. Ut Sphacteria, cuius e parte septentrionali Prote oculis non munitis facile conspicitur, Pylo praetenditur

eiusque portum protegit, sic Prote portum pagi cui nomen Marathós sive Marathopolis a maris aestu defendit.

Pauci scriptores insulae mentionem fecerunt [1]), nec nisi exigui momenti quaedam de ea tradiderunt. Thucydides refert bello Peloponnesiaco Athenienses ibi unam noctem naves in statione habuisse: *ὡς δὲ εἶδον* (sc. Athenienses) *τήν τε ἤπειρον ὁπλιτῶν περίπλεων τήν τε νῆσον* (sc. Sphacteriam) *ἔν τε τῷ λιμένι οὔσας τὰς ναῦς καὶ οὐκ ἐκπλεούσας, ἀπορήσαντες ὅπῃ καθορμίσωνται, τότε μὲν ἐς Πρωτὴν τὴν νῆσον, ἣ οὐ πολὺ ἀπέχει ἐρῆμος οὖσα, ἔπλευσαν καὶ ηὐλίσαντο, τῇ δὲ ὑστεραίᾳ ... ἀνήγοντο* [2]). Strabo haec habet: *ἔστι δὲ καὶ νησίον* [3]) *καὶ πολίχνιον ἐν αὐτῇ ὁμώνυμον Πρωτή* [4]), sed suspicor eum errasse scribentem *πολίχνιον* in insula fuisse, quae locum urbi quamvis parvae praebere vix potuit. Turris tamen rudera, quae adhuc extant, suspicionem movent castellum (*φρούριον, πύργον*) ibi quondam fuisse; qualia aliis quoque in insulis constructa erant, e. g. Minoae [5]). Sed haec aliis accuratius exploranda relinquo; meum iam est locum ubi inscriptiones extant indicare.

In occidentali insulae parte parvus sinus est, cuius lateribus meridionali et septentrionali insculpti sunt tituli; tertium latus nimis difficilem ad montis cacumen ascensum per saxa praebet. Inscriptiones illas longum tempus aerisque intemperies adeo mutilarunt ut plerasque vix potuerimus legere atque adeo ab iis, quae meridionali lateri insculptae sunt, transcribendis abstinendum nobis fuerit, quod rupes perrosa solis luce non satis tum illustrabatur. Septentrionale autem latus praeruptum est, itaque stantes in lintre delineavimus *τὰ ἀμυδρὰ γράμματα* inscriptionum quas illic invenimus. Neque rite saxis hae erant insculptae, sed auctores lapillo rupem identidem pulsando litteras evanidas formarant [6]).

---

1) Ptol. III 16; Plin. H. N. IV 19 § 12; Mela II 7 § 10; Thuc. Strab.

2) Thucyd. IV 13 § 3.

3) *Καὶ νησίον* dedi secundum Curtii emendationem; codd. *κενήριον*.

4) Strab. VIII 3 § 28.

5) Cf. Thuc. III 51 § 1: *ἐχρῶντο δὲ αὐτῇ* (sc. Minoa) *πύργον ἐνοικοδομήσαντες οἱ Μεγαρῆς φρουρίῳ*.

6) Inscriptionum ita exaratarum alia exempla praebent tituli perantiqui Thasi inventi, quos v. cl. Hiller von Gärtringen edidit C. I. Ins. mar. Aeg. III 536 sqq.

Inscriptionum maior pars nautarum vota sunt; reliquae quinque, ordine quo transcripsimus non servato, hae sunt:

1.	ΓΑΝΠΟΤΑΣ	Γαν[υ]πότας
	ΚΑΛΟΣ	καλός
	ΜΗΕΓΑΡΕΥΣ	Μhεγαρεύς
	Litt. magn. ± 0.10 mtr.	

De huiusmodi inscriptionibus cf. Arist. Ach. 144, Vesp. 99 et schol.

Nominis *Ganypotae* cum *Ganymede* conferendi unde altera pars ducta sit, fortasse dubitaverit quispiam, cum èt radix πο (πόσις, ἐπόθην e. a.) èt Sanscrit. *pat* (πόσις, πότνια, δεσπότης) eam sibi vindicare possit; prior tamen derivatio magis placet.

Scriptura Μhεγαρεὺς redit in lapide apud Roehlium I. G. A. 514^b 12: Μhεγα[ρεῖ] et in litteris ΜΗΒ (μhε), quae porinis lapidibus compluribus incisae sunt [1]). Aliis quoque in verbis aspiratio litterae μ adiungebatur; cf. C. I. A. IV 373^{208} μhεγαλο, C. I. G. S. III 3439 Μhειλ..., Roehl. I. G. A. 344 Μhεί[ξ]ιος, id. 505, 10, 23, 25 Μhε... (secundum Hirschfeldii transcriptionem). Excepta littera Ε, cuius forma est Boeotica, omnes litterarum formae eius alphabeti sunt, quod unum fere idemque apud Corinthios Megarenses eorumque colonias usque ad initium saeculi a. Chr. n. IV^i viguisse tituli demonstrant. Itaque satis apparet inscriptionem IV^0 a. Chr. saec. antiquiorem esse et confero titulum quem edidit Roehl I. G. A. 510, licet non nesciam aliam inscriptionum publicarum esse rationem, aliam privatarum.

2.	ΚΛΕΤΩΝ	Κλε[ί]των
	Litt. magn. 0.10 mtr.	

3.	ΘΥΦΙΛΟϹϹΕΡΑΠΙΔΟϹ	Θυφιλος Σεράπιδος
	ϹΕΛΕΥ ΚΟΥ	Σελευ... κου


V. cl. Vollgraff proposuit Θύφιλος vel Θ⟨ο⟩ύφιλος: Θεόφιλος.

1) Wilhelm, Jahresb. Öst. Inst. II pag. 240 ann. 51: „Noch unveröffentlicht sind die Inschriften mehrerer mächtiger augenscheinlich einer Wasserleitung angehöriger Porosblöcke, unweit des grossen Waschplatzes nördlich von der Stadt Megara, auf denen sich in altertümlichen grossen Zeichen die Inschrift ΜΗΒ d. i. Μhε[γαρέων] wiederholt".

Equidem malim Εὔφιλος, ut altera haec sit nominis Εὐφίλης forma. Cf. Εὔτυχος et Εὐτύχης. Estne mente supplendum verbum ἐμνήσθη?

4.

<. . 0.12 mtr. . .>



Εὐκράτ(η)ς

Inter alias figuras rupi incisas hoc monogramma erat, qualia permulta codicibus nonnumquam lapidibus inscribebantur.

5.

ΛΙΞC///C	. . . . . .
Ω///ΦΙ///////N	. . . . . .
///ΛΕΞΑΝΔΡΟC	Ἀλέξανδρος
ΙΠΠΟC	Φίλ]ιππος
ΔOC	. . . . δος

Litt. magn. 6 cmtr.

Fortasse sunt nautarum nomina.

Iam ad ceteras inscriptiones pervenimus; quae omnes nautarum vota bonae navigationis causa suscepta continent. Quod votorum genus quin late olim pervulgatum fuerit, dubitare nos non sinit nautarum hominum religiosissimorum pietas. Attamen nonnisi duobus locis eiusmodi inscriptiones antehac fuerant repertae [1]), quibus tertia iam accedit Prote insula.

Primus Cl. Stephanos, qui archaeologiae societatis graecae ephorus ante 30 fere annos totam insulam obibat, Syri in parvo sinu prope promontorium septentrionale multas inscriptiones

---

1) *Tabula votiva* cum inscriptione Halicarnassi inventa est, cf. Denham Rouse, Greek Vot. off. pag. 231: „Another (sc. sacrificial relief) from Halicarnassus ... represents three scenes carved on a marble drum (1) two seamen in a boat under full sail; (2) Poseidon on a galley, resting on an oar and holding a dolphin and a worshipper kneeling before him; (3) Asclepius, Hygieia, and the serpent, with a worshipper between". Inscriptum erat: εὔπλοιά σοι Εὐτύχη (= Εὐτύχει) Θεόδουλε· περὶ ἰδίου ψυχαρίου τῷ στόλῳ ἀνέθηκα.

invenit, quarum pleraeque Romanorum et Byzantinorum temporum sunt. Sinus ille ab incolis qui nunc sunt ob inscriptiones τὰ Γράμματα nominatus, nautis tempestatibus oppressis refugium erat et hodie quoque est [1]). Ex illarum numero complures nautarum votivae sunt [2]).

Alter locus est Thasus insula, ubi v. cl. J. Theod. Bent anno 1886 ruderibus antiqui templi effossis 7 huiusmodi vota excripsit [3]).

Quae inscriptiones omnes sunt aetatis Romanae, omnes prope templa inventae sunt. De Thaso iam dixi; de Syro Stephanos sic [4]): *ἐννοεῖται βεβαίως, ὅτι ἡ συχνὴ ἐν καιρῷ χειμῶνος ὑπὸ κλυδιζομένων σκαφῶν ἐπίσκεψις τοῦ ὅρμου τῶν Γραμμάτων, καὶ οἱ αὐτόθι ὁμαλοὶ καὶ πρὸς χάραξιν ἐπιγραφῶν ἐπιτήδειοι βράχοι ἦσαν ἀπαραιτήτως πρὸς τοῦτο ἀναγκαῖα· κυρία ὅμως ἀφορμὴ ἐγένετο ἱερὸν ἐθνικοῦ θεοῦ ὑπάρχον αὐτόθι κατὰ τοὺς ῥωμαϊκοὺς χρόνους, καὶ κατὰ τοὺς ὑστερωτέρους αἰῶνας χριστιανικὸς ναΐσκος, ἔνθα οἱ αὐτόθι καταφεύγοντες εὐχαρίστουν τὸ θεῖον διὰ τὴν διάσωσιν αὐτῶν ἢ ᾔτουν εὔπλοιαν ἐν τῷ μέλλοντι.* Itaque suspicio movetur Prote quoque in insula haud procul a sinu, cuius in lateribus inscriptiones reperiuntur, alicuius numinis templum quondam fuisse; quam suspicionem confirmat dei imploratio (n⁰ 6). Quid quod ecclesiola nunc ibi extat; satis autem notus est mos Graecorum, qui ad Christianam fidem transierant, quo templa deorum antiquorum sacrabant sanctis Christianis aut templis eversis ecclesias iisdem in locis extruebant [5]).

Iam quae supersunt transcribam:

6.	ЄΥΤΥΧΗΘЄΟΔΟ//////	Εὐτύχη Θεοδο[του]
	ΛЄ///ЄΔΙЄΟΘЄΟϹ	Λεβέδιε, ὁ θεὸς
	ЄΥΠΛΟΙΑΝ ϹΟΙΔΟΙ	εὔπλοιάν σοι δοί[η
	ΔΙΑΠΑΝΤΟϹ	διὰ παντός

Litt. magn. 6—9 cmtr.

Vs. 1. Εὐτύχη i. q. Εὔτυχες. Cf. 'Αθ. 1875 pag. 18 n⁰ 28: Εὔπλοιά σοι Εὐτύχη; Franz. El. Ep. Gr. pag. 233.

Vs. 2. Λεβέδιος incola urbis Λεβέδου.

1) Cf. 'Αθήναιον 1875 pag. 10 sqq.
2) N⁰ 25—29, 59, 69. Cf. C. I. Ins. mar. Aeg. V 712.
3) Cf. Journ. Hell. Stud. VIII pag. 409 sqq. n⁰ 12—18.
4) L.l. pag. 30.
5) Cf. exempla, quae contulit Denham Rouse Gr. Vot. off. pag. 37.

7.	E	E
	ΕΥΠΛΟΙΑΣΟΙΕΥΤΥΧΗϹ	εὔπλοιά σοι, Εὐτύχης
	ΔΙΟϹΚΟΡΟΙϹΜΥΡΝΑΙΟΙ	Διόσκοροι Σμυρναῖοι
	Litt. magn. 5—6 cmtra.	

Vs. 2. Διόσκοροι nomen navis est, cf. n⁰ 11; navis, qua Paulus apostolus Romam profectus est, παράσημος erat Διόσκουροι Act. 28. 11.

8.	ЄΥΠΛΟΙΑΤΩЄΙ	εὔπλοια (Κο)εί-
	ΝΙΩᵀΩΕΦЄϹΙΩ	ν(τ)ῳ τῷ Ἐφεσίῳ
	ΤΩЄΡΜΗΔЄΟ	τῷ Ερμηδεο(?)
	Litt. magn. 10 cmtr.	

Inscriptio lineis rectis circumdata est, ut n⁰ 14, 16.

Vs. 1. Κοείντος aut Κοίντος Graeca forma nominis Quinti.

9.	ЄΥΠΛΟΙ	εὔπλοι-
	ΑΘЄΩΚΤΙ⳨	α Θε(ο)κτί[σ-
	ΤΩ///ΝΩ	τῳ . νω
	ΝΙ///ΗϹΩ	νι . ησῳ
	Litt. magn. 5—5½ cm.	

Figura ⳨ non est ligatura sed altera Christianorum monogrammatis ☧ forma.

10.	ЄΥΠΛЄΑΤΩ	εὔπλεα τῷ
	ΚΟΡΟΤιΩ	Κοροτίῳ (?)
	ΜΥΤΙΛΗ	Μυτιλη-
	ΝΑΙΩ	ναίῳ
	Litt. magn. 6 cm.	

inter primum secundumque versus delineatae sunt securis(?) et piscis. Hic in mentem revocat Christianorum symbolum.

11.	ΕΥΠΛΕΑΤΟΝ	εὔπλεα το(ῖ)ς
	ΔΙΟϹΚΟΡΟΙΟЄ	Διοσκόροι(ς) ἔ-
	ϹΤΟΙϹΑϹϹΙΟΙϹ	σ[τω] τοῖς Ἀσσίοις
	ΕΥΧΙΡΟV///ΑΙ	Εὐχ[ε]ίρου [κ]αὶ
	Litt. magn. 5 cm.	

Vs. 2. Διόσκοροι nomen navis est; cf. n⁰ 7.

„ 3. Ἄσσιος ex urbe Asso in Troade sita.

„ 4. Si recte supplevi, post καὶ nonnihil desideratur, e. g.

gubernatoris nomen. Cf. Journal of Hell. Stud. VIII, Inscript. from Thasos n⁰. 17: *εὔπλοιά σοι, Ἄρτεμι | ναυκλήρου Εὐτύχου | Μυτιληναίου πρὸ ναυκλή-|ρου Τυχικοῦ κυβερνή-|του Ἰουκούνδου.*

12.

ЄΥΠΛΟΙΑΤΩΝ///	*εὔπλοια τῷ Ν.*
NOCЄ///PA///ΤΩΝ	*νοσε . ρα . των*
///ΟΤΗΔЄΙΩЄΡΜ///ΔΩ	*. ουηδε(τ)ῷ Ἑρμ[ο]δώ-*
ΡΟΥΤΩЄΥ—ΥΧΗ	*ρου τῷ Εὐτύχῃ*

Litt. magn. 10 cm.

13.

ΕΥΠΛΟΙΑΣΟ	*εὔπλοιά, σο[ι]*
ΕΥΤΥΧΗ◇ΥΡΑ	*Εὐτύχη, [Σ]υρα-*
///ΕΙΡΗΜΑ	*κόσιε] Εἰρηνα[ί-*
	ου]
///Ρ///ΝΑ	

Litt. magn. 4 cm.

14.

ЄΥΠΛΩΙΑΛΟΗΝΑΤ///	*εὔπλῳια, Ἀθηνᾶ . .*
Ι/////////CC ΟΛΩΤΕΙΑΝ	*. . . . σ[οι Κ]ολώτει Ἀν-*
ЄκΚΛΗΤΟΙ//////ΥΡ///	*ε(γ)κλήτο[υ Σ]μυρν-*
///////////////Λ///////////////////	*αίῳ]*

Litt. magn. 5 cm.

15.

ΕΥΠΛΕΑ	*εὔπλεα*
ΤΩΤΨΙ/////////Η	*τῷ Ὑψι[κλ]ῇ*
ΙΩΑΘΗΝΑΙ///	*(τ)ῷ Ἀθηναίῳ*
///ΟΝ	*. ον*

Litt. magn. 7—8 cm.

16.

ΕΥΠΛΟΙΑ	*εὔπλοια*
///ΕΟ Ε	*Θ]εο[φίλ]ε[ι]*

Litt. magn. 8—9 cm.

17.

ΝΑΙΙ///Ι///ΟΝΑ	. . . .
ΣΟΙ	. . . .
ΕΥΠΛΟΙ	*εὔπλοι[ά σοι*
///ΠΥΧΗΕΙΡΗ	*Ε(ὐτ)ύχῃ Εἰρη . .*
ΙΜΦΙΕ///	. . . . . .
ΩΝΤΕ//////	. . . . . .
Ρ//////ΜΑΤΟΙ	*Ῥ[ω]μαῖοι* (?)

Litt. magn. 7 cm.

Quoniam vocabulum εὔπλοια ceterarum inscriptionum initium est, duos antecedentes versus alius inscriptionis fragmentum esse suspicor.

18.	ЄΤΠΛΟΙΑ	εὔπλοια
19.	/////////////////	. . . . . .
	CIKEΛIAC	Σικελίας
	Litt. magn. 8 cm.	
20.	✠ ΕΤΠΟΙΑΠΛΟ//////	+ εὔπ(λ)οια . . . .
	//////ΛΛ Α	. . . . α
	Ε///ΟΤΕΡΕ///	. . . .
	ЄΓ//////	. .
	ΡΩ	ρω
	///Α///	. α .
	ΚΤΠ	κυπ
	Litt. magn. 10—12 cm.	
21.	//////ΠΛΟΙ	εὔ]πλοι[α
	ΟΤΩ ΠΕΑ	οτω πεα
	ΛΕΙCΙΔ	μεισιδ
	ΛΕΟΝΤΙΟΤ	λεοντιου
	Litt. magn. 6—7 cm.	
22.	Α///ΗΑΡ	εὔπλοι]α . . . .
	ΣΙΑΙΣ	. σιαις
	///////	

23. Collitz III 4686: Ἐπὶ βράχου κειμένου ἐπὶ τῆς νήσου Πρώτης καλουμένης καὶ κειμένης ἀπέναντι Μαραθοπόλεως, δήμου Πλαταμῶνος τῆς ἐπαρχείας Τριφυλίας, Petridis, Parnassos V 905 n⁰ γ'.

Διόσκουροι εὔπλ[ο]ιαν.

Fragmenta parva, quattuor numero, mitto. Sed etiam inscriptionum quas transcripsi pleraeque tam lacunosae sunt, ut satis probabiliter expleri nequeant.

Restat ut de inscriptionum aetate paucis disseram. *Primam* V⁰ saeculo tribuendam esse vidimus. *Secundae* aetas accuratius

definiri non potest. Ceteras Romanorum temporum esse litterarum formae testantur.

Cuius aetatis vitia sive proprietates sunt etiam vocabulorum formae quales εὐπλώια (n^0 14), Θεώκτιστος (n^0 9), εὔπλεα (n^0 10, 11, 15), Σέρατις (n^0 3), cuius nominis antiquior forma fuit Σάρατις, voc. Εὐτύχη (n^0 6, 13, 17), dat. Εὐτύχῃ (n^0 12), Ὑψικλῇ (n^0 15).

Quamquam non est obliviscendum rudiorum hominum haec esse conamina.

DE ABSURDISSIMO QUODAM QUOD IN CICERONIS EPISTOLIS LEGITUR VITIO.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Primam epistolarum Ciceronis ad varios paginam (I, 1, 2) obsidet vitium quo absurdius me nullum unquam videre memini, quod non dudum sublatum vehementer miror, non solum quia in promptu est certissima emendatio, sed etiam quia quisque nostrum eam tantum non oculis suis cernere potest.

Lentulus, proconsul Ciliciae et Cypri, vehementer cupit sibi negotium dari Ptolemaei in regnum restituendi, et, ut solent homines vehementer cupientes, omnia metuit, anxius est, sollicitus. Senatorum modo hunc modo illum sibi fingit inimicum. Quo amici, a quo salutem accepit ipse, timore cognito Cicero placare eum studet, meliora edocere, eximere sollicitudinem: si non evenerit, quod tantopere ille cupiat, res, non potentio-

rum inimicitias, in causa fore monet. Incipit a Pompeio: is, ait, in senatu egit:

„cum summa testificatione tuorum in se officiorum et amoris erga te sui".

Transit inde ad Marcellinum consulem huius anni.

„Marcellinum tibi iratum esse scis: is hac regia causa excepta ceteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit".

Non est, ut opinor, irati hominis ostendere se defensorem fore acerrimum illius qui succensere dicatur. Qui ergo *scire* potest aliquis quod *non* ita se habere constet? Qui potest Cicero ad amicum scribere *scire* illum id ipsum quod falsissimum esse ipse demonstret? Aut ego quid sit ineptire nescio aut legendum est: „Marcellinum tibi esse iratum SCRIBIS". Hanc quoque sollicitudinem Ciceroni significaverat Lentulus, respondet ille: „erras, o bone; non id in senatu suadet consul quod tu cupis, scito tamen eundem tibi esse amicissimum".

Quod autem dicebam veram lectionem etiam a nobis adspici posse, huiuscemodi est: in codice Laurentiano XLIX, 9, cuius prima pagina exhibetur in Castellanii operis tabula 34, non *scis* legitur sed *scrsis*, literulis ita exaratis ut appareat librarium operam dedisse ut *scis* in *scribis* mutaret.

AD OVID. HER. XX VS. 4.

In Epistula Acontii vs. 3 sq. sunt:

perlege! discedat sic corpore languor ab isto,
qui meus est ulla parte dolente dolor.

Hanc lectionem, quam ex magna multorum codicum varietate Dan. Heinsius consarcinavit, quantum scio editores receperunt omnes, quamquam et cruce versui 4 a Sedlmayero praefixa et virorum doctorum coniecturis ab eo memoratis satis ostenditur, permultis lectionem non probari. Una littera mutata locus in integrum restitui potest. Legendum est:

*c*ui meus est ulla parte dolente dolor,

i. e. cui si pars ulla dolet, meus dolor est. P. H. D.

DE OVIDIO POETA COMMENTATIO.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Anni sunt quatuordecim ex quo Mnemosynae inserta est disputatio quaedam mea, cui titulus *De Ovidii Metamorphosesin edendis*. Utinam alia tunc usus essem inscriptione! Nam cum ad Ovidii textum emendandum ipse aut nihil aut fere nihil afferrem novi, haud mirum exstitisse qui

Quid dignum tanto tulit hic promissor hiatu

exclamarent; cumque (et haec quidem res multo maiore me affecit afficitque dolore) tamen egregios viros quosdam, de Ovidio praeclare meritos, non acriter solum sed etiam inique, atque interdum prave, perstrinxisse viderer, in ineptissimae incurrebam crimen arrogantiae, quo vitio nullum est quod diligentius vitare studeam. Quo magis ipsorum illorum censorum agnoscenda humanitas, qui cum me ob illas, quas dixi, causas merito notarent, tamen in libello illo bonae frugis aliquid inesse libenter concederent. Quam rem cum et alii viri docti, leniores minusque irati, saepe mihi significarint, cumque discipulos meos ad Ovidium melius intelligendum nonnihil meis observationibus profecisse plus semel sim expertus, denuo de Ovidio scripturus, primum potiorem illarum partem hic repetam, sed accuratius elaboratam novisque stabilitam argumentis exemplisque, deinde in eandem sententiam de Ovidio disputare pergam, postremo de variis Metamorphoseon locis, Kornii editione, quae anno 1880 apud Weidmannos prodiit, usus proferam quaedam nova, mihi certe non inventa alibi, quae Ovidium edentibus legentibusque prodesse posse videantur. Quodsi novus hicce li-

bellus eorum alicui, qui olim gravius mihi succensuerint, allatus fuerit, hunc ego, ut post illam procellam bono omine instauretur iter nostrum, sic alloquor:

> *χαῖρε Φίλος τοισίνδε· ϝέπος δ εἴ πέρ τι βέβακται*
> *δϝεινὸν, ἄΦαρ τὸ Φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.*

CAPUT I.

DE METAMORPHOSEON VERSIBUS PONDEROSIS.

Versuum pangendorum praeclarum esse artificem Ovidium dixerunt multi atque adeo eum imitando sunt testificati, sed nemo magis id experitur quam qui diligenter animadverterit quam eleganter hic illic versus adhibuerit ceteris ponderosiores. Quam rem qui paulo accuratius examinaverit ét quae in hoc genere singularis Ovidii laus sit noverit ét de toto Metamorphoseon opere rectius, ut ego opinor, iudicare poterit. Totam ergo rei rationem ordine hic proponam in suas partes digestam. Ponderosos autem eos dico versus qui aut a *quaternis* incipiant spondeis, aut, cum in initio ternos tantummodo spondeos habeant, tamen aliis rebus accedentibus (ut puta spondeo in quinto pede) peculiare aliquod poetae prae se ferant consilium. Ne tamen mihi moveatur controversia, separatim utrumque tractabo genus. Ponderosos autem ut versus faceret tres Ovidium moverunt causae.

Primo quidquid lente fit tardeque cum magno molimine vel molestia, quidquid stat inconcussum nec loco suo movetur hoc versuum genere egregie depingitur. Omnino in Metamorphosesin 77 leguntur versus quos eo consilio sic a poeta structos constet. Quorum 53 a quaternis spondeis incipiunt. Hos omnes hic sic enumerabo ut ipso scribendi genere a ceteris distinguam illos qui disertissime poetae consilium prodant.

I, 22 Nam caelo terras et terris abscidit undas.
24 Quae postquam evolvit caecoque exemit acervo.
119 Tum primum siccis aër fervoribus ustus.
157 Perfusam multo natarum sanguine Terram.
550 *In frondem crines in ramos bracchia crescunt.*
570 Effusus Pindo spumosis volvitur undis.
II, 264 Existunt montes et sparsas Cycladas augent.

II, 810 Quam cum spinosis ignis supponitur herbis.
III, 628 *Haesissem quamvis amens in fune retentus.*
662 *Illi admirantes remorum in verbere perstant.*
IV, 33 Intempestiva turbantes festa Minerva.
— 560 *Quo quaeque in gestu deprensa est haesit in illo.*
622 *Nunc huc, nunc illuc exemplo nubis aquosae.*
776 Id se sollerti furtim, dum traditur, astu.
V, 108 Invictus, vinci si possent caestibus enses.
139 Cervice exacta est in partesque emicat ambas.
171 *Non circumspectis exactum viribus ensem.*
340 Atque haec percussis subiungit carmina nervis.
556 Quam postquam toto frustra quaesistis in orbe.
VI, 68 *Illic et lentum filis inmittitur aurum.*
365 *Huc illuc limum saltu movere maligno.*
456 Quam siquis canis ignem supponat aristis.
637 Lactentem fetum per silvas tigris opacas.
703 Excussit pennas; quarum iactatibus omnis.
VII, 140 *A se depulsum Martem convertit in ipsos.*
152 *Haec postquam sparsit Lethaei gramine suci.*
189 Ter se convertit, ter sumptis flumine crinem.
225 Othrysque Pindusque et Pindo maior Olympus.
258 *Bacchantum ritu flagrantes circuit aras.*
277 Arenti ramo iam pridem mitis olivae.
442 *Ad terram late sparsuras corpora pinus.*
VIII, 525 *Paulatim cana prunam velante favilla.*
532 Exegit poenas acto per viscera ferro.
760 Coepere ac longi pallorem ducere rami.
IX, 169 *Aut haeret membris frustra temptata revelli.*
241 Securosque artus contemptoremque petebat.
362 Crescentem truncum ramosque amplexa moratur.
388 Dum tangi possum parvumque attollite natum.
XI, 29 Hae glaebas, illae direptos arbore ramos.
238 Illic te Peleus, ut Somno vincta iacebas.
XII, 139 *Vi multa vertit terraeque adflixit Achilles.*
142 Elidunt fauces et respiramen iterque.
192 Multorum frustra votis optata procorum.
236 *Antiquus crater; quem vastum vastior ipse.*
256 Cumque atro mixtos spumantem sanguine dentes.

XII, 357 *Annosam pinum magno molimine temptat.*
453 *Ad mentum lingua mentoque ad guttura fixo.*
XIII, 347 Gestasset laeva taurorum tergora septem.
— 611 Ter clangor; quarto seducunt castra volatu.
XIV, 398 Nequiquam Pico nullaque in parte reperto.
— 427 Fessam et iam longa ponentem corpora ripa.
— 819 Innixusque hastae, pressos temone cruento.
XV, 339 Quae nunc immotae perstant ventisque resistunt.

Eodem referendi sunt hi 24, a ternis incipientes spondeis nonnumquam alia re accedente quae pondus augeat, atque etiam unus et alter tres deinceps habens spondeos in medio.

I, 282 Et defrenato volvuntur in aequora cursu.
— 294 Et ducit remos illic ubi prius ararat.
— 329 Et caelo terras ostendit et aethera terris.
II, 7 Terrarumque orbem caelumque quod imminet orbi.
— 351 Avellit frondes; haec stipite crura teneri.
— 732 Quae quamquam iusta est, cura tamen adiuvat illam.
— 792 Exuritque herbas et summa cacumina carpit.
III, 15 *Incustoditam lente videt ire iuvencam.*
— 21 *Ad caelum frontem mugitibus impulit auras.*
— 89 Cedendo arcebat nec longius ire sinebat.
— 441 *Ad circumstantes tendens sua bracchia silvas.*
V, 183 Mittere in hoc haesit signum de marmore gestu.
— 545 In rostrum et plumas et grandia lumina vertit.
VI, 69 Et vetus in tela deducitur argumentum.
— 334 Orbem interdixit quam vix erratica Delos.
— 335 Illic incumbens cum Palladis arbore palmae.
— 555 Ille indignantem et nomen patris usque vocantem.
— 668 Pendebant pennis quarum petit altera silvas.
VII, 581 Hic illic ubi mors deprenderat exhalantes.
VIII, 585 A silvis silvas et ab arvis arva revulsi.
— 694 *Nituntur longo vestigia ponere clivo.*
XI, 733 *Stringebat summas ales miserabilis undas.*
XII, 83 Sed quamquam certa nullus fuit error in hasta.
— 472 Extentum cursu missa latus eruit hasta.

Ex hoc ergo genere 77 sunt versus, quos „descriptivos" haud inepte appellaveris.

Alterum genus eorum est, ubi aliquis lente atque cum stupore vel admiratione circumspectans inducitur fingiturve. Eorum a quaternis spondeis 16 incipiunt.

II, 533 Tam nuper pictis caeso pavonibus Argo.
III, 345 Infantem, nymphis iam tunc qui posset amari.
— 461 Et quantum motu formosi suspicor oris.
IV, 211 Quam mater cunctas, tam matrem filia vicit.
— 323 Et frater felix et fortunata profecto.
— 638 *Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.*
V, 81 Exstantem signis multaeque in pondere massae.
— 189 Argento partim, partim caelaverat auro.
VI, 17 *Nec factas solum vestes spectare iuvabat.*
— 129 *Non illud Pallas, non illud carpere Livor.*
— 394 Et Nymphae flerunt et quisquis montibus illis.
— 581 *E v o l v i t v e s t e s s a e v i m a t r o n a t y r a n n i.*
VIII, 29 Laudabat virgo iunctam cum viribus artem.
XI, 394 *Ascendunt illuc stratosque in litore tauros.*
— 724 *A d m o t u m t e r r a e i a m q u o d c o g n o s c e r e p o s s e t.*
XV, 563 Et iam non telum, sed lenti viminis arbor.

Quibus iure nostro hosce 8 addimus:

II, 178 Ut vero summo despexit ab aethere terras.
— 859 Quod tam formosus quod proelia nulla minatur.
III, 421 *Et dignos Baccho dignos et Apolline crines.*
IV, 313 Nunc perlucenti circumdata corpus amictu.
— 325 Sed longe cunctis longeque beatior illa.
— 715 Praebentem Phoebo liventia terga draconem.
V, 265 *Silvarum lucos circumspicit antiquarum.*
VI, 104 *Europam: verum taurum freta vera putares.*

Hos ego versus, qui 24 sunt numero, *contemplativos* appello.

Tertium genus est eorum versuum qui loquendi gravitatem, loquentis animum afflictum, iram, indignationem, arrogantiam sono suo imitantur. Eorum a quaternis spondeis 43 incipiunt.

I, 663 Aeternum nostros luctus extendit in aevum.
II, 518 *Est vero cur quis Iunonem laedere nolit.*
— 525 *Cur non et pulsa ducit Iunone meoque.*
— 527 *At vos si laesae tangit contemptus alumnae.*
— 568 Quamvis irata est, non hoc irata negabit.

II, 591 An quae per totam res est notissima Lesbon.
— 605 Indevitato traiecit pectora telo.
— 745 Nec fingam causas; tu tantum fida sorori.
III, 436 *Tecum discedet, si tu discedere possis.*
— 718 *Iam se damnantem, iam se peccasse fatentem.*
IV, 62 Ex aequo captis ardebant mentibus ambo.
— 698 Quam clausam implevit fecundo Iuppiter auro.
V, 91 Expertem frustra belli et neutra arma secutum.
— 94 Quem fecisti hostem pensaque hoc vulnere vulnus.
— 550 Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.
VI, 195 *Maior sum quam cui possit Fortuna nocere.*
— 200 *Latonae turbam, quae quantum distat ab orba.*
— 333 Orbem interdixit, quam vix erratica Delos.
— 369 *„Aeternum stagno" dixit „vivatis in illo".*
— 533 *Intendens palmas „o diris barbare factis."*
— 570 *Et luget non sic lugendae fata sororis.*
VII, 197 *Auraeque et venti montesque amnesque lacusque.*
VIII, 31 Sic Phoebum sumptis iurabat stare sagittis.
— 118 Terrarum nobis ut Crete sola pateret.
— 293 Et frustra exspectant promissas horrea messes.
— 486 *An felix Oeneus nato victore feretur.*
IX, 23 Nam quo te iactas, Alcmene nate, creatum.
— 539 Et crebri amplexus, et quae, si forte notasti.
— 593 Non exploratis implevi lintea velis.
— 636 Tum vero maestam tota Miletida mente.
— 682 Tam qui mandabat quam cui mandata dabantur.
— 726 Hoc ipsum flammas, ardetque in virgine virgo.
X, 5 Nec laetos vultus nec felix attulit omen.
— 365 Non intellectam vocem conlaudat et „esto".
XI, 42 *Auditum saxis intellectumque ferarum.*
— 266 Felix et nato, felix et coniuge Peleus.
— 299 Illius virtus reges gentesque subegit.
— 343 Virtutem antiquam, maiores corpore vires.
XII, 241 *Certatimque omnes uno ore „arma, arma" lo-*
XIII, 97 *Atque Aiax armis, non Aiaci arma petuntur.* [*quuntur.*
— 665 Non hic Aeneas, non, qui defenderet Andron.
— 806 Non tantum cervo claris latratibus acto.
XV, 39 O cui ius caeli bis sex fecere labores.

Quibus addere non dubito 9 hosce:

II, 423 „Hoc certe furtum coniunx mea nesciet" inquit.
III, 68 Aut ultor vestrae fidissima pectora mortis.
— 517 Quam felix esses, si tu quoque luminis huius.
IV, 158 At tu quae ramis arbor miserabile corpus.
— 416 Tum vero totis Bacchi memorabile nomen.
V, 617 Crinales vittas afflabat anhelitus oris.
VI, 254 At non intonsum supplex Damasichthona vultus.
— 547 Implebo silvas et conscia saxa movebo.
VII, 50 Servatrix urbes matrum celebrabere turba.

Ex hoc ergo genere 52 sunt versus, quos „rhetoricos" mihi dicere posse videor.

Age iam eorum quae hucusque enumeravimus summam faciamus. Quamquam enim fieri potuit ut unum alterumque versum omitterem, tamen ea sum in toto hoc negotio usus diligentia ut tabulis meis tamquam fundamento demonstrationem quandam imponere non verear. Nam si quis forte aliquem versum, quem ego ad „descriptivos" retuli, „contemplativis" vel „rhetoricis" vult adnumerare, aut „rhetoricis" exemptum inter „contemplativos" ponere, aut quocunque tandem modo versus a me citatos transponere, minime recuso: tria enim genera illa, quamquam inter se discrepant, tamen simul sunt cognata. Et, quod gravissimum, ad nostram rationem nihil interest cui generi hic ille versus adnumeretur.

Habemus 77 + 24 + 52 i. e. 153 versus „ponderosos" qui cur sic a poeta sint conformati liquido apparet.

Opponimus his ex toto Metamorphoseon opere 29 versus „ponderosos" qui imprudenti poetae excidisse videntur, quia sensus eorum nihil habet quod gravitati illi respondeat. Sunt hi:

II, 742 Et causam adventus, cui sic respondit Atlantis.
III, 145 Et sol ex aequo meta distabat utraque.
— 313 Furtim illum primis Ino matertera cunis.
VII, 233 Nondum mutato vulgatum corpore Glauci.
VIII, 305 Et velox Idas et iam non femina Caeneus.
IX, 115 Nam clavam et curvos trans ripam miserat arcus.
— 436 Nec nostrum seri curvarent Aeacon anni.

X, 12 Deflevit vates, ne non temptaret et umbras.
— 736 Qualem, quae lento celant sub cortice granum.
XI, 761 Quamvis est illum proles enixa Dymantis.
XIV, 92 Cercopum exosus gentisque admissa dolosae.
— 99 Verborum et natae dira in periuria linguae.
— 114 Fulgentem ramum silva Iunonis Avernae.
— 146 Ter centum messes, ter centum musta videre.
— 151 Vel non cognoscet, vel dilexisse negabit.
— 509 Ut non cygnorum, sic albis proxima cygnis.
— 638 Fecere et pinu praecincti cornua Panes.
— 769 Evicit nubes nullaque obstante reluxit.
XV, 68 Et rerum causas et quid natura docebat.
— 78 Sunt herbae dulces, sunt quae mitescere flamma.
— 319 Cui non audita est obscenae Salmacis undae.
— 390 Mutari credant humanas angue medullas.
— 455 Immutat formas tellusque et quidquid in illa.
— 475 Nec formidatis cervos inludite pennis.
— 484 Adsuetam bello pacis traduxit ad artes.
— 618 *Quantum depresso subiectis bobus aratro*
— 619 *Complecti posses ad finem lucis ab ortu.*
— 676 Evinctus vitta crines albente sacerdos.

Hunc quoque versum, licet a tribus incipiat spondeis, huc referendum censeo:

XV, 328 Undarum sparsas Symplegadas elisarum.

Hoc ergo primum apparet raros esse in Metamorphosesin „ponderosos" versus. Nam cum totum opus e duodecim fere milibus versuum constat, ex illo genere non plus 182 praebet, idque ita ut saepe longissimo intervallo inveniatur nullus. Iam id ipsum suspicionem movet eos a poeta certo consilio esse positos atque ut legentium animos certo aliquo afficeret sensu, eamque suspicionem confirmare conati sumus demonstrando illorum versuum alios „descriptivos", alios „contemplativos", alios denique „rhetoricos" iure dici posse. Quodsi quis nihili se facere clamet normam quae 153 exemplis defendatur, 29 exemplis refellatur, omnino verissimum illud esse concedo, sed nostram rationem minime ea observatione convelli mihi persuasissimum est. Inspiciat modo aliquis ultimam tabulam

nostram. Quid videbit? Nempe 29 illarum „exceptionum" 19 legi in libris XIV et XV, qui 1730 versus continent, reliquas decem in libris I—XIII, qui versuum habent non minus decem milia.

Iam haec tabula

Libri I—XIII	versus habent sine causa „ponderosos"	10
„ XIV et XV	„ „ „ „ „	19

aliquid docet quod non sine aliqua cognoscamus admiratione.

Sed maiorem etiam persuadendi vim altera haec habere videtur:

In libris I—XIII	versus	„cum causa ponderosi"	leguntur	147
„ „ „ „	„	„sine causa ponderosi"	„	10
„ „ XIV et XV	„	„cum causa ponderosi"	„	6
„ „ „ „	„	„sine causa ponderosi"	„	19

Confidenter ergo his nisus tabulis hanc pronuntio sententiam:

Versus a quaternis incipientes spondeis, quique a ternis incipientes simile pondus habent, si non in sententia eorum inest aliquid quod eiusmodi ornamenta postulet, *imprudenti* poetae excidisse censendi sunt.

Statimque alteram hanc, satis, ut opinor, iam stabilitam adiungo:

Ad versuum „ponderosorum" ornamentum quod attinet, in libris Metamorphoseon XIV et XV multo negligentius est versatus Ovidius quam in ceteris omnibus.

CAPUT II.

DE CAESURA ΚΑΤΑ ΤΕΤΑΡΤΟΝ ΤΡΟΧΑΙΟΝ APUD POETAS LATINOS.

Hanc nostram de Ovidii in Metamorphoseon libris XIV et XV conscribendis negligentia observationem in praesentia seponamus: mox ea ad aliam rem illustrandam utemur. Sed nunc, quoniam semel in re metrica versamur, paulisper etiam in ea moremur.

Quaestionem quandam instituam saepius iam antea agitatam, hoc vero tempore a clarissimo quodam viro doctissime sed simul, sic certe mihi stat sententia, perversissime tractatam.

Disquisitionibus enim suis utitur ad demonstrandum aliquid quo nihil unquam falsius vidi. Ipsum virum non nominabo: odi enim lites et bella literaria; quid sibi invenisse visus ille sit in fine capitis huius paucis dicam verbis, meis, ut opinor, refutatum iam explosumque argumentis. Agam enim de hexametrorum latinorum caesura κατὰ τέταρτον τροχαῖον.

Ab Homero illam caesuram sedulo vitatam primus Godofredus Hermannus (Orph. p. 692) vidit et post eum saepius viri docti pronuntiarunt, hac vero aetate Leeuwenius noster totam rem tam docte acute diligenter est perscrutatus ut vix quemquam superesse opiner qui quin, sicubi etiam in Iliade vel Odyssea inveniatur, emendatione sit tollenda dubitet. Latini vero poetae quid? Fieri potest ut Ovidium Virgilium alios legens tam longo intervallo nullam eiusmodi caesuram invenias ut credere incipias ad Latinos quoque poetas Hermanni pertinere legem. Sic, ut hoc exemplo utar, quod mihi semper magni est visum momenti, in pulcherrima illa Ovidii de morte Tibulli elegia (Am. III, 9), quae 34 est distichorum, nusquam caesura in quarto pede trochaica deprehenditur. At in eiusdem Amorum libri elegia I, quae 35 habet disticha, non minus 4 versus sic incisos legimus:

11 Venit et ingenti violenta / Tragoedia passu.
29 Nunc habeam per te Romana / Tragoedia nomen.
35 Quid gravibus verbis, animosa / Tragoedia dixit.
67 Exiguum vati concede / Tragoedia tempus.

Hac ego inter duas eiusdem libri elegias discrepantia motus totam rem paulo accuratius explorare decrevi. Atque excerpsi e primo libro Metamorphoseon versus hosce:

12 Nec circumfuso pendebat / in aëre tellus.
23 Et liquidum spisso secrevit / ab aëre caelum.
31 Ultima possedit solidumque / coercuit orbem.
36 Tunc freta diffudit rapidisque / tumescere ventis.
55 Iussit et humanas motura / tonitrua mentes.
76 Sanctius his animal mentisque / capacius altae.
91 Poena metusque aberant nec verba / minacia fixo.
107 Ver erat aeternum, placidique / tepentibus auris.
125 Tertia post illam successit / aënea proles.
141 Iamque nocens ferrum ferroque / nocentius aurum.

144 Vivitur ex rapto; non hospes / ab hospite tutus.
169 Lactea nomen habet, candore / notabilis ipso.
186 Corpore et ex una pendebat / origine bellum.
203 Humanum genus est totusque / perhorruit orbis.
208 Iuppiter hoc iterum sermone / silentia rupit.
219 Ingredior traherent cum sera / crepuscula noctem.
232 Territus ipse fugit, nactusque / silentia noctis.
234 Colligit os rabiem, solitaeque / cupidine caedis.
252 Dissimilem populo promittit / origine mira.
269 Fit fragor; hinc densi funduntur / ab aethere nimbi.
282 Et defrenato volvuntur / in aequora cursu.
288 Si qua domus mansit potuitque / resistere tanto.
310 Pulsabantque novi montana / cacumina fluctus.
317 Nomine Parnasus, superantque / cacumina nubes.
324 Iuppiter ut liquidis stagnare / paludibus orbem.
329 Et caelo terras ostendit / et aethera terris.
330 Nec maris ira manet; positoque / tricuspide telo.
337 Bucina, quae medio concepit / ubi aëra ponto.
338 Litora voce replet sub utroque / iacentia Phoebo.
341 Omnibus audita est telluris / et aequoris undis.
342 *Et quibus est undis audita, / coërcuit omnes* [1]).
346 Perque diem longam nudata / cacumine silvae.
349 Et desolatas agere alta / silentia terras.
353 Deinde torus iunxit, nunc ipsa / pericula iungunt.
374 Pallebant musco, stabantque / sine ignibus arae.
382 Et velate caput cinctasque / resolvite vestes.
384 Obstipuere diu; rumpitque / silentia voce.
401 *Ponere duritiem coepere / suumque rigorem.*
406 Non exacta satis rudibusque / simillima signis.
415 Et documenta damus, qua simus / origine nati.
435 Solibus aetheriis altoque / recanduit aestu.
442 Ante nisi in dammis capreisque / fugacibus usus.
450 Nondum laurus erat, longoque / decentia crine.
453 Fors ignara dedit sed saeva / Cupidinis ira.

---

1) Tam ingratus auditu hic versus est (cum praesertim praecedat versus eodem modo incisus) ut, nisi frequentia caesurarum κ. τ. τ., quam hoc libro observamus, obstaret, fere suspicarer *de industria* eum sic a poeta structum ut fluctus *subito* inhibitos *depingeret*.

473 Laesit Apollineas traiecta / per ossa medullas.
522 Dicor et herbarum subiecta / potentia nobis.
562 Ante fores stabis mediamque / tuebere quercum.
567 Est nemus Haemoniae praerupta / quod undique claudit.
575 Undis iura dabat nymphisque / colentibus undas.
582 Inachus unus abest imoque / reconditus antro.
583 Fletibus auget aquas natamque / miserrimus Io.
588 Flumine et o virgo Iove digna, / tuoque beatum.
597 Consitaque arboribus Lyrcaea / reliquerat arva.
608 Constitit in terris nebulasque / recedere iussit.
641 Naides ignorant: ignorat / et Inachus ipse.
645 Illa manus lambit patriisque / dat oscula palmis.
667 Nec superum rector mala tanta / Phoronidos ultra.
700 Et precibus spretis fugisse / per avia nympham.
751 Nec sibi cedentem Phoeboque / parente superbum.
753 Credis et es tumidus genitoris / imagine falsi.
754 Erubuit Phaethon iramque / pudore repressit.
771 Se mihi, sitque oculis lux ista / novissima nostris.
777 Aethiopasque suos positosque / sub ignibus Indos.

Cum ergo totus liber e 777 versibus constet, eorum 63 caesuram in quarto pede trochaicam habent, i. e. duodeni unam. Omisi enim undecim versus in quibus illa facile excusari atque defendi possit:

3 Aspirate meis primaque ab / origine mundi.
50 Nix tegit alta duas, totidem inter / utramque locavit.
160 In faciem vertisse hominum sed / et illa propago.
213 Et deus humana lustro sub / imagine terras.
214 Longa mora est, quantum noxae sit / ubique repertum.
254 Sed timuit ne forte sacer tot / ab ignibus aether.
322 Non illo melior quisquam nec / amantior aequi.
471 Quod fugat obtusum est et habet sub / harundine plumbum.
517 Iuppiter est genitor per me quod / eritque fuitque.
669 Pleias enixa est, letoque / det, imperat Argum.
707 Dumque ibi suspirat, motos in / harundine vento.

Immo ne inest quidem in illis caesura nostra: nam neque voculae *ab*, *inter*, *sed*, *sub*, *sit*, *tot*, *nec*, *sub*, *quod*, *in* a sequentibus divelli possunt, neque *det* (vs. 669) a praecedentibus.

Contra inclinatis diductisque imprimendos curavi literis eos

versus quos vix aequo animo ferre possint homines in Homero non plane hospites.

Nam auditu ingratos et fere dixerim vitiosos esse hexametros omnes post quartum trochaeum incisos quis neget? De latinis hexametris negat unus omnium maxime idoneus iudex Lucianus Müllerus, atque sic disputat:

„Graecorum hexametrorum pars maior principalem habet caesuram post *tertium* trochaeum, si ergo accedit caesura post quartum trochaeum, languidissimus existit versus et vix ferendus. Atque haec praesertim causa fuit cur poetae Graeci tam anxie caesuram *κατὰ τέταρτον τροχαῖον* vitarent; contra Latini hexametri, qui post tertium trochaeum principalem caesuram habent, sat rari sunt, plerique in tertio pede post syllabam longam inciduntur (caesura mascula), ergo Latinis poetis eadem formido non fuit."

Quae minime absurda esse quivis concedet. Quanto enim ingratior ad aures accedit versus qualis hic est:

Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα / γυναῖκα / γαμέσσεται αὐτός

quam

πολλὰ δ' ἄρ' ἔνθα καὶ ἔνθ' / ἴθυσε / μάχη πεδίοιο.

At non prorsus Mülleri argumento Latini poetae defenduntur, pars culpae remanet. Versus enim quales sunt:

Et quibus est undis / audita, / coërcuit omnes

vel

Ponere duritiem / coepere / suumque rigorem

elumbes sunt et habebuntur, quamdiu Graecos habebimus hexametros ad quorum elegantiam eos examinemus.

Cum ergo Ovidium vidissem in primum Metamorphoseon librum tam frequenter illud admittentem vitium, alibine cautius egisset sum perscrutatus, atque primum cum primo libro contuli locum, quo nullum fortasse accuratius elaboravit ille: Armorum Iudicium. Ibi versuum 398 hosce inveni post quartum incisos trochaeum:

23 Moenia qui forti Troiana / sub Hercule cepit.
25 Aeacus huic pater est, qui iura / silentibus illic.
32 Sisyphio furtisque et fraude / simillimus illi.
36 Arma neganda mihi potiorque / videbitur ille.
42 Obtulimus quia nos ad prima / pericula simus.

66 Vulnere tardus equi fessusque / senilibus annis.
110 Nec clipeus, vasti caelatus / imagine mundi.
154 Aut si proximitas primusque / requiritur heres.
174 Et Tenedon Chrysenque et Cyllan / Apollinis urbes.
216 Ecce Iovis monitu deceptus / imagine somni,
253 Cuius equos pretium pro nocte / poposcerat hostis.
254 Arma negate mihi, fueritque / benignior Aiax.
276 Se putat oblitus regisque / ducumque meique.
316 Ut se subtraheret bellique / viaeque labori [1]).
325 Stabit, et auxilium promittet / Achaia Troiae.
357 Nec minus Idomeneus patriaque / creatus eadem.

Omisi hic, tamquam facile ferendum, vs. 147:

Altera nobilitas, deus est in / utroque parente.

et tamquam non sic ab Ovidio scriptum:

333 Te tamen adgrediar, mecumque / reducere nitar.

Ergo in Armorum Iudicio 398 versus 16 caesuras post quartum trochaeum, i. e. viceni quini unam, habent. Minime caret vitio isto hic locus, quin etiam semel duos deinceps exhibet versus eo laborantes (253, 254), videri tamen potest, quod ad hanc rem attinet, paulo diligentius compositus quam primus liber.

Addo etiam quaedam de Ovidii *Amoribus*. Habent illi 1200 fere hexametros, quorum 67 post quartum trochaeum incisi sunt. Interdum tam longo spatio nulla eiusmodi caesura invenitur, ut credas sedulo eam ab Amorum poeta vitatam. Vide quae de tertii libri elegia nona diximus. Consideratis vero iis, quae de eiusdem libri elegia prima observavimus (de versibus qualis est: Venit et ingenti violenta / Tragoedia passu), non maiore, quod quidem ad caesuras post quartum trochaeum attinet, laude totum Amorum opus ornare possumus quam hoc ut dicamus inter librum primum Metamorphoseon et Armorum Iudicium quodammodo medium illud tenere locum.

Age iam omittamus Ovidium et Virgilium ei opponamus. Elegi autem ex Aeneide, quem ad hanc spectarem lucem, librum IV, tamquam praestantissimum omnium, atque ex eo enotavi versus:

---

1) Eiusmodi versus videri fortasse possunt non peccare in Graecorum hexametrorum legem; v. v. Leeuwen Ench. p. 20 infra. Sed his demptis non mutatur ratiocinatio nostra.

58 Legiferae Cereri Phoeboque / patrique Lyaeo.
59 Iunoni ante omnes, cui vincla / iugalia curae.
71 Pastor agens telis liquitque / volatile telum.
84 Aut gremio Ascanium genitoris / imagine capta.
101 Ardet amans Dido traxitque / per ossa furorem.
117 Venatum Aeneas unaque / miserrima Dido.
119 Extulerit Titan radiisque / retexerit orbem.
123 Diffugient comites et nocte / tegentur opaca.
158 Spumantemque dari pecora inter / inertia votis.
194 Regnorum immemores turpique / cupidine captos.
200 Centum aras posuit vigilemque / sacraverat ignem.
218 Quippe tuis ferimus famamque / fovemus inanem.
261 Constitit, atque illi stellatus / iaspide fulva.
281 Ardet abire fuga dulcisque / relinquere terras.
335 Promeritam, nec me meminisse / pigebit Elissae.
346 Italiam Lyciae iussere / capessere sortes.
437 Talibus orabat, talisque / miserima fletus.
485 Quae dabat et sacros servabat / in arbore ramos.
521 Curae numen habet iustumque / memorque precatur.
559 Et crines flavos et membra / decora iuventa.
561 Nec quae te circum stent deinde / pericula cernis.
626 Qui face Dardanios ferroque / sequare colonos.
636 Et pecudes secum et monstrata / piacula ducat.
650 Incubuitque toro dixitque / novissima verba.
651 Dulces exuviae dum fata / deusque sinebat.
695 Quae luctantem animam nexosque / resolveret artus.

Nam praetereundos videbam hosce, specie magis quam revera post quartum trochaeum incisos:

41 Et Numidae infreni cingunt et / inhospita Syrtis.
52 Dum pelago desaevit hiemps et / aquosus Orion.
132 Massylique ruunt equites et / odora canum vis.
458 Coniugis antiqui, miro quod / honore colebat.

Hic ergo versus, hoc crimine notandi, sunt inter 27 singuli. Et sunt quidem inter eos bis bini deinceps positi (58 sq. 650 sq.), sed semel inter duos versus caesura ista laborantes (346 et 436) *nonaginta* intercedunt versus omni labe puri (tres fere paginae Teubnerianae). Igitur vel Armorum Iudicio Ovidiano hoc nomine quartus Aeneidos liber praestat.

Age iam cum pulcherrimis his praestantissimorum poetarum locis exercitationem comparemus adolescentuli, qui sat quidem bene Ovidium suum teneat et imitari didicerit, sed nunquam eo pervenerit ut suis stet pedibus et proferat aliquid quod legentem gravius commoveat detineatque; ita omnia apud eum sunt languida frigidaque; improbus labor poetam, quidquid in pectore habuit ardoris vigorisque — si quidquam habuit — uti eo vetuit. Consolationem ad Liviam dico, sive Epicedium Drusi. Est elegia 237 distichorum. Eius hi sunt hexametri post quartum trochaeum incisi:

5 Nec tua se pietas distendit / amore duorum.
33 Obvia progrediar felixque / per oppida dicar. [*sam.*
37 *Gaudia vana foves: spem pone, / miserrima, fal-*
61 *Ille vigil, summa sacer ipse / locatus in arce.*
71 Ecce parum ante dati: iactura / novissima Drusus.
93 Lumina caerulea iam iamque / natantia morte.
95 At miseranda parens suprema / neque oscula legit.
149 Nec quom victorem referetur / adesse Neronem.
151 Ultima contigimus: ius matris / habemus ab uno.
153 Me miseram! extimui frigusque / per ossa cucurrit.
173 Funera ducuntur Romana / per oppida Drusi.
199 Obvia turba ruit lacrimisque / rigantibus ora.
205 Auctorisque sui praefertur/ imagine maesta.
207 *Certat onus lecti generosa / subire iuventus.*
221 Ipse pater flavis Tiberinus / adhorruit undis.
231 Sed Mavors templo vicinus / et accola campi.
239 Quondam ego tentavi Clothoque / duasque sorores.
267 *Pars erit historiae totoque / legetur in aevo.*
305 Tu concessus amor, tu solus / et ultimus illi.
315 *Frigidus ille tibi corpusque / refertur inane.*
325 Et modo per somnos agitaris / imagine falsa.
333 *Regalique habitu curruque / superbus eburno.*
349 *En posuit te alte Fortuna / locumque tueri.*
397 Praevertitque metus per longa / pericula luctum.
431 *Et longaeva parens: tamen ille / redemptus ad ignes.*

Noveni hexametri unam habent caesuram κατὰ τέταρτον τροχαῖον, et mirum quam saepe alia res accedit, quae versus sic

incisos etiam ingratiores reddat: unus et alter eorum ferri vix potest (e. c. 61, 349). Ergo hoc nomine Epicedio praestat etiam Metamorphoseon liber primus, propter istarum caesurarum frequentiam minime laudandus (12 : 1).

Ultra investigare, colligere, numerare nolui neque utile putavi. Sat multa iam proposui e quibus de tota re iudicium efficere possimus.

Poetas latinos omnino ignoravisse legem de vitanda post quartum trochaeum caesura dicere non audeo; obstat enim quod Lucianus Muellerus p. 192 docet: vitatam eam de industria ét a Lygdamo ét a poeta qui Lygdamum aetate multum antecedit: Catullum dico in epyllio suo. Et omnino parce cauteque ea usus esse videtur Catullus.

Ergone cum viro illo docto, cuius in initio huius capitis mentionem feci, statuamus a cultioribus poetis omnino vitatam caesuram istam, sed hic illic tamen irrepsisse eam, quoniam poeta aut Ennii locum aliquem legentibus in memoriam revocare vellet aut ipsi (imprudenti nimirum et invito) versus aliquis Ennianus (satis intempestive!) in mentem veniret? Excogitari posse nihil quod falsius sit vel tabulae a me propositae documento sunt: nullus enim ibi versus legitur, qui coloris Enniani levissimam habeat umbram. Atque omnino opinionem illam de Ennio redivivo proponens haud facile dictu est utrum vir doctus noster infelicior fuerit an pertinacior. Nam cum ex uno Aeneidis libro argumenta sua colligeret, ne hac quidem re se a proposito suo abduci passus est, quod *proxime praecedentis* libri *ultimus* esset versus:

Nudus in ignota Palinure / iacebis / harena

qui neque quidquam habet, quod etiam apud Ennium fuisse credibile sit, et hexametri Graeci leges aperte violat. Sed pertinacia viri docti magis incusanda videtur, qui, ut quam plurima legis suae afferre posset exempla, et alia suo statuerit arbitrio, et si cui verbo particula enclitica *que* adhaereret, non post sed *ante* illam versum incidi iusserit.

Immo sic rem se habere mihi est persuasissimum, et quo magis hanc quaestionem mecum reputo eo fit certius magis:

Poetae Latini legem de vitanda caesura κατὰ τέταρτον τροχαῖον non ignorarunt, sed nosse se eam dissimularunt. At quo quisque

est tersior elegantiorque, quoque in suo argumento pertractando felicius versatur, eo magis, imprudens invitusque, legi paret. Cum vero αὐτὸς ἑαυτοῦ est *δεινότατος longos locos tanta pangit arte ut ne severissimae quidem et Homeri plenissimae aures quidquam habeant quod reprehendant.*

Hoc verum esse, hoc ipsi rei naturae convenire, optime sciunt sentiuntque illi qui omnino ad huiuscemodi quaestiones dirimendas maxime sunt idonei, eos dico qui ipsi versibus Latinis pangendis sedulo dant operam. E quorum artificio exemplum afferre lubet quod rem, in qua versamur, egregie illustrare videtur. Quis poetarum noviciorum semper anxie dat operam ut hexameter exeat in vocem binarum ternarumve syllabarum? Quis eorum versum improbet qualis hic est:

Ne vero Bavium, tam fortem, tam sapientem?

Et tamen, qui in hoc negotio non rudis est, rarissime eiusmodi hexametros in carmina sua admittit.

Tota ergo investigatio nostra eo ducit ut penitus sentiamus hexametrum illum e Graecia petitum bonis poetis Latinis „consuetudine in naturam vertisse."

CAPUT III.

DE METAMORPHOSEON ULTIMAE PARTIS ENUNTIATIONE.

Primo capite virtutem quandam Ovidii, in ceteris Metamorphoseon libris conspicuam, praedicavimus, at e libris XIV et XV huic contraria protulimus vitia. Nunc videamus possimusne et ex alio genere afferre argumenta ad demonstrandum ultimam magni operis partem praecedentibus minus esse limatam cultamque.

Omnino Ovidius limpida simplicique utitur enuntiatione, in Metamorphosesin vero sermo eius tam perspicuus facilisque est ut etiam pueri non nimis tardi sine ulla molestia eos certe locos, qui nominibus mythologicis geographicisque carent, perlegere possint et sponte memoria teneant. Non nego quidem hic illic structuram deprehendi paulo contortiorem; sed versus quales hi sunt (ex initio libri IX):

Quae gemitus truncaeque deo Neptunius heros
Causa rogat frontis

rari sunt in Metamorphosesin, neque ullos ibi memini me his intricatiores legere, et sunt tamen vel hi eiusmodi ut iudici paulo leniori bilem movere non possint. „In Metamorphosesin" cum dico, libros XIV et XV cum libri XIII versibus 400—fin. excipio. Nam haec pars versibus obscuris, contortis, omni denique genere vitiorum laborantibus, abundat et sunt in illis nonnulli, quos, etiam cum primis illis libri IX versibus comparatos, ineptos insulsosque dicere non dubites.

Age iam aut omnes aut certe eos qui maxime insignes sunt hic proponamus; sic optime elucebit quantum sibi eam partem scribens permiserit Ovidius, quantum sibi licere sit arbitratus. Legentium commodo consulens versibus, qui ipsi per se intelligi non facile possint, enarrationem quam brevissimam addam locorum e quibus sumpti sunt.

XIII, 450 (Polyxena laudatur tamquam):

Fortis et infelix et plus quam femina virgo.

Quid sibi velit poeta utcunque intelligimus: „virgo illa fortiorem quam pro femina se praestitit." Sed mire loquitur.

466 sq. (Eadem Polyxena sacrificii ministros orat):

Ite procul, si iusta peto, tactuque viriles
Virgineo removete manus.

Proeliantur hic inter se vocabula, non ordine disponuntur. Dicendum fere erat: „viriles manus corpore virgineo removete" vel „nolite virilibus manibus virgineum corpus tangere". Nam quis unquam verba quae sunt *tactus virgineus* sic adhibita vidit ut iis *τὸ virginem tangere* significaretur?

552 (Hecuba insidias struit Polymestori),

Colloquiumque petit: nam se monstrare relictum
Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.

Subobscurum et vix ferendae duritiae est istud *relictum latens aurum.*

600 sqq. (Aurora a Iove petit ut Memnonem mortuum insigni aliquo afficiat honore et sic suum dolorem leniat):

Iuppiter adnuerat. Cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus nigrique volumina fumi

Infecere diem, veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec sol admittitur infra.

Comparatio ista plane supervacua est: narraturus enim est poeta quomodo favilla, quae de Memnonis rogo surgit, in avem sit conversa. Certe parum est diserta neque ullum huic loco affert decus: omnis enim fumus hoc habet ut similis sit cuivis nebulae. Et omni caret sensu vox q. e. *natas*. Totum istud *veluti* ... *infra* scin quo modo natum sit? Eodem modo quo tam multi versus apud Horatium: versum inchoaverat poeta, supplendus ille erat, supplementum denuo novum versum peperit (Vide: de Horatio Poeta p. 33 sqq.).

720 (Aeneas eiusque comites):

Proxima Phaeacum felicibus obsita pomis
Rura petunt. Epiros ab his regnataque vati
Buthrotos Phrygio simulataque Troia tenetur.

Epiros ab his tenetur: quis non putet verborum illorum hunc sensum esse: „a Phaeacibus tenetur, i. e. habitatur Epirus." Quod tamen poetam noluisse res ipsa clamat: plane enim istud a veritate abhorret, neque, si poeta tam impudenter mentiri voluisset ut Phaeacas incolas diceret Epiri, quidquam profecisset: nihil enim aliud hic spectabat quam ut sibi transitum pararet ad sequentia. Ergo dubium non est quin isto *Epiros ab his tenetur* hoc significetur: „post hos (Phaeacas) naves Aeneae appelluntur ad Epirum." Quid aliud est suo ipsum sermoni vim facere nisi hoc est?

750 De Acide formosissimo adolescentulo, cuius amore quondam arserit, sic incipit narrare Galatea:

Acis erat, Fauno nymphaque Symaethide cretus,
Magna quidem patrisque sui matrisque voluptas,
Nostra tamen maior. Nam me sibi iunxerat uni.

Hactenus omnia optime procedunt, et sunt luce clariora. Sed videamus quid addat nympha ad amatorem suum laudandum:

Pulcher et octonis iterum natalibus actis
Signarat teneras molli lanugine malas.

Parum abfuit quin horum versuum alterum delendum esse declararem, sed repressi me, intelligens illo expuncto priorem pendere et tantum non sensu carere. Restat ergo ut ipse Acis suas malas lanugine signasse dicatur, quod tum demum sermonis

Latini naturae convenienter dictum erit, si rem quam maxime fingemus ridiculam: barbulam falsam agglutinasse malis suis puerum.

797 Multis aliis versibus Galateae formam laudans inducitur Cyclops et hisce:

> Lucidior glacie, matura dulcior uva,
> Mollior et cygni plumis et lacte coacto.

Hinc de eiusdem Galateae crudelitate queri sic incipit:

> Saevior indomitis eadem Galatea iuvencis,

sed questibus suis praemittit etiam aliquid quod inter laudem et vituperationem quodammodo medium teneat:

> Et, si non fugias, riguo formosior horto,

quod ineptissimum esse nemo negabit. Nisi enim nostro arbitrio vocabula Latina trahere atque torquere volumus, hoc dicit Cyclops: „etiam cum horto florente te comparare vellem, sed non possum, quia ille suo loco remanet, tu curris." Quod tam absurdum ut mirum non sit Hugoni Magno natam suspicionem hunc versum includendum esse. Verum, si licet a Magno in quaestione aliqua Ovidiana dissentire, sic molestia non tollitur sed alio transfertur. Sumendum enim erit fuisse aliquem, quisquis fuerit ille, qui talem versum scribere posset idque eo sensu, quem quam maxime ridiculum esse modo vidimus, quique sine ulla probabili causa eum versum hic inseruerit. Contra si Ovidio ipsi hunc versum relinquimus, hoc voluisse Cyclopem clamantem inducere Ovidius erit censendus: „vellem pluribus te laudare teque cum horto fertili comparare, sed eheu! fugis neque me audis" et in ea re enuntianda admodum fuisse infelix, quod, si porro ultimam Metamorphoseon partem accuratius examinaverimus, minime nobis iam videbitur incredibile. Accedit quod ille a laude ad vituperationem transitus, permanente eadem vocabulorum dispositione, ita ut semper nova sententia ab aliquo comparativo incipiat (candidior, floridior, splendidior, levior, nobilior, lucidior, mollior ... saevior, durior e. q. s.) nescio quid ab Ovidii arte alienum habet. Verisimilius videtur Ovidium inter versus

> Mollior et cygni plumis et lacte coacto

et:

> Saevior indomitis eadem Galatea iuvencis

interiecisse unum cuius primum esset vocabulum coniunctio aliqua (*at* vel *et*), quod fit, si nihil delemus.

834—7 Cyclopis dona promittentis Galateae verba sunt:

Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis
Villosae catulos in summis montibus ursae,
Inveni et dixi: „dominae servabimus ista."

Inveni — *inveni*, quorsum ista anaphora? Nihil in his versibus inest quod illa apte illustretur.

898 Illa omnia de insano Cyclopis amore, quem ineptissimum in modum ille ostenderat, deque Acide rivali feliciore ab illo crudeliter necato, Galatea narravit Scyllae, quae procos fugiens ab illa fuerat hospitio recepta. Tum sic poeta pergit:

Desierat Galatea loqui, coetuque soluto
Discedunt placidisque natant Nereides undis.
Scylla redit.

Si tantummodo sermonis Latini rationem habeas, verba „Scylla redit" significare dicas: „*ad Galateam* redit Scylla, quae aut apud illam habitabat sed aliquantisper afuerat aut paulo ante semel saepiusve ad eam venerat." Conferatur, ut ex ingenti exemplorum copia unum afferam, quod verbi illius usum praeclare illustret, II, 697 sq.:

Simulat Iove natus abire,
Mox redit.

Sed sic totam perturbes narrationem. Nam ex illa lucide apparet hoc voluisse poetam: „Scylla relictis nymphis, ad quas perfugerat, domum suam repetit" sed sic illud enuntiat ut tantum non vitiosus nascatur sermo. Et praeterea ubi illa Scyllae domus fuerit narrare omisit.

924 sq. In piscem quomodo sit conversus narraturus sic incipit Glaucus:

Sunt viridi prato confinia litora, quorum
Altera pars undis, pars altera cingitur herbis.

Sic Kornius edidit. In codice M est:

Altera pars fundit, pars altera fungitur herbis.

Quin *fundit* recte sit correctum in *undis* dubitari nequit. Pro *fungitur* quidquid legeris, sive cum Kornio *cingitur*, sive cum

Merkelio *funditur* (quod quam sit absurdum quivis sentit), habebis aliquid quod prave sit enuntiatum.

Sequitur:

Quas neque cornigerae morsu laesere iuvencae,
Nec placidae carpsistis oves.

Omnino saepe anastrophae figura abutitur Ovidius, sed nusquam ineptius quam hic, ne illo quidem loco quem merito damnant omnes, qui quid poetam deceat quid non paulo accuratius examinant I, 438:

Illa (Terra) quidem nollet, sed te quoque, maxime
Tum genuit. [Python,

957 sqq. Narrationem suam sic claudit Glaucus:

Hactenus haec memini, nec mens mea cetera sensit.
Quae postquam rediit, alium me corpore toto
Ac fueram nuper, neque eundem mente recepi.

Repetitio ista: *mens* ... *mente* aut mali est poetae aut nimium festinantis.

XIV, 8. Inde manu magna Tyrrhena per aequora vectus.

De duce aliquo hic agi putes, qui magna classe in terram hostilem expeditionem faciat. At sermo est ... de Glauco natante!

Versibus 15 et 21 duo leguntur *ἅπαξ λεγόμενα* in Metamorphosesin, eaque minime venusta: *cognitius* et *expugnacior*.

36 Auxilium petenti Glauco suum ipsa amorem fatetur Circe eumque his verbis obsecrat:

En ego, cum dea sim, nitidi cum filia solis,
Carmine cum tantum, tantum quoque gramine possim,
Ut tua sim voveo. Spernentem (sc. Scyllam) sperne,
Redde vices, *unoque duas ulciscere facto*. [sequenti

Ultimis vocabulis quid sibi velit poeta non facile dicas.

56 Prae Scylla spreta Circe poenas ab ea sumere statuit, et gurgitem, in quo se ardente sole reficere illa solebat

Inquinat, hic fusos latices radice nocenti
Spargit.

E verbis citatis equidem certe poetae mentem non extraho.

64 In illum ergo gurgitem, a Circe infectum herbis magicis, Scylla descendit, accrescere sibi sentit canum capita

Et corpus quaerens femorum crurumque pedumque.

Quis, obsecro, unquam sic est locutus?

127 Sibyllae Aeneas ab inferis rediens oratione ardentissima gratias agit, additque:

Pro quibus aërias meritis evectus ad auras
Templa tibi statuam.

Quanto sit istud contortius obscuriusque vel illo, quem in initio capitis citavimus, loco:

Quae gemitus truncaeque deo Neptunius heros
Causa rogat frontis

dicere vix opus.

158 Caietam venit Aeneas:

Hic quoque substiterat post taedia longa laborum
Neritius Macareus.

„Et ubi praeterea substiterat ille?" quivis roget. Frustra, nam poeta non *locos* aliquos inter se opponit sed Macareo Aeneam. Non ad adverbium q. e. *hic* sed ad nomen proprium *Macareus* coniunctio *quoque* pertinet.

166 Ibi Macareo obviam venit Achaemenides:

Iam suus et spinis conserto tegmine nullis.

Ergone plane laxa pendebat vestis eius? Hoc e verbis allatis efficias, sed poeta legentes docet nunc veste indutum fuisse Achaemenidem bene culti hominis, non horrida illa, quam antea spinis solebat conserere.

215 Legitur hic, vel potius quin legenda sit non dubium est, infinitivi forma barbara *moriri*:

mortemque timens cupidusque moriri.

In codice M cum sensus pernicie est *morique*. Sequendum hic esse Kornium *moriri* edentem mihi quidem pro certo constat.

219 In insula aliqua barbara relictus qui navem conspicit, ut ego opinor et ipsa fert rei natura, quoad longissime potest in litus procurrit et inde gestibus ut recipiatur orat. At apud poetam nostrum, satis absurde, inverso ista fiunt ordine:

Oravique fugam gestu ad litusque cucurri.

235 Ad Antiphatem Macareus narrat, ego missus sum:

numero comitante duorum.

Quis unquam sic locutus est pro *cum duobus comitibus*? Ille, opinor, qui unice fuit sollicitus ut quam primum expleret versum.

244 sq. Macareus de suis Ulyssisque erroribus et alia narrat et haec:

terris adlabimur illis,
Quas procul hinc cernis. Procul [hinc, mihi crede, videnda
Insula, visa mihi: tuque] o iustissime Troum
Nate dea (neque enim finito Marte vocandus
Hostis es Aenea) moneo, fuge litora Circes.

Vocabula *hinc* ... *tuque* inclusit Kornius. Sic haud dubie multo melior fit locus, sed corrigitur ipse Ovidius, non librarius sciolusve. Habet hoc festinatio ut saepe scribentem iusto faciat verbosiorem. Meminimus etiam egregium in hac urbe oratorem, qui in ore habere soleret: „prae temporis angustiis brevis esse non potui.”

287 sqq. „Unus Eurylochus” sic porro narrat Macareus „pocula a Circe data non sumsit.”

Quae nisi vitasset, pecoris pars una manerem
Nunc quoque saetigeri, nec tantae cladis ab illo
Certior ad Circen ultor venisset Ulixes.

Certior pro *certior factus* vix est sincerae Latinitatis. Properanti Ovidio metrum illud expressit.

360 Pici amore Circe capitur, at ille fugit. Iurat Circe mox illum suis artibus captum iri.

Dixit et effigiem, nullo cum corpore, falsi
Finxit apri, praeterque oculos transcurrere regis
Iussit et in densum trabibus nemus ire videri.

Falsus, haud dubie, aper est qui currere iubetur; sed non satis idonea haec causa est cur istud *videri* adiiciatur. Species, quamvis falsa, *revera* tamen eum qui decipitur praetervolat transcurritque. Multo ergo rectius multoque elegantius hic poeta simplici *eundi* esset usus verbo. Sed novimus quam commodae fuerint poetis scriptoribusque clausulae *esse videri*, *ire videri* simm. praesertim iis qui quam primum ad finem pervenire gestirent.

427 Maritum suum Picum, in avem conversum, usquequaque Canens uxor quaerit:

Ultimus aspexit Thybris luctuque viaque
Fessam et iam longa ponentem corpora ripa.

Versum explet vox q. e. *longa*, sententiam pessumdat.

428 sqq. Continuo sequitur:

Illic cum lacrimis ipso modulata dolore
Verba sono tenui maerens fundebat.

Ipsos Ovidii aequales se ex hoc vocabulorum labyrintho vix extricasse opinor.

579 Ex urbis Ardeae, ab hostibus incensae, favilla evolat avis, quae sic describitur:

Et sonus et macies et pallor et omnia, captam
Quae deceant urbem, nomen quoque mansit in illa
Urbis.

Omnia hic risum movent, qui minime „deceat" rem gravem tristemque, sed prae ceteris *macies* illa.

609 sq. Inde sub Ascanii dicione binominis Alba
Resque Latina fuit.

Verissimum illud est Ascanio alterum fuisse nomen Iulum. Sed quid attinebat huius rei hic mentionem iniicere? Versus sic expletur, sententia languidior fit quam oportebat.

Sed nusquam luculentius dat documentum poeta noster se cetera omnia parum curasse, dummodo quam primum novus esset effectus versus, quam vss. 613 sq.:

Post hunc Capetysque Capysque,
Sed Capys ante fuit.

Hercule sic versus Latinos sexcentos quotidie componere cuiusvis est [1]).

633 Pomona omnibus modis arbores suas curat colitque:

Nec sentire sitim patitur bibulaeque recurvas
Radicis fibras labentibus irrigat undis.

Deam pomorum illo irrigandi labore eodem functam modo suspicor quo hodiernos omnium gentium hortulanos, non fluvios rivosque ad arbores duxisse, qua tamen de re cogitare nos cogit participium *labentibus*, cum insigni sententiae detrimento insertum. Cff. praecedentia:

---

1) Dixerit aliquis semper et ubique illud habere Ovidium ut ludat lasciviatque in argumento suo, et esse hoc illud quod in eo iam aequales observaverint et leniter riserint. Concedo: ne in ultima quidem Metamorphoseon parte quidquam fecit Ovidius quod naturae eius repugnaret. Sed quantum distat ineptum istud *post hunc* ... *ante fuit* a lepidissimo in Arte versu (II, 71):

Monte minor collis, campis erat altior aequis

quem exempli causa ex ingenti affero copia.

Qua (falce) modo luxuriem premit et spatiantia passim
Bracchia compescit, fisso modo cortice lignum
Inserit et sucos alieno praestat alumno,

quae omnia deae cum mortalibus sunt communia.

Continuo sequitur:

Hic amor, hoc studium: Veneris quoque nulla cupido est.
Vim tamen agrestum metuens pomaria claudit
Intus et accessus prohibet refugitque viriles.

Metrum fulciunt coniunctiones *quoque* et *tamen*, sed illa misere languet, haec sententiae decursum perturbat; nihil enim habet quo referatur. Transponere eas inter se, sineret modo versus, praestaret.

711 sqq. Iphis Anaxaretae amore captus precibus donisque eam adit:

Saevior illa freto surgente cadentibus Haedis,
Durior et ferro quod Noricus excoquit ignis,
Et saxo, quod adhuc vivum radice tenetur,
Spernit.

Tres insumuntur versus ad rem decantatam poetis, puellae dilectae duritiem, describendam. Quanto praestitisset una hic uti imagine! Taedium movet legentibus ista verborum ubertas.

741 sq. Supplicibus precibus frustra absumtis ante crudelis virginis fores se suspendit Iphis. Qua re cognita

exclamant famuli frustraque levatum
(Nam pater occiderat) referunt ad limina matris.

Tota ista parenthesis putidae videri posset diligentiae, nisi ad versum explendum insertam constaret. Et quid, obsecro, sibi istud *frustra* vult? Alio quoque vitio laborat totus hic locus. Addendum aliquid erat ad demonstrandum qui fieri potuerit ut *inscia* Anaxarete tolleretur corpus auferreturque: illa enim, praetereunte aedes suas funere, quid gestum sit cognoscit:

753 Vixque bene impositum lecto prospexerat Iphim e. q. s.

Nisi tam multa ipsius poetae vitia his deprehenderentur libris, pro *frustra* legendum suspicarer *furtim*.

772 sqq.

Proximus Ausonias iniusti miles Amuli
Rexit opes. Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit.

Ita hic disposita, vel potius permixta, sunt vocabula ut, nisi aliunde cognita esset fabula, ademptum potius Numitori quam redditum a nepotibus regnum suspicarere.

785 sq. Cum Tarpeia hostes intromitteret

Sola Venus portae cecidisse repagula sensit
Et clausura fuit, nisi quod rescindere nunquam
Dis licet acta deum.

Totum istud *nisi ... deum* versum explet, nihil ultra. Et revera in proxime sequentibus illud ipsum dea faciens inducitur quod hic nefas esse dicitur.

799 sqq. Quae (sc. arma) postquam Romulus ultro

Obtulit, et *strata est tellus Romana Sabinis*
Corporibus strata estque suis.

Nihil isto flosculo, qui duos implet versus, dicitur quam hoc: „postquam aliquamdiu pugnatum est."

824 sqq. Nusquam vidi imaginem invenustiorem hacce, qua corpus Romuli in deum conversi comparatur cum glande Balearica, quae in nubium regione liquescit:

Corpus mortale per auras
Dilapsum tenues; sic lata plumbea funda
Missa solet medio glans intabescere caelo.

Turpe nescioquid et vile habet *intabescendi* verbum, planeque est indignum quo significetur corpus aliquod naturam divinam induere.

830 sqq. In caelum sublatus ubi est Romulus, Iuno

Irin ad Hersiliam descendere limite curvo
Imperat et vacuae sua sic mandata referre:
„O et de Latia, o et de gente Sabina
Praecipuum, matrona, decus, dignissima tanti
Ante fuisse viri, coniunx nunc esse Quirini,
Siste tuos fletus."

Minime pulchrum illud est quod ipsam allocutionem, qua Iridi ad Hersiliam utendum est, ei subiicit Iuno. Quanto elegantius foret ipsique naturae conveniret magis, si dearum maxima famulae suae tantummodo imperaret quid esset nuntiandum, at haec deinde, muliere illa primaria conspecta, praemitteret verba admirationem suam testantia.

849 Ipsa quoque Hersilia dea facta in caelum evolat:

Hanc manibus notis Romanae conditor urbis
Excipit et priscum pariter cum corpore nomen
Mutat Horamque vocat.

Illud *notis* quid sibi velit intelligimus, sed sentimus simul quam sit languidum, miramurque cur poeta non hic quoque *cupidis* scripserit, ut XI, 63 cupidisque amplectitur ulnis. Cetera ita sunt composita ut vix aliud quidquam inde efficere possis quam hoc: *a Romulo* conversum esse Hersiliae corpus, quod neque voluit poeta et est absurdissimum.

XV, 7 Numa Pompilius regio nomine et munere non contentus

quae sit rerum natura requirit.
Huius amor curae, patria Curibusque relictis,
Fecit ut Herculei penetraret ad hospitis urbem.

Novi substantivum quod est *cura* saepe poni ad quemvis mentis laborem, e. c. docti hominis disquisitionem, artificis studium, alia ex hoc genere significanda, neque tamen unquam mihi eripietur ingratam esse locutionem *huius amor curae*. Et cetera huius sententiae temere deiecta videntur potius quam apte eleganterque disposita. Ipsa enim sermonis Latini indoles flagitare videtur ut ablativus absolutus *patria Curibusque relictis* ponatur inter coniunctionem *ut* et coniunctivum *penetraret*.

12 Neque est aptior dispositio in iis quae paulo post leguntur:

Dives ab Oceano, bobus Iove natus Hiberis
Litora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur.

Aut in hisce:

20 Myscelus, illius dis acceptissimus aevi.

Non enim poeta dicit, quod absurdissimum, Myscelum acceptissimum fuisse diis, qui tunc essent, sed omnium hominum, qui tunc essent, fuisse diis acceptissimum. Sed quis sic latine loquitur scribitve?

30 Ut dicat „dies praeterierat unus et nox una" poeta duobus utitur versibus:

Candidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol
Et caput extulerat densissima sidereum Nox.

Satis, hercule, verbose. Plane abundat adiectivum q. e. *densus*

et tantum non inepte in superlativo ponitur. In uno enim *sidereum*, quod idem est atque *densum sideribus* insunt omnia. Neque quidquam inest in illa *temporis* significatione, quod graves illas terminationes *sol*, *nox*, deinceps positas requirat.

34 Myscelus semel iterumque in somno ab Hercule iussus patriam relinquere

Pertimuit patriumque simul transferre parabat
In sedes penetrale novas.

Satis inusitate hic *simul* eo ponitur sensu quem *iam* habere solet.

56 Invenit Myscelus post aliquos errores fluvium Aesarem, ubi urbem condere iussus est:

Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus, iussaque ibi moenia terra
Condidit et nomen tumulati traxit in urbem.

Verbo *trahendi* vim facit poeta: *trahere* enim *nomen* recte dicitur homo vel locus, qui nomen *accipit.* Cf. IV, 291: „nomen quoque traxit ab illis". Eodem modo aliquis „qui in novum est mutatus corpus" dicitur: colorem, formam, squamas, plumas simm. *trahere.*

167 Docet Pythagoras:

Errat et illinc
Huc venit, hinc illuc et quoslibet occupat artus
Spiritus eque feris humana in corpora transit
Inque feras noster.

Vocabulum q. e. *noster* eo loco est positum ut tota horum versuum sententia admodum fiat obscura.

525 sq. Egeriae sic de exitu suo narrat Hippolytus:

Excutior curru, lorisque tenentibus artus
Viscera viva trahi nervosque in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partimque reprensa relinqui,
Ossa gravem dare fracta sonum fessamque *videres*
Exhalari animam, nullasque in corpore partes
Noscere quas posses: unumque erat omnia vulnus.

Figura, quae „zeugma" dicitur, novimus omnes quam sit frequens et quantum sibi in ea adhibenda largiantur poetae, sed nemo usquam illius causa tam vehementer contortum vidit loquendi usum quam hic, ubi primum, solita vocabulorum significatione, *viscera trahi*, *nervos teneri*, *membra rapi* *v i d e r e*

iubemur, sed deinde etiam *sonum dari* et *animam exhalari*, postremo iterum quotidiana sua vi redit videndi verbum in his: „nullasque in corpore partes noscere quas posses”.

620 Cipus, cum frontem suam cornibus munitam vidisset, consulto haruspice se regem fore, si urbem intrarit, cognoscit; sponte ergo vir patriae amantissimus rem senatui aperit et ut in exsilium pellatur petit. At aliter visum patribus: extra urbem ei honoris causa agrum dant:

Cornuaque aeratis miram referentia formam
Postibus insculpunt, longum mansura per aevum.

Ipsum Cipi caput, opinor, *miram formam referebat*, de solis cornibus, iisque non veris sed simulatis, absurde illud dicitur.

652 Senatus Epidaurius dubitat tradatne petentibus Romanorum legatis Aesculapium an neget:

Dum dubitant, seram pepulere crepuscula lucem
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi.

Omnia in altero versu mire et insolite sunt enuntiata, illud vero *telluris orbi* vix ferendum videtur.

653 sqq. Sic pergitur:

Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum, Romane, torum, sed qualis in aede
Esse solet e. q. s.

Nusquam ineptiorem vidi τῆς ἀποστροφῆς abusum quam hic, ubi poeta vocativo *Romane* alloquitur nescioquem e legatis illum, cuius ne nomen quidem novimus. At multo tamen etiam durius hoc quod coniunctione *sed* usus poeta veram Aesculapii formam iam hic opponit serpenti, sub quo latere solet ille ... cum tamen *in sequentibus demum* de serpente illo cognoscunt aliquid legentes.

663 Dormienti ergo legato adstat Aesculapius eumque quid sit agendum edocet, quo facto

Extemplo cum voce deus, cum voce deoque
Somnus abit.

Pueriliter ludentis est sic vocibus inanibus versum explere.

699 Deus idem in Italiam vehendus navi imponitur,

modicisque per aequor
Ionium zephyris sexto Pallantidos ortu
Italiam tenuit.

Hic haud dubie a poeta, sermonis usum parum curante, omissum est participium *vectus* (modicis zephyris per aequor Ionium vectus) quod non minus durum est quam *certior* (XIV, 290) pro *certior factus* positum.

740 Insula Tiberis sic describitur:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
Insula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit aequales media tellure lacertos.

Quid sibi isto *laterum a parte duorum* vellet ipsum poetam ignorasse arbitror.

792 Instante Iulii Caesaris caede et alia fiunt portenta et

Tristia mille locis Stygius dedit omina [1]) bubo,
Mille locis lacrimavit ebur cantusque feruntur
Auditi sanctis et verba minantia lucis.

Ipse consilio suo obstitit poeta, cum versus explendi causa istud *feruntur* poneret, nam nunc videri certe legentibus potest de veritate portentorum illorum *dubitare ipse*. Quod, ut opinor, a proposito eius quam maxime est alienum.

817 sqq. Venerem, ob caedem Iulii Caesaris afflictam, sic consolatur Iupiter ut ei narret quae in Parcarum libris olim legerit ipse:

Hic sua complevit, pro quo, Cytherea, laboras,
Tempora, perfectis, quos terrae debuit, annis.
Ut deus accedat caelo templisque colatur,
Tu facies natusque suus: qui nominis heres
Impositum feret unus onus caesique parentis
Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.

Ultima vix possunt intelligi, tanto sunt inter se spatio dirempta *ultor* et genitivus inde pendens *caesi parentis*.

823 Pharsalia sentiet illum (sc. Octavianum)
Emathiaque iterum madefient caede Philippi.

Mirum in modum hic Pharsalus et Philippi inter se confunduntur, et vocabula *Emathia caede* in nescioquos errores inducunt legentem.

829 De futuro Augusti imperio et alia declamat Iupiter et haec:

---

1) Quod in editione Korniana hic *omnia* legitur errore opificis factum coniicio.

Quid tibi barbariam, *gentes ab utroque iacentes*
Oceano numerem?

Vocabula notata quo sensu dicta sint equidem non perspicio.

832 Idem ille Augustus, vaticinante Iove:

Pace data terris animum ad civilia vertet
Iura suum.

Quanto praestaret totum illud *suum* omittere quam hic ponere! Sed metro habilis illa vox est, cetera poeta non curat.

834 sqq. Sic pergitur:

Legesque feret iustissimus auctor
Exemploque suo mores reget *inque futuri*
Temporis aetatem venturorumque nepotum
Prospiciens prolem sancta de coniuge natam
Ferre simul nomenque suum curasque [1]) iubebit.

Verbis notatis versus farciuntur, non ornantur neque ponderis quidquam nanciscuntur. Zeugma vero illud: *ferre nomen curasque* durius etiam est illo quod vss. 525 sqq. notavimus.

845 sq. Venus

Caesaris eripuit membris neque in aëra solvi
Passa recentem animam caelestibus intulit astris.

Ita disposita sunt vocabula ut mollissimi nascantur versus sed sententia impeditissima.

Metri causa poetas Latinos interdum aptam sententiae dispositionem neglexisse nusquam apparet clarius quam A.A. I, 399 sq.:

Tempora qui solis operosa colentibus arva,
  Fallitur, et nautis adspicienda putat.

Minime tamen hoc exemplo infirmatur nostra nonnullorum in Metamorphosesin versuum reprehensio. Poetae elegiaco omnibus modis ludere conceditur, poetam *narrantem* simplicem *perspicuumque* esse iure nostro postulamus. Et sunt in libris XIV et XV (1730 versibus) non minus *decem* loci, ubi mirum in modum vocabula inter se confunduntur, suntque illi eiusmodi ut nihil eos deceat magis quam quotidiana loquendi scribendique ratio: XIV, 127, 158, 219, 428, 772; XV, 7, 12, 20, 820, 845. Contra toto Artis opere „hyperbatum" illud, quod citavimus, stat solum.

1) In Korniana editione typothetae, ut opinor, errore hic *carasque* legitur.

858 „Ne Iovi quidem cedit Augustus" poeta declamat „immo superat eum". Tum sic pergit:

Iuppiter arces
Temperat aetherias et mundi regna triformis
Terra sub Augusto.

Quid, obsecro, hic adiectivum q. e. *triformis* significat, quid omnino potest significare ut apte inter se opponantur *mundus triformis* et *terra*, quae ab Augusto regitur?

Habemus igitur in ultima parte Metamorphoseon, quae tota est 2300 fere versuum, non minus 64 vitia admodum gravia. Non tantus hic est numerus ut incredibilis videri, sed multo maior quam ut bono poetae ignosci possit.

CAPUT IV.

DE METAMORPHOSEON INVENTIONE ET DISPOSITIONE.

Severum profecto adversus Ovidium proximo capite egi censorem, nunc ad laudes eius redeo. In quibus multo versor lubentius, quasque in clara ponere luce multo est facilius. Quidquid autem in Metamorphosesin laudas, tota longi operis dispositio vel maximo est digna praeconio. Qua effectum est ut liber ille, omnes inde a mundo creato usque ad Augusti mortem corporum mutationes complexus, neque in immensum excresceret, et, cum tamen vel sic satis amplus evaserit, non solum sine taedio perlegi possit sed etiam tantum non ab initio usque ad finem dulcedine sua legentem detineat. Qua arte quibusque artificiis eo Ovidius pervenerit, licet antea iam dixerim, iterum, sed paulo accuratius, mox exponam. At nunc, ne adversarios mihi excitem, clamantes temere me Ovidium laudibus ornare, qui non antea sedulo investigarim quid apud auctores suos invenerit Ovidius, quid excogitarit ipse, illa autem res cum ad certum eventum neque perducta sit neque fortasse unquam perduci possit, indignum esse viro docto negotium pulchros e Metamorphosesin locos colligere atque disponere, tamquam

si pro certo constaret ab ipso eos compositos Ovidio non (id quod de nonnullis pro certo sciamus) aliunde sumptos — primum de Ovidii in Metamorphosesin fontibus disputabo quaedam. Sic optime apparebit illud adversariorum argumentum adversus meam disputationem multo minus valere quam primo aspectu videatur. Nam primo aspectu illud esse gravissimum minime nego.

Fuit ergo versatissimus in *poesi tragica* Ovidius. Quam rem olim uno alteroque afferendo loco iam indicavit Ribbeckius in pulcherrimo libro de Romana tragoedia, nuper vero Ehwaldus accuratissime doctissimeque illustravit egregio illo ad XIV^{am} Heroida commentario [1]). Et quis omnino de hac re dubitare possit cum sibi quae de Ovidii Medea sunt tradita in mentem revocet? Quis non *spectare* sibi Procnen Philomelamque, quis non nuntium tragicum de morte Meleagri avunculorum *narrantem audire* videtur?

Utque erat impatiens irae, Sigeia torvo
Litora respexit classemque in litore vultu,
Intendensque manus e. q. s.

Talem, ut opinor, Aiacem spectantibus exhibuerat Pacuvius in *Armorum Iudicio*. Et quod de Ulysse sic narrat Ovidius:

Laertius heros
Astitit atque oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres exspectatoque resolvit
Ora sono

non Homerica illa

'στάσκεν ὑπαὶ δὲ 'ϝίδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας

et: ἀλλ' ὅτε δὴ ϝόπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει

vertere videtur, sed potius redire in memoriam fabulae sibi spectatae, cuius poeta Ulyssem suum ad versus illos Homericos accommodaverit.

Ad Medeam vero quod attinet, nonne haec (Heroid. XII, 181 sq.) legentes:

Dum ferrum flammaeque aderunt sucusque veneni,
Hostis Medeae nullus inultus erit

eandem illam agnoscimus quam apud Euripidem audivimus minantem:

---

1) R. Ehwald. Exegetischer Kommentar zur XIV Heroide Ovids Gotha 1900 (in Programmate Gymnasii Ernestini).

οὐ γὰρ μὰ τὴν δέσποιναν ἣν ἐγὼ σέβω
μάλιστα πάντων καὶ ξυνεργὸν εἱλόμην,
Ἑκάτην μυχοῖς ναίουσαν ἑστίας ἐμῆς,
χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγυνεῖ κέαρ.

Sed possunt ad hanc rem demonstrandam sexcenta e Metamorphosesin afferri exempla, quae quivis semel monitus statim deprehendat. Ergo ut appareat quam fuerint omnino Ovidii aequales, qui quidem in literis non essent hospites, in qualicunque legendo carmine ad cogitandum de aliqua tragoedia propensi, lubet hic e Propertio afferre exemplum, quod illam rem luculentius doceat quam ullus ipsius Ovidii locus, ideoque a proposito nostro minime sit alienum. Et nusquam illud in huiusce generis disputationibus allatum vidi. Propertius ergo postquam (III, 15) praeclaris versibus Antiopam miseratus est, quae, non agnoscentibus eam filiis, crudeliter a stabulo quo perfugerat repellatur, subito laetus exclamat (vs. 36 sq.):

Digne Iovis natos qui tueare senex
Tu reddis pueris matrem e. q. s.

Qui nunc Propertium legit non potest non admirabundus rogare unde tam subito senex ille pedes intulerit. At non miratos opinor Propertii Ovidiique aequales. Horum enim nemo fuit, qui senem illum non optime notum haberet. Sed noverant eum omnes ex aliqua tragoedia. Suus enim in tragoediis locus est senibus illis, qui, si non nutrix aliqua eo fungitur munere, sero, cum iam mater in eo est ut securi filium caedat, vel filius ut matrem ducat uxorem, prolato aliquo signo efficiunt ut parentes liberique inter se agnoscant.

Deinde immensam Ovidius aut perlegit aut certe inspexit epylliorum et *αἰτίων* Alexandrinorum copiam. Utrum autem diversa inter se fuerint *ἐπύλλια* et *αἴτια* an, id quod de Callimacho perhibet Diltheyus, *αἴτια* nomen fuerit magni libri multa complexi *ἐπύλλια* parum hic refert.

Praeterea Virgilium bene cognitum habebat, et omnino quotquot Romae florebant poetae eos omnes audiverat recitantes vel legerat. „Quotque aderant vates rebar adesse deos" ipse ait; bonos sui temporis poetas pie colebat, pulcherrimos eorum versus tenebat memoria, et inscius invitusque saepe eos imitabatur (cf. quae scripsi in libro de Horatio poeta p. 193 sq.).

Sed praesertim doctrinam, qua opus erat, sibi Ovidius collegit ex omni enchiridiorum genere. Syllogas geographicas, astronomicas, mythologicas ei scribenti semper prae manibus fuisse pro certo constat. Atque ex illis non solum argumenta suarum narrationum hausit, sed etiam, id quod hic illic etiam nostris cernere possumus oculis, narrationes, ut erant in enchiridio iunctae, ita in metamorphoses suas transtulit. Semper et ubique sic eum egisse neque constat neque credibile est.

Restat ergo ut quomodo fontibus illis usus sit Ovidius quaeramus. Est autem ea quaestio ex illarum numero quas obiter tractare non videatur nefas. Certe priusquam qua ratione auctores suos in suum usum converterit Ovidius diligenter accurateque investigemus, utile est „a priori ratiocinari", ut dialecticorum filii loquuntur. Quod qui in tempore facere neglexit interdum nimio colligendi studio et nimio disputandi acumine abreptus ad eam rem credendam adducitur, quam veram esse non posse multo ante pro certo scire potuerit. Dabo huius rei luculentum exemplum. Non ita multi anni sunt cum in patria nostra certatim viri docti nonnulli quid literae nostrae Senecae tragico deberent quaerebant. Tandem aliquando Vondelium mirum quantum a Seneca sumpsisse utroque poeta cum pulvisculo excusso pronuntiarunt omnes. Sed non fecerunt id quod ante omnia esset faciendum, ut ipsa utriusque poetae quae esset indoles statuerent. Quod si fecissent, nihil esse vidissent quod tantopere Senecam insigniret et a cetero poetarum populo seiungeret quam mirum illud sententiolarum brevium acutarum subobscurarum artificium, quibus et aliae multae res et hominum miseriae atque fatum acerbum ita depingerentur ut non possent legentes non vehementer eius oratione commoveri; simulque intellexissent hoc artificium imitari posse neminem qui non satis bene Latine sciret; Vondelium autem in sermone Latino adeo fuisse hospitem ut, quo quid praeclarius a Seneca dictum esset, eo absurdius illud interpretatione sua corrumperet atque pessumdaret, ergo quamvis multa Vondelio cum Seneca sint communia, quod ad eas res pertineat, quibus vera alicuius poetae contineatur natura, nullam inter hosce poetas intercedere rationem [1]).

1) Vide diarium vernaculum c. t. *Los en Vast* Nieuwe Serie, 1e Jaargang 1894.

In nostra ergo quaestione ante omnia quaerendum videtur quae indoles sit Ovidii: sic optime cognoscemus quo modo ab eo consultos esse auctores illos sit verisimile.

Ipsius Ovidii aetate nulla laus erat quam diligentius studiosiusque appetebant poetae quam *doctrinae*; docti videri volebant, doctos inter se appellitabant. Et quo sensu tunc illa vox accipiebatur, nemo, ut opinor, Ovidio dignior erat docti nomine; nemo enim plura legerat, nemo plura tenebat memoria. Sed simul nemo mortalis vixit unquam, qui ab eo viro, quem *nos* doctum dicimus, tam longo distaret spatio. Satis est de ea re illos consulere, quibus inter ipsos Romanos nemo fuit de omni literarum genere magis idoneus iudex, quorum alter Ovidii ipsius fuit magister, alter totum genus humanum literas docuisse iure dicitur, Senecam maiorem volo et Quintilianum.

Seneca ergo maior (Cont. X) „non ignoravit" ait „(Ovidius) vitia sua sed amavit".

Quintilianus X, 1, 88: „Ovidius nimis amator ingenii sui"
et — 98: „Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset".

Lepidissime dicta haec sunt, verissima esse vel ille novit qui ipsius poetae quamvis parvam partem legit perpenditque. Quid autem doctrinae, quam nos eo nomine dignam censemus, contrarium magis, quam vitia illa, quae tam clementibus vocabulis a Seneca Quintilianoque significantur? Et putemus virum, qui illis vitiis laboravit, id facere potuisse quod nunc a viro docto iure postulamus, ut via et ratione ageret? Credamusne eum certa aliqua imitandi norma usum? Immo vero, prout ferebat ingenium, modo sic modo aliter eum egisse quam maxime est verisimile; ultro quidquam pro certo statuere non res solum difficillima est sed fere ἕν τι τῶν ἀδυνάτων. Quique accuratissimam hic investigandi rationem sunt secuti, magis mihi librorum (enchiridiorum praesertim), qui Ovidio prae manibus fuerunt, naturam dispositionemque eruisse, quam quo modo usus iis esset Ovidius invenisse videntur.

Sed quocunque modo se ea res habet, sunt quaedam fabularum inter se iungendarum artificia, quae quin ab ipso sint inventa Ovidio minime dubitandum videtur, quoniam nullus iis

aut in epyllio, aut in tragoedia, aut in carmine docto, aut denique in enchiridio locus esse potuerit. Dabo hic, ut quid mihi velim appareat, exempla quaedam, quae mihi semper maxime insignia visa sunt. Alia addere cuiusvis est.

I 667 Mercurius Argum consopit longo sermone diuque fistula canendo, de qua rogatus quomodo sit inventa, fabulam orditur de Syringe, sed iam somno oppressus iacet Argus. Non tamen hanc facultatem narrationis inserendae narrationi amittit poeta, sed ipse suis verbis, idque oratione indirecta (700—711), ea refert, quae iam non potest Argo narrare Mercurius. Lepidissimum profecto inventum, quodque venustissimis exornat versibus Ovidius, sed ubi, quaeso, recte adhiberi potuit illud nisi in ipso de omnibus in novas formas mutatis corporibus carmine?

Homines inter se metamorphoses narrantes inducit et alibi et VIII 547—875, ubi strenui illi venatores, Calydone domum redeuntes, otiosi apud Acheloum desident. Quis tragicus, quis *αἰτίων* epylliorumve poeta, quis enchiridiorum scriptor haec sic potuit iungere atque disponere?

VII, 350—400 Medeae fugam describens non solum omnes locos volanti subiacentes nominat, sed arripit hanc facultatem longae inserendae metamorphoseon seriei, quae quoque illorum evenerint.

Quid quod semel (IV, 43—52) *reticendo* haud paucas enumerat metamorphoses. Minyeides ibi „vario sermone" levare decernunt „manuum opus", sed quae narrandi factura est initium primum, quam ex multis illis, quas memoria tenet, potissimum eligat dubia, sororibus dat optionem ... et paucis verbis omnium argumentum proponit. Utilissimam profecto haec Minyeis operam praebet Metamorphoseon poetae, sed alii poetae scriptorive nihil, ut opinor, erat profutura.

Quid fecerit ut fabulas, quas diversis locis iacentes invenerat, inter se iungeret et alibi prodit et XI, 413. Ceyx oraculum consulturus Clarium navem conscendit:

Nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.

Utraque enim re opus est poetae, ét navigatione, in qua periturus sit Ceyx, ét oraculo ab eo consulto. Nam adduxit ad Ceycem Pelea, cui apud praestantissimum illum deversanti

hospitem saeva miracula evenerunt, quae vehementer et alios commoverint et ipsum Ceycem. Nusquam Ovidius Ceycis mortem iunctam invenerat cum Pelei miraculis illis: ut iungere posset commentus est eius *ad oraculum* navigationem, quae ut quam maxime fieret verisimilis, a Phorbante praedone auxilium petiit.

Sed nihil iocosius, nihil quod magis ipsam Ovidii referat indolem, quam quod IX, 667 legitur. De Cauno et Byblide narravit Ovidius, pergere vult de Iphide narrando. Sed quo itinere Mileto in insulam Cretam proficiscatur? Transsilit intervallum sed saltu venustissimo. Postquam in fontem mutatam Byblidem cognovimus, sic subito in Cretam transferimur:

Fama novi centum Cretaeas forsitan urbes
Implesset monstri, si non miracula nuper
Iphide mutata Crete propiora tulisset [1]).

Neque tantummodo ad fabulas inter se iungendas lepidissimis poeta noster utitur artificiis; alia quoque non minus venusta in Metamorphosesin observamus, quae singulis fabulis apte disponendis inserviunt. Illa autem equidem ab ipso Ovidio esse inventa mihi habeo persuasum; quodsi qnis demonstrare possit ea quoque ab eo e suis esse fontibus translata, haud magnopere ea observatione nostra mutetur opinio. Concedendum enim sit in deliciis ea habuisse Ovidium et aptissime elegantissimeque iis usum esse. De his autem artificiis aliisque quibusdam quae his

1) Cognatum huic, sed aliquanto minus iocosum, est exemplum quod e VI, 411 sqq. petimus. Narratum est de Niobidarum interitu tristissimo, parentes quoque eorum quomodo vitae lucem reliquerint cognovimus. Audimus deinde rem cum illis ipsa natura sua artissime iunctam: Pelopem sororis suae tristia fata deflevisse. Sequitur: ad hunc ut consolandi causa legatos mittant reges a civibus suis rogantur. Enumerantur civitates quae officio illo functae sunt. Sequitur:

Credere quis posset? solae cessastis Athenae:
Obstitit officio bellum, subvectaque ponto
Barbara Mopsopios terrebant agmina muros.
Threicius Tereus haec auxiliaribus armis
Fuderat et clarum vincendo nomen habebat:
Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem
Et genus a magno ducentem forte Gradivo
Conubio Prognes iunxit.

En paratus est transitus ad narrationem de Philomela Procneque, quae cum Niobe se iunctas videntes habent quod admirentur!

sunt cognata iam in priore illa dixi disputatione. Cuius loci maiorem partem huc transferam quia ét quae sunt eiusdem argumenti sub unum dare volo conspectum ét sic mihi paro transitum ad peculiarem quandam de duobus locis disputatiunculam, qua apte totum hoc caput claudatur.

Longae saepiusque interruptae narrationes eiusmodi versu concludit poeta ut totus earum nexus legenti continuo stet ante oculos. Duo dabo exempla.

Uxorem amittit Orpheus, receptam negligenda conditione a rege inferorum imposita iterum perdit; maestus redit in Thraciam, tristitiam consolatur canendo; ipsa eius carmina, quorum sat magna est copia, narrationi inseruntur; tandem a Thressis, quarum odium in se verterat, vates crudeliter occiditur, membra eius manibus direpta nefandis sparguntur (XI, 61):

Umbra subit terras et quae loca viderat ante
Cuncta recognoscit, quaerensque per arva piorum
Invenit Euridicen cupidisque amplectitur ulnis.
Hic modo coniunctis spatiantur passibus ambo,
Nunc praecedentem sequitur, nunc praevius anteit;
Eurydicenque suam iam tuto respicit Orpheus.

Vides quam egregie uno vocabulo *iam* longae fabulae exordium cum fine iungatur.

Neque minus est insigne alterum exemplum quod e libro III afferam. Misero sui amore tabescit Narcissus; quid semet spectando senserit dixeritque accurate explicatur, sed ad exitum iam properante narratione non negligit poeta legentes admonere haud immeritam fuisse Narcissi mortem: iterum enim in scenam producit Echo, qua despicienda durae et inhumanae indolis documentum adolescens dedit. Haec poetae verba sunt (vs. 499):

Ultima vox solitam fuit haec spectantis in undam:
„Heu frustra dilecte puer"!" totidemque remisit
Verba locus, dictoque „vale" „vale" inquit et Echo.

Quae autem artificia semel adamare poeta coepit iis saepissime utitur. Citabo versus quosdam inter se simillimos unde alterum genus cognosci possit.

VI, 267 sqq.

Fama mali populique dolor lacrimaeque suorum
Tam subitae matrem certam fecere ruinae

Mirantem potuisse, irascentemque quod ausi
Hoc essent superi, quod tantum iuris haberent.
Nam pater Amphion ferro per pectus adacto
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.

VIII, 529 sqq.

Pulvere canitiem genitor vultusque seniles
Foedat humi fusus spatiosumque increpat aevum.
Nam de matre manus diri sibi conscia facti
Exegit poenas, acto per viscera ferro.

XI, 215 sqq.

Bis periura capit (Hercules) superatae moenia Troiae.
Nec pars militiae, Telamon, sine honore recessit,
Hesioneque data potitur, nam coniuge Peleus
Clarus erat diva e. q. s.

His locis permultisque aliis particula *nam* aptissime adhibetur ad narrationem de homine illis, de quibus antea narratum est, aliqua necessitudine iuncto, suo loco inserendam [1]).

Tertium nunc poetae artificium ita indicabo ut initium faciam a versu, qui vulgo male explicatur. In gravi illo proelio, quod propter Andromedam ortum est, Lampetides cantor a Pettalo vulneratur; V, 117:

Concidit et digitis morientibus ille retemptat
Fila lyrae: casuque fuit miserabile carmen.

Pro *fuit* Heinsius coniecit *canit*, quam coniecturam refutarunt omnes admonendo κακόφωνον esse istud *casu canit carmen,* sed multo graviore argumento, quod contra eam afferri poterat, nemo, quantum scio, unquam usus est. Coniectura enim Heinsiana tollitur et perit vera versus sententia, quae nunc latet tantummodo, nulloque negotio protrahi potest. Non hoc dicit Ovidius cadente Lampetide factum esse ut miserabile existeret carmen: absurdum enim hoc esset et rei naturae contrarium. Musicus, cum improvisa plaga percussus concidit, fieri potest ut lyra eius canat aliquid quod viri perturbationi subitoque terrori respondeat; *lamentabile* vel *miserabile* carmen nemo un-

1) Quam languida sit et prorsus inutilis parenthesis illa (XIV, 741), de qua in praecedenti egimus capite, egregie hi loci docent, ubi particula *nam* tam apte est posita.

quam cecinit nisi otiosus desidens vel adstans. Neglexerunt autem tam interpretes quam ipse Heinsius versum qui praecedit:

Pettalus irridens „Stygiis cane cetera" dixit.

Ergo antequam vulneraretur Lampetides canebat, accepto vulnere *retemptat fila lyrae* i. e. conatur carmen suum persequi, *casuque fuit miserabile carmen* i. e. forte autem res ita ferebat ut carmen quod exorsus erat Lampetides miserabile esset: illud ergo ei pro singultu et lamentatione esse poterat. Igitur eo artificio, quod in Metamorphosesin tam saepe observatur, Ovidius utitur ut non omnia quae gesta sunt sicut gesta sunt ordine velut enumeret, sed interdum narrationis cursum interrumpat ad aliquam rem, quam cum maxime scire legentes oportet, ita addendam quasi eam in praecedentibus narrare neglexerit. Possis ergo verba citata sic in vulgarem transferre sermonem: „Carmen autem, quod exorsum esse Lampetidem modo dicebam, forte miserabile erat". Sed meam loci interpretationem exemplis confirmare conabor.

I, 587 sqq.

Viderat a patrio redeuntem Iuppiter illam
Flumine et „o virgo Iove digna tuoque beatum
Nescio quem factura toro, pete" dixerat „umbras
Altorum nemorum", et nemorum monstraverat umbras.

596 „Ne fuge me", fugiebat enim.

Verborum enim quae sunt *et nemorum m. u.* et *fugiebat enim* hic sensus est: „paene oblitus eram narrare eo loco silvam fuisse" et „p. o. e. n. Io fugisse".

III, 232. Longa serie poeta Actaeonis canes, qui dominum persequuntur, nominavit; addit haec:

Prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit,
Proxima Theridamas, Oresitrophus haesit in armo.
Tardius exierant, sed per compendia montis
Anticipata via est.

i. e. tres illos canes antea non nominavi quia nondum aderant: causa cur tamen primi dominum aggrederentur haec erat quod e. q. s.

V, 278 sqq. De insidiis sibi a Pyramo structis ita narrant Pierides:

Templa petebamus Parnasia: vidit euntes

Nostraque fallaci veneratus numina vultu
„Mnemonides" (*cognorat enim*) „consistite" dixit
„Nec dubitate, precor, tecto grave sidus et imbrem"
(*Imber erat*) „vitare meo".

VI, 358 sq. Agrestes Lycios et aliis verbis obsecrat Latona ut sui misereatur et hisce:

„Hi quoque vos moveant, qui nostro bracchia tendunt
Parva sinu" (*et casu tendebant bracchia nati*).

VII, 217 sqq. A diis deabusque suis Medea venena magica petit: preces autem suas his versibus concludit:

Et dabitis! neque enim micuerunt sidera frustra,
Nec frustra volucrum tractus cervice draconum
Currus adest.

Addit poeta: *aderat demissus ab aethere currus.*

Denique proponam locum qui primo illi tam similis est quam ovum est ovo:

VII, 83 (Medea) ut vidit iuvenem, specie praesentis inarsit.
Et casu solito formosior Aesone natus
Illa luce *fuit* [1]).

Saepius novam fabulam ita exorditur poeta ut dicat illius hominis, de quo modo narraverit, tristem quidem sortem fuisse, illam autem solatio quodam levatam esse, nunc vero rem se narraturum multo praecedenti tristiorem. Solemnis est in his particula *tamen*.

IX, 98 sqq. De Acheloo, qui in certamine cum Hercule de Deianira suscepto alterum cornu amisit, finita est narratio. Sic poeta pergit:

Hunc *tamen* ablati domuit iactura decoris,
Cetera sospes habet; capitis quoque fronde saligna
Aut super imposita celatur arundine damnum.
At te, Nesse ferox, eiusdem virginis ardor
Perdiderat.

---

1) Cum magno cognosco gaudio tandem aliquando meam versus V, 117 interpretationem admitti in commentarios. Ehwaldus enim in praestantissima librorum I—VII editione, quae proximo anno in lucem prodiit, illam in annotatione sua posuit, idque ipsis illis adstructam Metamorphoseon locis, quos ego hic primos attuli: I, 587 sqq. II, 232 sqq.

IX, 326. Socrum Alcmenen ministrae tristi morte afflictam sic consolatur Iole:

> Te *tamen*, o genetrix, alienae a sanguine nostro
> Rapta movet facies. Quid si tibi mira sororis
> Fata meae referam?

XIII, 55. Obiecit Ulyssi triste Philoctetae exilium Aiax; deinde addit:

> Ille *tamen* vivit quia non comitavit Ulyssem.
> Mallet et infelix Palamedes esse relictus [1]).

Et multa alia eiusdemmodi.

Sufficiunt, ut opinor, haec ad demonstrandum qualem se disponendi artificem Ovidius in maiore Metamorphoseon parte praestiterit. Et possum hic finem imponere capiti, quod huic argumento destinavi. Sed paulisper ad unum eius locum redeo, qui ansam mihi praebet observationum duarum neque, ut opinor, ineptarum et cum totius capitis consilio quam maxime cohaerentium.

Observatione ergo nostra de Ovidio non omnia quae gesta sunt sicut gesta sunt ordine velut enumerante, sed interdum narrationis cursum interrumpente ad aliquam rem, quam cum maxime scire legentes oporteat, inserendam, hac aio observatione usi iam sumus ad versus cuiusdam (V, 117) pravam emendationem refellendam et verum sensum in clara ponendum luce. Nunc ea quae dicta sunt de poeta nostro praeclaro artificio in fine longae narrationis eiusmodi ponente versum, quo quodammodo constringatur vinclum, quo tota continetur, et narrationis clausula cum ipso introitu quam artissime coniungatur, sic in usum nostrum convertam ut duobus inde Metamorphoseon locis lucem petam. Alterius quae sit unice vera lectio, alter quo sensu sit accipiendus mihi demonstrare posse videor.

XI, 747. Non est ullus toto Metamorphoseon opere locus qui praestet narrationi de Ceyce et Alcyone. Omnia praeclara hic sunt; pectore disertum faciente poetam legentis animus sic commovetur quasi hominum sibi dilectissimorum sortem sibi

---

1) Quam negligenter atque ingrate coniunctio *tamen* posita sit XIV, 635, quem locum in praecedenti notavimus capite, quam maxime nunc apparet.

narrari audiat. Et revera ut Ceyx et Alcyone cordi nobis sint poeta efficit. Et quanta cura omnia hic elaborarit Ovidius quovis apparet versu. Ceyx ergo probissimus ille vir et Alcyones suae amantissimus navi iter facturus est. Audimus querentem lamentantemque uxorem, vale dicentem ei maritum, videmus denique hunc se ex illius solventem amplexu, navem conscendentem, a terra solventem, invitum in altum provectum, ad uxorem respicientem, signa dantem illi accipientemque, denique Alcyonen comitamur domum redeuntem, et hic quoque eius audimus querimonias. Hisce omnibus non minus 64 versus impenduntur.

Navigat Ceyx, at mox vehemens oritur procella, quae quo modo navem oppugnet arripiat frangat demergat versibus praestantissimis 81 depingitur. Nec minus egregii sunt versus 12 quibus Ceycis mors narratur, quem locum aptissime elegantissimeque claudit poeta legentibus in animum revocando Luciferi filium esse Ceycem docendoque cur ille nato suo opem non tulerit:

Lucifer obscurus nec quem cognoscere posses
Illa nocte fuit: quoniamque excedere caelo
Non licuit, densis texit sua nubibus ora.

Interea domi desidet Alcyone, maritum expectans et pro eius salute redituque deorum sed Iunonis praecipue aras colens. Non ultra dea irritas illas preces audire potest, Irim ad Somnum mittit mandaturam illi ut Alcyonen de dilectissimi mariti morte edoceat. Legimus praeclaram illam de Somni aedibus narrationem, adsumus Alcyonae cum mariti umbra colloquenti, tristissimo eam perturbatam somnio videmus. Haec omnia, quibus ego quod praestet novi nihil, 137 implent versus.

Aedibus egreditur Alcyone, in litore stat prospicitque — hic ipsum mariti corpus fluctibus ad pedes eius defertur, quem ubi agnovit et iis versibus deflevit, quos sexcenties legere possis et tamen semper non minore tangi misericordiae sensu quam cum primum eos cognoscebas, in aves mutantur ambo:

coeunt fiuntque parentes,
Perque dies placidos hiberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus aequore nidis.
Tunc iacet unda maris: ventos custodit et arcet
Aeolus egressu praestatque nepotibus aequor.

Hisce versibus praeclara finitur narratio. *Tunc iacet unda maris.* Sic est in codice optimo Marciano. Non dico vitiosum illud esse: sincerae Latinitatis est et nullo negotio intelligitur. Sed languidi aliquid inest, quod ego in clausula tam praeclari loci vix fero. Quid enim? Iacet unda maris. Opusne hoc est disertis verbis dici cum iam dictum est de *placidis* agi diebus? *Iacet unda maris* et *ventos arcet Aeolus egressu.* Nonne bis idem poeta hic dicit? Ambabus ergo equidem manibus arripio „deteriorum" duorum codicum lectionem:

Tunc via tuta maris.

Hic equidem ipsum Ovidium agnosco in fine longae et ἐπεισοδίων plenae narrationis legentibus in animum revocantis unde omnia ista initium sumserint: a tristi illa Ceycis navigatione. Tam praeclara autem mihi lectio illa videtur ut credere non possim illam coniectura viri docti, quamvis acutus et doctus ille fuerit, restitutam. Hic „deteriore" codice *servatam* Ovidii manum mihi pro certo constat [1]).

Locus ille, qui quo modo esset accipiendus me ad dispositionis Ovidianae lucem demonstraturum pollicitus sum, legitur in libro XIII. Lubenter in eo loco immoror quia iucundissimum mihi tempus et dulcissimos amicos in mentem revocat.

Postquam in armorum iudicio ab utroque litigantium oratio est habita

382 Mota manus procerum est et quid facundia posset
Re patuit: fortisque viri tulit arma disertus.

Haec ego quo modo iam puer mihi sim interpretatus mox dicam, sed per multos annos eodem interpretabar modo; fieri posse ut existeret aliquis qui alium iis inesse sensum putaret hoc mihi ne in mentem quidem veniebat unquam. Tandem aliquando in gymnasio Leidensi mihi hic locus cum discipulis erat tractandus. Ecce puerorum unus — minime stultus ille erat — versionem mihi recitabat, quae mihi falsissima absurdissimaque videbatur. Facile autem errantem mihi in viam ducturus videbar, sed neque ille neque commilitones eius manum dare

1) Et quo magis appareat quam sit revera Ovidianum illo „tum via *tuta* maris" respicere illud Ceycis iter quod tot tantisque fuerit obnoxium periculis, cogita de illo X, 66):

Eurydicenque suam iam *tuto* respicit Orpheus.

volebant: in eadem sententia perstabant omnes, unus et alter ad commentarium sibi inspectum provocabat. Inspiciebam ergo libros, adultiores doctioresque consulebam — omnes cum puero meo facere videbam, me cum inveterata mea opinione stare solum. Diu audita lectaque mecum pervolvebam, sed quo magis considerabam omnia eo certior mihi stabat sententia ceteros omnes errare me verum vidisse. Ineptissimae, sat scio, me *αὐθαδείας* accusabit quicunque hoc me profitentem audierit: ergo rem ipsam cognoscat.

Mota manus procerum est. Annotat Gierigius: „*manus*, consilium, collegium" atque sic puer meus verterat, vertebantque omnes quos identidem rogabam, non cives solum academici sed etiam viri docti. In recentioribus editionibus (atque omnium instar hic est praestantissima illa Ehwaldi, quae a. 1898 apud Weidmannos, Germanicis annotationibus instructa, prodiit in lucem) nihil video annotatum, e qua re efficio nihil viris doctis in antiqua Gierigii interpretatione mutandum videri. Sed quis unquam (atque hoc gravissimum mihi ad vulgatam versionem refellendam videtur argumentum, hoc, licet cetera omnia quae dicturus sum minus probentur legentibus, nemo mihi eripiet unquam, nemo unquam poterit convellere) grave atque augustum procerum consilium *manum* appellari audivit? Nonne multo hic praestitisset *moti sunt proceres* scribere? Scio vocabula unum spondeum implentia in initio hexametrorum rara esse apud cultiores poetas, non desunt tamen in Metamorphosesin, hic vero eiusmodi versus gravitatem quandam haberet a verborum sententia minime abhorrentem. Neque metuo ne quis mihi hic opponat quod in Dialogo de Oratoribus c. 37 legitur: *ceteram procerum manum,* nam qui ibi loquitur (secundum ceteros Maternus, secundum Iohnium Secundus) significare vult *magnum* esse eorum procerum *numerum*; de libris potius quam de hominibus cogitat, poteratque et *procerum multitudinem* vel etiam *procerum turbam* dicere. Aliud est in universum de procerum genere loqui, aliud legentibus ante oculos proponere certum quendam iamque antea commemoratum regum consessum eumque amplissimum et summopere venerandum [1]).

1) *Respici* a Dialogi scriptore Ovidii verba dixeris? Haud obloquor. Sed quam

Deinde iure nostro nobis improbare modo videbamur versuum XI, 745 sqq. lectionem:

Perque dies placidos hiberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus aequore nidis.
Tunc iacet unda maris,

quoniam languidissimum in modum bis idem ibi diceretur, nihilque in isto *tunc iacet unda maris* inesset quod non verbis q. s. *dies placidos* esset significatum. Verum, obsecro, num minus languet *mota manus procerum est* (i. e. Ulysses iudicibus persuasit, facundia sua eos ad suas pertraxit partes) *et quid facundia posset re patuit*? Nonne hic quoque ineptissimum in modum bis idem dicitur? *Re patuit*: quae est res illa, quis actus, quo patuit illud? Nonne in tam vivida narratione *actum* illum tantum non oculis nostris cernere debemus? At quid nunc cernimus? Vultusne laudantium, probantium, admirantium? Nimis exile istud nimisque vitae expers. Denique, ut tandem longae disputationi imponamus finem, sic tota res se habet. Audivimus Aiacem Ulyssemque orationem habentes: uterque raptim verbis suis magnam Troiani belli percucurrit partem. At non in ipso Troiano bello nunc poetae carmen versatur, alius est locus, tempus aliud, alia res agitur. Quae illa sint verbis quam disertissimis sumus monendi, nam periculum est ne mentes nostrae a poetae aberrent consilio. Firma ergo manu ille nunc totius narrationis attrahit vinculum, quique sic exorsus erat: *Consedere duces*, quod pingentis potius videtur quam narrantis, alia tabula non minus egregia praeclarum locum claudit: *mota manus procerum est* i. e. „reges, iudices, manus moverunt vel *πρὸς τὴν χειροτονίαν* vel ut tabellas sumerent et in urnam coniicerent". Hoc Ovidio dignum, hoc ipso flagitatur argumento. Et ne quis putet plurali hic numero opus esse, quantum in hoc genere poetis sit concessum vel ex hoc versu potest cognoscere (VI, 363):

Nec satis est, ipsos etiam *pedibusque manuque*
Turbavere lacus.

(*Continuabuntur*).

---

saepe qui verba notissima affert ea per risum iocumque in suum convertit usum atque eo sensu adhibet de quo auctor ne cogitavit quidem. Nonne saepe nos aliquem „laudatorem *temporis acti*" appellamus aut nescii aut non curantes vocabula notata omni carere sensu nisi illud *se puero* accedat?

DE LAPIDE NUPER ATHENIS IN ARCE INVENTO.

SCRIPSIT

E. VAN HILLE.

(*Continuantur e pag.* 348.)

Temporis ratio, quae observatur in donariorum enumeratione inde ab anno 394, in memoriam nobis revocat huius anni inscriptionem C.I.A. II 829. Agitur in ea inscriptione de templi alicuius partibus combustis reficiendis, Köhlerus autem Erechtheum ibi dici censet, item Michaëlis, consentaneum enim esse anno 406/5, cum conflagravit *ὁ παλαιὸς νεώς*, etiam Erechtheum detrimentum accepisse. Nempe omnes viri docti, quantum video, consentiunt templum ab australi parte Erechthei situm, quod agnovit Dörpfeld, idem esse, quod Xenophon *παλαιὸν* vocet. Et licet miremur aedem post decennium demum restauratam, facilius haec mora explicari potest in Hecatompedo [1]), quod multi amoveri volebant, quam in Erechtheo, templo splendido et vixdum perfecto.

Dörpfeld igitur censet *τὸν παλαιὸν νεὼν* et *τὸν ἀρχαῖον* et *τὸ Ἑκατόμπεδον* idem esse templum. Obiecit Michaëlis voculas *ἀρχαῖον* et *παλαιόν* nequaquam synonymas esse. Sed ut Xenophon in iis voculis distinguendis diligentissimus fuerit, Hecatompedum tamen prae Erechtheo et Parthenone iure *ἀρχαῖον* vocari potuit et complures res *ἀρχαῖαι* simul sunt *παλαιαί* [2]).

1) Sic enim in posterum *τὸν παλαιὸν νεὼν* vocabo cum bona venia v. c. Körte.

2) Cf. Michaelis Arx ad cap. 26, 36, ubi *τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα* vocatur *τὸ εἴδωλον τὸ ἀπὸ τῆς ἐλαίας τὸ παλαιόν* (Athenag. leg. 17) et *παλαιὸν βρέτας* (Aesch. Eum.

Neque assentior viris doctis e verbis *κατὰ τὸ Πανδρόσειον* inscriptionis, de qua modo sermo fuit, efficientibus de Erechtheo ibi agi, in curatorum enim relatione de Erechtheo aedificando legi: *τõν κιόνον τõν ἐπὶ τõ τοίχο τõ πρὸς τõ Πανδροσείο* [1]). Nam inspecta tabula topographica apparet murum occidentalem Erechthei, qui latus minus Pandrosei tangit, *a parte* (*πρὸς* c. Gen.) *Pandrosei* situm dici, partem autem occidentalem muri septentrionalis Hecatompedi *secundum* (*κατὰ* c. Acc.) *longum latus Pandrosei*. Quamquam non ita firmum hoc est argumentum, nisi plura accedant; quapropter argumentationem Michaëlis, qui prae ceteris Dörpfeldo est adversatus, paucis comprehendam. Ut probet Erechtheum *νεὼν ἀρχαῖον* vocatum esse, ita disputat: in inscriptione modo laudata 322 Erechtheum vocari *τὸν νεὼν ἐν ᾧ τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα* [2]), longiorem hanc denominationem in ore plebis factam esse „*τὸν ἀρχαῖον νεών*", quod satis aptum visum esse nomen, Erechtheum enim loco templi antiquissimi fuisse aedificatum. Sed exempla nominis ita decurtati desidero et templum quod pro antiquo aedificatum esset *novum* potius appellari debuit. Frustra autem Michaëlis Dörpfeldo obloquitur perhibenti templum a se inventum *ἀρχαῖον* tum esse vocatum cum novi templi („Vorparthenon") construendi consilium esset initum [3]); an mira loqui videbitur, qui rogatus: „Ubinam pons novus fiet?" responderit: „Paulo infra veterem?"

Neque prosunt loci Homerici. Quorum alter (*η* 81) in remota illa tempora nos abducit, quibus templa vix existerent deique hominibus sibi praeter ceteros caris familiariter uterentur, Mars Thracibus (*θ* 361), Venus Cypriis (*θ* 363), Neptunus Aethiopibus (*α* 22), varii dii Phaeacibus (*η* 201 sqq.). Catullus illius aetatis aureae mentionem facit in carmine 64 vv. 384 sqq.

---

439). Item de non ita vetustis: Κῦρος ὁ ἀρχαῖος (Xen. Anab. I 9 § 1). Cf. porro egregia commentatio Michaelis in Jahrbuch des kaiserlich Deutschen archäologischen Instituts 1902.

1) C. I. A. I 322, Col. I 44.

2) Sc. *ἔσται*, quod optimo iure supplevit Dörpfeld hoc allato exemplo: *Ἐλευσινιακὸς λίθος πρὸς ᾧ τὰ ζῷα*, ubi nil nisi futurum suppleri potest.

3) Cur in decreto anni 506 de supplicio et publicatione bonorum civium qui cum Cleomene Eleusinem obtinuerant, voculas *παρὰ τὸν ἀρχαῖον νεὼν* e Crateri Decretorum collectione sumptas ideoque genuinas esse putet Michaëlis non intellego (cf. Mi. Arx, AA 42, Schol. Ar. Lys. 273).

Alter locus B 549, omnium consensu Pisistrati aetati attributus, Michaëli praebuit argumentum speciosum. Legimus illic Minervam Erechtheum a se educatum suo in templo collocavisse, ibique Athenienses ei sacra fecisse; una autem eademque in cella — sic Michaëlis — cum dea et heros coli non potuerint, sequitur ut templum illud duplex fuerit. Atqui sub Hecatompedo fundamenta templi antiquioris desunt: ergo non illic ὁ ἀρχαῖος νεὼς olim extitit sed eo loco, ubi nunc Erechtheum, quod et ipsum templum duplex est. Mentionem eius templi fecit Herodotus, apud quem (VIII 55) ὁ Ἐρεχθέος νηὸς est cella templi Minervae.

Libenter concedimus viro clarissimo ne Eratosthenem quidem, cum scriberet Erichthonium Minervae templum aedificasse, potuisse in animo habere Hecatompedum, tribus tantum saeculis ipso antiquiorem [1]); nedum Pisistrati aequales templum sub oculis suis conditum ad tempora epica retulerint. Sed minime concedimus ei contendenti ergo τὸν ἀρχαῖον νεὼν fuisse eo loco ubi nunc sit Erechtheum; nam sub hoc templo haud magis antiqua fundamenta sunt inventa [2]). Bases autem columnarum aevi Mycenaei, quae inter Hecatompedi fundamenta sunt inventae, fuisse τοῦ μεγάρου priscae regiae fere constat [3]). Equidem non mihi persuadeo inter regiam deletam et aetatem Pisistrati illam aream regiae desertam fuisse, et potius sumo loco sacro iam antea templum aedificatum esse. Nam signa sculpta quominus postmodo addita, templum autem ipsis multo antiquius esse credamus nihil obstat. Ac revera cultus Erechthei et Minervae tam arte sunt iuncti in Acropoli ut modo Erechtheus (Erichthonius) Minervae, modo Minerva Erichthonii cultum introduxisse dicatur. Iam vero, si verba ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ ad literam vertamus, id quod Michaëlis fecit, de duplici templo poetam loqui sumamus necesse est; at versu sequenti haec ratio refutatur, ubi Athenienses ἔνθα Erechtheum sacrificiis taurorum et agnorum conciliare dicuntur, quae sacra extra aedem, opinor, sunt facta.

1) Docuerunt hoc Wiegand et Brückner inspectis signis sculptis.

2) Neque muri Pandrosei neque loca signorum divinorum (tridentis, lacus, oleae) pro talibus sunt habenda.

3) Delineata sunt haec rudera in praefatione Arcis Michaëlis.

Habemus igitur *νηὸν* eo sensu dictum quo *τέμενος*, *templum*. Et huic rationi Herodoti locum favere puto, quem Michaëlis pro suo affert. Narrat enim Herodotus, cum Persae arcem invasissent, alios ex Atheniensibus de rupe se praecipitasse, alios in cellam (*μέγαρον*) profugisse, dein Persas sacrum (*τὸ ἱρόν*, quod Michaëlis quoque vertit per „Tempelgruppe") populatos combussisse, postridie vero Athenienses iussu Xerxis in arce suo more sacrificasse; quibus enarratis sic pergit: *ἔστι ἐν τῇ ἀκροπόλι ταύτῃ Ἐρεχθέος τοῦ γηγενέος λεγομένου εἶναι νηός, ἐν τῷ ἐλαίη τε καὶ θάλασσα ἔνι.* Quodsi *ὁ Ἐρεχθέος νηὸς* templi Minervae pars fuisset, puto Herodotum dicturum fuisse: *ἔστι ἐν τῷ νηῷ τῷ τῆς Ἀθηναίης Ἐρεχθέος μέγαρον* vel tale quid. Praeterea Herodotus dicit *ἐν τῷ νηῷ* et oleam et lacum fuisse, de quibus verbis Michaëlis sic disputat: „ob für den Ölbaum ein oben offenes Gemach oder ein Vorhof anzunehmen sei, lasse ich dahingestellt sein, in letzterem Sinne würde *νηός* nur in wenig erweitertem Sinne zu fassen sein." Eiusdem igitur criminis reus est, cuius accusat Furtwänglerum; hunc enim voce *νηός* in *σηκός* [1]) mutata nodum non solvisse sed dissecuisse ait.

Equidem sic mihi rem informo:

apud Herodotum *τὸ ἱρόν* aut arx est ipsa aut area sacra, in qua templum Minervae, Erechtheum, Pandroseum, Cecropeum, arae, donaria insunt, muro ligneo incendio opportuno cincta;

τὸ μέγαρον (*τὸ πρὸς ἕω τετραμμένον*) est cella templi Minervae, ubi signum Minervae erat, in quam necesse erat supplices confugere;

ὁ Ἐρεχθέος νηός est templum, in quo lacus, cum vestibulo vel subdiali, in quo olea.

Si vero eo loco, quo nunc Erechtheum aspicimus, fanum perantiquum Minervae stetisset, non ad annum 420 opinor Athenienses huius fani renovationem dilaturi erant. Nam Pericles id ipsum agebat ut pro Hecatompedo novum templum conderet; monumenta autem lacus, tridentis, oleae in novo templo locum suum invenire debebant.

---

1) Posteriores, pergit Michaëlis, ut Dionysius Halicarnassensis, Erechtheum *σηκόν* appellare possunt, nam ii *σηκόν* habent pro fano herois, „wie das Erechtheion einer (scil. Heroentempel) war." Quod parum accurate dictum est, nam secundum ipsum Michaëlem pars templi erat, sive cella templi heroi dedicata.

Redimus ad relationem curatorum templo aedificando, ubi Erechtheum vocatur *νεώς*, *ἐν ᾧ τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα*, quod *τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα* sive *ἡ πολιάς* sive *τὸ ξόανον* in eo erat collocandum. Ubi autem erat illud signum tum cum aedificatum est templum? „In Hecatompedo", Dörpfeld aït, additque simulacrum ibidem remansisse. At credibile non est, cum reliqua pars templi novi cultui Erechthei et monumentis divinis esset dedicata, vacuam relictam esse cellam orientalem, imprimis sacram, ad signum sanctissimum recipiendum destinatam, unde ipsum templi nomen pridem ductum esset. Neque vereor ne contendat quispiam postmodo Erechtheum dictum esse, quod signum illuc non esset translatum; nam in hoc nomine prisci aevi famam nos tenere testantur Herodoti verba. Unus Dörpfeldi opinioni favet Strabo (IX p. 396) referens simulacrum et candelabrum Callimachi *ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ* fuisse; sed memoria quin Strabo lapsus fuerit non dubito, praesertim cum aliae causae, de quibus infra, accedant. Confitendum autem est admirationem movere simulacrum ligneum ex Hecatompedo in Erechtheum translatum. Nam sine dubio e Periclis consiliis novo templo absoluto Hecatompedum amotum esset, ni sacerdotes traditionum veterum amantes obstitissent; praeterea Erechtheum in fundamenta porticus Hecatompedi imponebatur: antiquo autem simulacro in novum templum transferundo vires addebantur aemulo (cf. p. 433). Ad hanc quaestionem solvendam utilis fortasse est nostra inscriptio, in qua inter res sacras *ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ* asservatas commemorantur haecce ornamenta et insignia simulacri cuiusdam, quae ad antiquum *ξόανον* pertinere non possunt: *taenia*, [quam dea] habet, *inaures*, quas dea habet, *limbus*, quem ad collum habet, quinque *monilia*, *noctua* aurea, *aegis* aurea, *gorgoneum*, *patera*, quam in manu habet.

In Iahni commentatione de antiquissimis Minervae simulacris Atticis, tabula I, delineatum est vas nigris figuris ornatum [1]). Hic videmus, ut Iahni verbis utar: „in sella plicatili, quales exhibere solent picturae vasculariae huius generis, feminam adsidentem pedibusque scabello innixam, quae ... longa tunica superiniecto pallio vestita est et caput taenia cinctum habet. Quaenam sit nemini dubium esse potest, nam dextra quidem

1) Item apud Gerhardum Auserl. Vasenbilder tab. 242.

pateram protendit, sinistra vero elata galeam tenet, humero eius sinistro applicata est longa cuspis, ante pedes ingens serpens conspicitur." Egregie igitur congruunt vas illud et noster lapis; nam licet in imagine desit *noctua* et in inscriptione frustra requiramus *hastam* et *galeam* et *serpentem*, utrobique adsunt *patera* et *taenia*, res magni momenti; etiam *inaures* et *limbum* agnoscere nobis videmur, et in statua, quam Iahnus in eadem tabula exhibet sub numeris 1 et 2 [1]) et cum imagine vascularia confert, conspicitur „*aegis*, quae pallioli instar collum et humeros atque pectus tegit .... et in media aegide clupeus altius globatus observatur, cui quin *Gorgonis caput* aereum insertum fuerit, cum in summo margine foramen supersit, non potest dubitari".

Eadem pictura praeter feminam sacerdotem exhibet: „porticus doricis columnis innixae partem .... pone quam ara posita est, magna effulgente flamma; post aram bovis magni basi ut videtur cuidam impositi pars anterior apparet." Iahnus Arcis Athenarum aliquod signum repraesentari ratus porticum Erechthei intellegebat, cuius aedificii ordinem ionicum sententiae suae non obstare existimabat, idque optimo iure, cum praesertim minime constet Erechtheum vetus ordine ionico fuisse extructum. Sed quoniam doricum templum in Acropoli cognovimus hodie et deae quae in vasculo illo depicta est magna est similitudo cum dea in inscriptione nostra commemorata, cogimur quodammodo considerare, fierine possit ut pictor vasis templum vetus Minervae depingere voluerit.

Non assentior Iahno his verbis neganti bovem (sitne taurus non apparet) ad sacrificium pertinere: „ubi enim sacrificia repraesentantur, animalia, quae mactanda sunt, plerumque ad aram adducuntur vel in eo sunt ut iugulentur, sive sacerdotes vel ministri, sive daemones quidam hoc officio funguntur .... in nostra vero pictura taurum videmus tranquille adstantem, nemine praesente, qui vel adducat vel teneat vel occisurus sit, neque infulae neque coronae additae sunt, quibus indicetur bovem ad sacrificium paratum esse. Accedit, quod taurus iste

---

1) Cf. in primis: Lebas, voy. mon. fig. 2. 1; et Scharfius, mus. of class. ant. I p. 190 sqq.

non eidem solo insistere videtur, in quo ara posita est, sed propriam quandam quasi basin occupare."

Nempe taurum aheneum ab Areopagitis dedicatum hic repraesentari putat, a pictore autem audacius ab Arcis altera parte ad Erechtheum translatum esse, deam denique Endoei signum repraesentare, quod Pausania teste prope Erechtheum locum habebat.

Sed fateor admodum debilia mihi videri eius argumenta.

Ni fallor femina sacerdos in eo est ut bovem ramis suis exornet, cuius bovis cum anterior tantum pars appareat, nihil obstat quominus suspicemur a ministris ad aram eum agi. Basis autem arae si quid commune habet cum gradibus templi, sumere licet pictorem bovem pingere voluisse in altero gradu astantem, nescio quo errore humiliore depicto; sin minus — nam res est dubia — hoc tenendum est in ipsa arae basi bovem astare, sive artifex suo iure illi basi alterum tribuit gradum priore multo humiliorem, sive lineam uni gradui appingendo cavit ne nimis longa fierent crura bovis. Utut hoc est, credibile non videtur pictorem taurum Areopagiticum depinxisse in basi arae astantem.

Dein Endoei signum Iahni vase non repraesentari inde apparet quod dea dextra manu pateram porrigens sacrificio interesse et favere videtur. Ideo dubitari nequit, quin imaginem teneamus simulacri cultui dedicati (Cultbild). Endoei autem signum votivum erat a cultu alienum. Quoniam sacrificia boum extra templa fiebant, pictores autem deam sacrificio gaudentem repraesentare volentes non verebantur dei simulacrum, quod in templo est, extra templum sacrificio astans vel assidens depingere, hic simulacrum templi veteris Minervae nos tenere puto et imagine propter similitudinem cum dea inscriptionis nostrae argumenti instar utor pro opinione mea: *τὸν ἀρχαῖον νεὼν* eundem esse ac Hecatompedum et templum vetus Minervae.

Etenim sive cum Iahno nobis Poliadem armatam Palladio similem fingimus sive cum Furtwänglero [1]) sedentem inermem innumeris illis simulacris votivis similem, quae e terra cocta facta in Acropoli inventa sunt, neque dea inscriptionis neque

1) Roscher, Athene, p. 684 sqq.

dea imaginis propter varia attributa ipsa perantiqua Polias esse potest ideoque vasis porticus cum Erechthei, τοῦ νεὼ ἐν ᾧ τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα, commune habet nihil. Praeterea cum patera in inscriptione distincte commemoretur, potius Benndorfum secutus Minervae Victoriae abnegare velim imaginem quam cum Furtwänglero attribuere.

Sic igitur mihi rem repraesento: In templo vetere, ubi initio antiqua Polias asservabatur, postquam novum simulacrum, quod in inscriptione nostra memoratur, est collocatum, quandocunque hoc factum est, Polias antiqua paulatim nonnisi secundum locum obtinere coepit. Ideo sacerdotes aliique, qui splendidis aedibus extruendis saepe restiterant, tandem novi Erechthei q. v. f. aedificandi consilium approbaverunt, quod in novo templo cum signa antiqua: olea, lacus, tridens colerentur, tum cella primaria antiquae Poliadi dedicaretur. Ita, ni fallor, ab omni parte verisimile est τὸν ἀρχαῖον νεὼν esse templum vetus Dörpfeldi.

Accedit, quod de ceteris rebus, quas Pausanias in Erechtheo fuisse dicit: candelabro Callimachi, sella plicatili Daedali, Masistii lorica, Mardonii acinace, altum in inscriptione obtinet silentium. Hinc concludo τὸν ἀρχαῖον νεὼν fuisse Hecatompedum et Erechthei donariorum curam quaestoribus Minervae non fuisse mandatam. Una res memorabilis manet: versu 95 legimus: ἀπορραντήριον χρυσοῦν, ὃ ὁ ἀνδριὰς ἔχει. Cuius fuit hic ἀνδριάς? Idem ac τὴν θεόν denotare hanc voculam vix credo. Potius crediderim eam fuisse statuam (Bildsäule), cui labrum in manus datum esset in usum sacratum.

De postica parte Hecatompedi hucusque tacui, sed etiam de huius partis usu et honore magna est controversia, cohaerens cum quaestione, ubi fuerit ὁ Ὀπισθόδομος qui dicitur apud auctores et in traditionibus.

Omnes, ni fallor, viri docti consentiunt anno fere 450, cum sociorum tributa Delo Athenas translata sunt, in arce locum unum ad capiendas pecunias illas idoneum fuisse Hecatompedi partem posticam, quae habebat vestibulum, atrium, duo cubicula, πρόνεων, μέγαρον, δύο οἰκήματα. Dörpfeld, quem sequor, arbitratur hanc templi partem denotari voce Ὀπισθοδόμῳ sic nude posita et Herodoteo illo τῷ μεγάρῳ τῷ πρὸς ἑσπέρην τετραμ-

μένῳ. Illa autem vox non invenitur commemorata ante annum 435, cuius anni decretum superest de novo collegio quaestorum reliquorum deorum, ubi legimus: *οὗτοι δὲ ταμιευόντον ἐμπόλει ἐν τõι Ὀπισθοδόμοι τὰ τõν θεõν χρέματα .... καὶ συνανοιγόντον καὶ συγκλειόντον τὰς θύρας τõ Ὀπισθοδόμο καὶ συσσεμαινόσθον τοῖς τõν τε̃ς Ἀθεναίας ταμίαις* [1]). Michaëlis inde, quod post absolutum demum Parthenonem *ὁ Ὀπισθόδομος* commemoretur, nomen illud non Hecatompedi sed Parthenonis posticum denotasse putat. At quis credat in novo templo Minervae consecrato statim collegio quaestorum et donariis alienis locum esse concessum! In Hecatompedi autem postico erat Symmachiae aerarium et donaria Minervae asservabantur et locus opinor supererat ad reliquorum quoque deorum donaria capienda.

Lehnerus in libro suo iam saepius laudato statuit traditiones quinquennales quaestorum Minervae durasse ad Ol. 93. 2 (407/6). Dein creatum est collegium quaestorum Minervae et reliquorum deorum, quod quotannis tres tabulas promulgabat continentes res sacras

1) *ἐν τῷ νεῴ τῷ Ἑκατομπέδῳ* sive in Cella centumpedali Parthenonis q. v. f.,
2) *ἐκ τοῦ Παρθενῶνος* sive ex atrio occidentali Parthenonis q. v. f. in Cellam centumpedalem translatas,
3) *ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου* sive e Postico in Cellam centumpedalem Parthenonis q. v. f. translatas.

Posticum illud in traditionibus quinquennalibus non commemoratur; at Parthenonis si fuisset illud posticum, quidni quaestores Minervae etiam donariorum ibi conservatorum curam habuissent?

Rationem trium tabularum annis 399/8 (Ol. 95. 2) et 395/4 (Ol. 96. 2) etiam obtinuisse apparet e C.I.A. II 645, IV II 645 b, II 655, quae sola sunt documenta eius rationis. In tanta autem monumentorum inopia certi quid statuere non licet, sed veri videtur simile anno 406, quo duo collegia in unum sunt redacta et res sacrae *τοῦ πρόνεω* Hellenotamiis servandae sunt datae, res sacras *τὰς ἐν τῷ Παρθενῶνι* et *τὰς ἐν τῷ Ὀπισθοδόμῳ*

1) C.I.A. I 32. 15.

partim saltem in Cellam centumpedalem Parthenonis translatas. Collegium quotannis ternas distinctas tabulas promulgabat usque ad 385.

Conemur iam causas harum mutationum indagare.

Exeunte bello Peloponnesiaco, cum Victoriae conflatae sunt et alia multa donaria perierunt, unum collegium curae omnium donariorum sufficere videbatur. Cum res sacrae ex atrio occidentali Parthenonis eodem tempore in cellam orientalem transportatae eam non complerent et eodem anno 406 Hecatompedum incendio vexatum esset, etiam donaria quae in Hecatompedi Postico erant illuc translata sunt, certe ea, quae ex aere vel ligno facta minore erant pretio, quam ut in usum belli adhiberentur.

Non sequor Michaëlem negantem e rebus ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου ullam ante 404 in Postico fuisse, nullam enim in traditionibus eius aetatis commemorari. Nam quae anno 399 ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου oriunda esse dicuntur, ante 399 aut secundum coniecturam nostram ante 406 ἐν τῷ Ὀπισθοδόμῳ fuisse debent. Itaque apparet Dörpfeldum verum vidisse; nam cum aerarium in Postico Hecatompedi asservatum Hellenotamiis fuerit mandatum, sequitur ut etiam donaria Minervae, quae quaqua de causa anno 435 in Parthenonem non essent translata, in eorum tutela fuerint, ea quidem condicione ut quaestores Minervae et reliquorum deorum, qui et ipsi res sacras in Postico habebant, fores Postici clauderent. Quod quamvis mirum sit, sic demum intellegitur cur τοῦ Ὀπισθοδόμου in traditionibus saeculi quinti non fiat mentio.

Anno 406, ut vidimus, quaestoribus Minervae sua sunt reddita, anno autem 385, cum collegium quaestorum denuo bifariam divisum esset, omnes res locorum nominibus neglectis promiscue significari sunt coeptae, ut apparet C.I.A. II 673, 675, 676, ubi Lehnerus (p. 45) res e variis locis confusas enumerari vidit. Quas inscriptiones si comparamus cum nostra, nonnisi in 673 (nempe vs. 28, sed vel id incertum) et in 675 (vv. 19? 22, 23) occurrunt res, quae in nostra inscriptione sub titulo ἐκ τοῦ Παρθενῶνος inveniantur. In 676 autem rebus Cellae centumpedalis inmixta invenimus sedilia quae in lapide nostro deprehendimus (p. 345). Itaque opinio Lehneri sic videtur emendanda. Post 385 quaestores Minervae donaria promiscue enumeraverunt; mox autem nova divisione instituta, res, quae saeculo V in

atrio occidentali Parthenonis fuerant, distincte enumerarunt sub titulo ἐκ τοῦ Παρθενῶνος (qua in re hoc tantum vitium commiserunt, ut sellas supra memoratas perperam in catalogo Cellae centumpedalis relinquerent), quas autem e Postico petiverant, inter res Cellae centumpedalis manere siverunt. Quando autem res ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῴ eorum curis sint mandatae, in documentorum inopia dici nequit. Suspicari tantum possumus ante 395 pretiosa illa tam parvi fuisse momenti ut femina sacerdos ad ea custodienda sufficeret, ac postea post restaurationem increscentibus donis ea quoque quaestoribus Minervae esse tradita.

Ut ad Posticum illud redeamus, quaestio oritur: cur titulus ἐκ τοῦ Ὀπισθοδόμου non sit restitutus, ut ἐκ τοῦ Παρθενῶνος? Est haec anomalia, sed quae possit excusari; nam donaria non magni erant momenti et inde ab anno fere 385 Posticum ad alium usum fuit destinatum; confusio ut vitaretur, satius iam videbatur in Minervae traditionibus nullam Postici mentionem fieri. Invenimus enim in catalogis qui tunc cum unum collegium fuit sunt confecti [1]), in fine traditionum rerum in Cella centumpedali asservatarum, seriem rerum sacrarum, quae inscripta est: ἐν τῷ Ὀπισθοδόμῳ ἐκ τῆς κιβωτοῦ τῆς Βραυρωνόθεν, observavit autem Lehnerus post annum 385 easdem res inveniri in traditionibus reliquorum deorum; patet igitur, cum sine titulo illo additae sint, omnium deorum res sacras in uno cubiculo esse asservatas post restitutionem collegii quaestorum reliquorum deorum. Anno autem 435 Posticum ad res sacras cum Minervae tum reliquorum deorum destinatum est, postea vero priores inde sunt remotae, denique Posticum semper aerarium Symmachiae continuit: sequitur, ut inde ab anno 385 [2]) res sacras reliquorum deorum et aerarium Symmachiae continuerit [3]). Ita

1) V. c. 652, 660, 661; cf. Lehneri l.l. p. 75.

2) Quem annum bene convenire cum Arist. Plut. 1191 iam saepius viri docti animadverterunt.

3) Ut hoc in transitu dicam: non assentior Lehnero dicenti p. 79 in inscriptione C.I.A. 758 A Col. II 7 sqq. voces τάδ' ἐκ τοῦ ἀρχαίου νεὼ παρέδωκεν ἡ ἱέρεια τοῖς ἐπιστάταις τοῖς ἐπὶ Θουδήμου ἄρχοντος εἰς τὸν Παρθενῶνα ad antiquum templum Dianae in pago Braurone esse trahendas, primum quod ὁ ἀρχαῖος νεώς templum Minervae κατ' ἐξοχήν erat, dein quod absurdum videtur sacerdotem *Dianae* aliquid dare curatoribus in *Parthenonem* transferendum; sic etiam C.I.A. II 751 B Col. IId 19 ad Minerva antiquum templum traho.

fere Lehnerus, recte, ni fallor; qua re etiam magis doleo virum doctissimum quaestionem de Postico non esse aggressum. Cum tamen ex inscriptione nostra appareat Hecatompedum sive τὸν ἀρχαῖον νεὼν etiam post annum 368 extitisse, puto Dörpfeldi thesin: Opisthodomum revera Hecatompedi Posticum denotare apud plures fidem inventuram esse.

Unum est quod addam, me nequaquam facere cum Dörpfeldo dicenti incendium Postici a Demosthene (24 § 136) commemoratum idem esse atque ignem quo templum Vetus anno 406 arsit teste Xenophonte; nam voculae ἀλλὰ μετ' Εὐκλείδην ἄρχοντα (§ 134) omnino ad § 136 sunt trahendae. Praeterea id incendium post annum 385 esse factum apparet, cum de duobus collegiis loquatur Demosthenes. Quando autem factum sit, nescitur, sed fortasse non temere suspicor Androtionis quaesturam cum hoc incendio esse iungendam. Vidimus enim donarium ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῷ esse στέφανον χρυσοῦν ὃν Κόν[ων] ἀνέθηκεν, temporis autem ratione habita non est quod dubitemus illam coronam eam esse quam commemoravit Demosthenes 24 § 180 [1]); itaque sequitur [2]) ut Androtion post annum 368, ac si qua fides reliquiis exiguis inscriptionis 677, post annum 367 quaestor fuerit. Dubitare igitur licet an Demosthenes, causarum patronus inter paucos callidus, studio Androtionis restituendi donaria fracta incendio (nam Postici incendio et ipsam cellam detrimentum accepisse verisimile est) abusus sit ad convicia a re aliena facienda.

ADDENDA.

Ita expositis, quae dicere habebam, paucis tantum ad Michaëlis commentationem supra laudatam redeo. Meam argumentationem qualemcunque multis locis a Michaële allatis ornare potui, sed nolui; operae pretium autem est videre, numquid

1) Cf. Michaëlis in Arce A.A. 142, ubi minus tantum intellego unde vir doctus verba „in Parthenone" sumpserit.

2) Versu 106 post ὃν vestigia literae X conspicere mihi visus sum, sed incertiora erant, quam ut scribere auderem Χαβρίας, cuius corona a Demosthene itidem memoratur.

tractandum supersit. Ita venimus ad inscriptionem de Hecatompedo q. v. f. [1]). Omnes explicationes a viris doctis propositae mihi displicent, neque mihi contigit ut reperirem meliorem. Persuasum autem mihi est vs. 9 *ἐκ τõ νεὸ καὶ τõ προνεὶο καὶ τõ βομõ* unice verum esse, nam haec tantum verba consecutionem rectam locorum praebent. *Τõ πρὸς ἕο μεγάλο βομõ* in lectione Michaëlis ideo displicet, quod et voculae *πρὸς ἕω* supervacaneae sunt; nam aram magnam alteri opponi opus non est, et secundum opinionem Michaëlis, qui *τὸν νεὼν* pro Erechtheo sumit, additamentum *πρὸς ἕω* vitiosum est. Stercus colligere *ἀνὰ πᾶν τὸ Ἑκατόμπεδον* vereor ut dici possit, cum non sit area, ut putat Körte, sed templum. Praeterea, utut argumentatur, in Michaëlis lectione *πᾶν* in *πᾶν τὸ Ἑκατόμπεδον* haud recte explicatur; hoc tantum fieri potest si *νεών* per Cellam explicemus cum Dörpfeldo, neque obstare videtur vox *ἐμπόλει* (vs. 1) collato loco Herodoteo, ubi *τὸ μέγαρον* commemoratur. Denique una litera *κ* sitne *κεκροπίο* vel *κύκλο* legenda pro certo nequit statui.

Non negaverim Pericli consilium fuisse post Erechtheum perfectum Hecatompedum demoliendi, sed, ut saepius observavit Dörpfeldus, non est obliviscendum studium illud aedificandi nequaquam permovisse sacerdotes aut cives priscorum amantes ut aedificia sibi cara reformatoribus illis permitterent. Omnino autem temerarium est concludere post Parthenonem perfectum aerarium sociorum in Parthenonem esse translatum.

Denique *Ὀπισθόδομος* vox significat Posticum, partem posteriorem templi vel aedificii. Atrium Parthenonis cum vestibulo occidentali *Ὀπισθόδομον* appellari posse, ut apud Plutarchum (Demetr. 23), nemo negaverit, sed eodem modo Hecatompedi totam partem occidentalem, sive *τὰ δύο οἰκήματα, τὸ μέγαρον μετὰ τοῦ πρόνεω αὐτοῦ*, recte appellabimus *Ὀπισθόδομον*. Neque ulla est causa, cur credamus nomen *Ὀπισθόδομον* aetate Herodoti non extitisse, quod dicat *τὸ μέγαρον τὸ πρὸς ἑσπέρην τετραμμένον*, quod signicat Cellam occidentalem cum vel sine vestibulo occidentali, quem legitimum eius exitum fuisse quis neget, oppositum Cellae deae, *τῷ μεγάρῳ κατ' ἐξοχήν*. Neque

1) Die Hecatompedoninschrift C.I.A. IV 1. 18, 19.

vero repugnem si quis τὸ μέγαρον τὸ πρὸς ἑσπέρην τετραμμένον intellegat Cellam occidentalem cum vel sine conclavibus (οἰκήμασι), quae conclavia nihil nisi appendices Cellae sint. Ubi autem sermo est de rebus administrandis vel conservandis ἐν τῷ ἐπὶ δεξιά et ἐν τῷ ἐπ' ἀριστερὰ τοῦ 'Οπισθοδόμου [1]), non possum non cogitare de conclavibus illis thesauris peridoneis, quae erant in Hecatompedo vel, quod idem esse puto, ἐν τῷ ἀρχαίῳ νεῴ.

Hisce perscriptis cognovi recentissimam Dörpfeldi de Erechtheo disquisitionem [2]). Demonstrat vir doctus Erechtheum, quod nunc habemus, tantum esse partem aedificii, quale Pericles eiusque artifices aedificare voluerant; hac ratione anomalias architectonicas, quae viros harum rerum peritos multum vexaverunt, omnes explicari additisque Cella Neptuni et Postico symmetriam inveniri, quam aegre desiderabamus.

Templum autem vetus nisi ad finem perducto Erechtheo supervacaneum non fuisse apparet, itaque suo iure vir sagacissimus scripsit: „Was ich früher aus dem Bau selbst und der literarischen Überlieferung ermittelt hatte, wird jetzt in allen Hauptpunkten bestätigt. Besonders erhält jetzt mein so viel bekämpfter Nachweis der Fortexistenz des alten Athena-Tempels neben dem Erechtheion und des Verbleibens des alten Kultbildes in der Ostcella des Hekatompedon eine neue wertvolle Stütze."

Quamquam ultima verba minus recta esse puto, inscriptionem enim nostram contrarium testari. Et consentaneum videtur in Cellam orientalem novi templi antiquam Poliadem esse translatam, cum praesertim in templo vetere alia effigies, ut ex inscriptione didicimus, praesto esset, quam ipsam Poliadem fuisse perhibenti Dörpfeldo credere non potui. Polias autem quali figura fuerit fortasse aliquando sciemus, nunc suspicari tantum possumus; equidem rem identidem perpendens in Iahni magis quam in Furtwängleri opinionem pronus fio. Hic enim quae disputavit de parvis figuris e terra cocta factis, quamvis speciosa, nil probant, neque verba, quibus argumentis Iahni de vasis pan-

1) C.I.A. I 32.
2) Ath. Mitt. 1904, pp. 101—107, Der ursprüngliche Plan des Erechtheion.

athenaicis et de locis poetarum respondet, mihi persuaserunt; immo quod perhibet poetas Poliadem memorantes non accurate eam descripsisse, „was um so mehr geschehen konnte als jenes heiligste Bild gewiss nicht immer offen zu sehen war," omnino reïciendum arbitror. Probabilia vero scripsisse mihi videntur Friederichs-Wolters sub numero 444 de Palladis simulacro quod nunc in museo Dresdensi asservatur: „Wir besitzen in dieser Statue die Nachahmung eines altertümlichen Götterbildes, wie man vermutet hat der Athena Polias, die im Erechtheion zu Athen verehrt wurde. Ihr wurde alljährig ein Gewand dargebracht, in welches der Kampf der Götter mit den Giganten hineingewebt war; der Torso zeigt, wie wir uns dasselbe etwa denken können." Nam licet etiam Phidiae simulacrum Virginis tali peplo fuerit indutum, „archaïsticum" illud testatur aliud signum exemplo fuisse artifici qui Palladem Dresdensem fecit, propter peplum autem de Poliade cogitare mihi absurdum non videtur. Ac rogare velim utrum deam urbis protectricem inermem an potius armatam cogitare debeamus. Hoc signum et habitu et ornamentis Minervae templi Aeginetici simile est.

Sed ut iam supra dixi, etiamsi Furtwänglerum secuti nobis Poliadem informemus sedentem, inermem, manibus genibus innixis, deam cuius in inscriptione nostra fit mentio non esse Poliadem certum est. Nuper Berolini figurarum illarum e terra cocta specimina varia aspicere potui, etiam talia, quibus, ut Furtwängleri verbis utar, „eine Aigis auf die Brust gemalt oder ein hoher Helmkamm aufgesetzt war;" sed ne talis quidem signi manus patera ornari potuisse mihi videtur, quod in signo currenti vel stanti et armato prorsus absurdum est.

Itaque ad verba inscriptionis illustranda aut Iahni illa imago vascularia videtur conferenda aut — nam rem minime constare fateor — statuae astantes manu altera vestem tenente, altera porrecta, quae in Acropoli inter rudera e temporibus Persicis sunt inventae. De priscae certe artis signo cogitandum arbitror propter ornamenta pretiosa, quae in simulacro chryselephantino non potuerunt offendere, temporibus classicis quae dicuntur rara fuerunt [1]).

1) Friederichs-Wolters sub numero 474.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex pag.* 94).

XCI.

AD SEXTAM ISAEI.

Sexta Isaei impeditum habet intellectum quum ob alia multa, tum vero praecipue, quia sic videtur causa agi (cf. § 11), quasi potuerit Euctemo, quum esset ei nupta Mixiadis filia, ex alia uxore iustos filios procreare. Etenim quum doceant Androcles et Antidorus, Euctemonis cognati [1]), Euctemoni iustos filios genitos ex Callippe, ipsius pupilla [2]), non hoc respondet orator: iustos filios procreari non potuisse, nisi ex ea quae genitori eorum iure nupsisset, nec posse quam iure nubere uxorem habenti; sed respondet: filios, qui dicantur iusti, nec patre Euctemone nec Callippe matre, sed ex Dione quodam libertino et ex Alce veteri prostibulo in lupanari natos esse. Ergo concedere videtur, potuisse Callippen iustos filios parere Euctemoni durante adhuc priore [3]) cum Mixiadis filia matrimonio. Supervixisse enim marito Mixiadis filiam constat, perseverasse autem

1) De Androcle certa res est (§ 55).

2) § 13: ἐξ ἐπιτροπευομένης.

3) Priorem nupsisse Mixiadis filiam Euctemoni, inde colligitur, quod ex ipsa natus Philoctemo saepe iam ἐτριηράρχησε (§ 5) et in ipsa trierarchia mortem obiit (§ 27), quum Callippes sive is fuit Alces filius natu maior vixdum pubuerat (§ 14).

eam Euctemoni nuptam, etsi nominatim non exprimitur, bis tamen perspicue indicatur, ubi traditur *ἐπὶ γήρως* (§ 17) Euctemona apud Alcen consedisse, *καταλιπ(όντα) καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας καὶ τὴν οἰκίαν ἣν ᾤκει* (§ 21) et ubi traditur venisse ad exsequias eius cum filiabus uxorem et post controversiam fuisse admissam (§ 40). Nec tantum de Callippe concedere videtur orator, potuisse ex ea Euctemona, quum domi essset uxor, iustos liberos procreare, sed etiam ultro docet postea rursus Euctemona duxisse alteram uxorem (§ 22 *ἐγγυᾶται γυναῖκα*), quasi ne nunc quidem obstiterit prius matrimonium. Iustum scilicet posterius fuisse eo demonstratur, quod a prioris uxoris filio redemptum est (§ 23, 24). Difficultatem sic solvit Lipsius [1]: antequam alteram uxorem duxerit, repudiasse Euctemona Mixiadis filiam, deinde reduxisse eam sibi in matrimonium, illa altera uxore dimissa [2]. Non movetur eo, quod sic loquitur orator, quasi inter Euctemona et Mixiadis filiam divortium numquam intercesserit; nam pro clientis utilitate dissimulasse eum, quod aperte negare non poterat, divortium [3]), quum futurum speraret, ut ea ratione opinio iudicum animis insideret, post primas taedas Euctemona caelibem numquam fuisse, proinde non potuisse eum praeterquam ex Mixiadis filia iustos filios procreare. Est quidem quidvis potius admittendum, quam dicendum licuisse civi Atheniensi duas uxores simul habere [4]), attamen ante videndum, quid orator adferat, quam extrinsecus nodus solvendus. Atqui neglexisse videntur omnes, qui hanc causam tractaverunt hactenus, magnopere nisos Androclem Antidorumque, ut viderentur Callippes, ut ipsi dicebant, filii procreati *ἐξ ἐπιτροπευομένης* (§ 13), diversam partem: (*ὅτι οὐκέτι*) *ἐπιτροπεύεσθαι προσῆκε* [5]) *τὴν Καλλίππην* eo tempore, quo peperisse diceretur,

1) *Der attische Prozess* p. 502 (not. 64). Praeiverat Luzac.

2) Dimissam constat (§ 24).

3) „*Das Schweigen des Redners über dies Verhältniss ..... wird ..... ausreichend durch das Interesse der von ihm vertretenen Sache motivirt.*"

4) Cf. Herod. II § 92: *γυναικὶ μιῇ ἕκαστος αὐτῶν συνοικέει, κατάπερ Ἕλληνες*. Potest quidem *δύ' οἰκίας* (*τις ο*)*ἰκεῖ*(*ν*) (Demosth. XXXIX § 26), sed erit altera uxoris altera concubinae. Cf. Andoc. I § 124.

5) Itaque poterat iure ipso *ἐπιτροπεύεσθαι* etiam maior femina (*τριακοντοῦτις*). Non ex fide locum interpretati sunt Meier et Schoemann, *Att. Proz.* p. 452 (Lipsius p. 561), Beauchet, *Droit privé de la républ. Athén.* II (1897) p. 329², et horum exemplo Dareste, *les plaidoyers d'Isée* (1898) p. 126.

τριακοντοῦτίν γε οὖσαν (§ 14). Ergo vicissent Androcles et Antidorus, modo constitisset novos filios ex Euctemone et Callippe natos tunc, quum esset ea Euctemonis pupilla. Et quidni potuit Athenis lex fuisse, ut ex tutore et pupilla omnimodo iusti liberi nascerentur? Cogitandum est praeterea, si hoc placeat, simul intelligi, quod nondum intellectum est [1]), cur debuerit Mantias Plangonis filios agnoscere, quum iurasset ea ipso deferente, ἦ μὴν τοὺς παῖδας ἐξ αὐτοῦ γεγονέναι (Demosth. XL § 10); fuerat scilicet Plango Mantiae pupilla [2]). Quod dissimulat quidem Mantiae ex iusta uxore filius, sed pellucet res, ubi docet contendere adversarios, ὡς δημευθείσης τῆς Παμφίλου οὐσίας [3]), ὃς ἦν πατὴρ τῆς Πλαγγόνος, τὰ περιγενόμενα χρήματα ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς ἔλαβεν ἐκ τοῦ βουλευτηρίου (§ 20). Ergo haud magis in causa Callippes, quam Plangonis, antecedens divortium requirendum est; quod autem ad illam alteram uxorem pertinet, quam post Euctemo duxit (§ 22), parum refert utrum statuamus priori uxori repudium esse missum, an Athenis visum, quod Romae certe multis placuit [4]): *novis nuptiis fieri cum superiore* uxore *divortium* [5]). Erat certe Euctemonis novorum filiorum causa infirma, ea de re, opinor, quod mater, quae dicebatur, mortua erat (§ 64, 65), antequam agnoscerentur, ipsi autem apud Alcen, turpem personam, plerumque delituerant; et impetraverat quidem Euctemo a Philoctemone ex iusta uxore filio pro pretio repudii, quod missurus esset illi alteri uxori, quam

---

1) Cf. Lipsius, *Att. Proz.* p. 530/1.

2) Quodsi uxor fuisset (cf. Lipsius, not. 139), non intelligeretur, cur ab ipsa iusiurandum exactum sit. Nam parum est probabile, apud Athenienses fallere regulam, qua *pater is est, quem nuptiae demonstrant.* Ne Andocides quidem (I § 126) eo pertinet, videtur enim ibi pater haud filium magis quam matrimonium abiurare (cf. § 124: τὴν μητέρα .... ἔλαβε. *Uxorem* supplent Meier et Schoemann, *Att. Proz.* p. 429, *concubinam* Lipsius p. 529).

3) Non propter crimen aliquod, sed propter debita (§ 22).

4) Thal. sch. 2 (i. f.) ad Bas. 28. 3. 5.

5) Cic. de Orat. I 40 § 183. — Falso putat Girard, *Manuel* (1901) p. 159[a] secundum hanc sententiam impunita fore maritorum matrimonia, quum in ea re *factum notetur* (l. 13 § 4 D. 3 2), neque id aliter constitui possit apud eos, qui binas eiusdem eodem tempore iustas nuptias non admittunt. Erit enim necessario aut secundum matrimonium propter prius irritum aut posteriore prius solutum (Beauchet, *Droit privé de la rép. Athén.* I (1897) p. 41 ima: „*étant admise l'unité du mariage ..... la validité du second présuppose la dissolution du premier*").

postea duxerat, ut liceret sibi maiorem natu Callippes filium, sive is fuit Alces, quasi iustum εἰς τοὺς Φράτερας (εἰσάγειν) [1]), sed certa lege (ἐπὶ ῥητοῖς), id est, praeter unum agellum (χωρίον ἕν) ex hereditate ne quid is acciperet (§ 21—26). Quae pactio quomodo rata fuerit, valde quaeritur. Iubet enim lex omnes filios esse ἰσομοίρους (§ 25), quum ab intestato veniant [2]). Ergo qui poterat pactione patris cum uno filio alterius filii portio in locuplete hereditate ad unum agellum redigi vel omnino circumscribi? Docet quidem orator Euctemona, Philoctemone mortuo, etiam instar testamenti [3]) fecisse, quo pactionem illam confirmaret (§ 28), sed hic similiter quaeritur, quomodo potuerit testator iuri publico derogare. Etsi enim permissum est decernere filio maiori πρεσβεῖα [4]), certe non propterea permissum videtur [5]) minorem [6]) filium parte fraudare sua una aliqua re minima salva; aut, si putamus id quoque permissum esse, nova quaestio oritur, cur tandem Euctemo confirmaverit pactionem testamento. Ideo enim pactus erat, ut filium introduceret, quae causa in testamento cessabat filio iampridem introducto [7]). Ergo necesse est statuamus pactionem etiam ab intestato ratam fuisse [8]). Cui videbatur obstare iuris regula: ἅπαντας τοὺς γνησίους ἰσομοίρους εἶναι τῶν πατρῴων. Credit igitur Schoemann

---

1) Apparet Euctemonis phratriae non talem fuisse legem — suas enim quaeque leges habebant phratriae (Isae. III § 76, VII § 16; VIII § 18; CIA II (add.) 841*b* lin. 14) gentesque (Andoc. I § 127) — qualem habebant οἱ Κήρυκες (Andoc. I § 127): τὸν πατέρα ὀμόσαντα εἰσάγειν, vel certe etiam fuisse talem: μηδὲν ἧττον διαψηφίζεσθαι (Isae. VII § 16).

2) Cf. Beauchet, op. cit. III p. 680[1].

3) Cf. Lipsius, *Att. Proz.* p. 598 not. 305 (i. f.) (= Schulin, *das griech. Testament* p. 9 ima); Schoemann, ad Isaeum p. 338/9.

4) Demosth. XXXVI § 34. — Ergo quod legitur apud Isae. VI § 28 filio neminem ἐν διαθήκῃ γράφειν δόσιν, multo vero magis quod èt ibi legitur èt apud Demosth. XLVI § 15 testamentum nullum esse eius qui filios habeat, id iam non ita stricte observabatur, etsi initio verum fuit (Schulin, *das griech. Testament* p. 15) salvo scilicet substitutionis pupillaris iure (Demosth. XLVI § 24).

5) Lipsio utique (*Att. Proz.* p. 591/2).

6) Quin immo in proposita specie, mortuo Philoctemone, solum superstitem.

7) Ergo refellitur sententia quam tuetur van Hille (de testamentis iure Attico (1898) p. 77) testatum esse Euctemona *ut difficultates evitaret. Difficultates* enim ipsa introductio removerat.

8) Quorsum igitur testamentum? Fortasse quaedam mutari placuerat.

decreto phratorum pactionem fuisse ratam — eo enim redit [1]), si explicatio est, quod scribit [2]): *legitimationem .... hanc in phratorum album inscriptionem commodissime di(ctum iri)* — quod non est verisimile, phratorum enim ea dumtaxat potestas esse videtur, ut aut decernant ὀρθῶς καὶ προσηκόντως τὸν παῖδα (τὸν δεῖνα) εἰσάγεσθαι (Demosth. XLIII § 14) aut repellant [3]). Quamquam putat Lipsius [4]) certum *legitimationis* documentum exstare in causa filiorum Plangonis, quod ibi nomen rei positum inveniatur: ποιεῖσθαι, nec animadvertit, licet ipse locos laudet [5]), ποιεῖσθαι aliquando nihil esse aliud nisi *agnoscere*. Mihi hoc modo aenigma solvendum videtur. Adfert quidem pro puero grande praeiudicium sententia phratorum et eorum tacita confessio, qui potuerint abducendo τὸ κουρεῖον impedire, quo minus feratur sententia, nec impedierint [6]); sed non propterea auctoritatem rei iudicatae statim habet ea phratorum sententia [7]). Ergo poterat Euctemonis filius ex iusta uxore Philoctemo ἐᾶσαι εἰσαγαγεῖν, quem esse negabat fratrem (§ 23), et servare sibi contradictionem ad iudices, si non staretur pactis [8]), licet fuisset ei facilior apud phratoras [9]). Eandem ob causam Androcles Antidorusque, quum primum statuissent novis filiis hereditatem vindicare post mortem scilicet omnium Euctemonis ex iusta uxore filiorum (§ 29), ipso superstite, contenti non fuerunt praeiudicio, sed inprimis conati sunt illud testamenti instar, quod Euctemo fecerat, quo confirmaretur pactio cum Philocte-

---

1) Eodem redit explicatio Schulini (*das griech. Testament* p. 19 not. 50) *adoptionem* intelligi iubentis.

2) Ad Isaeum, p. 336. Cf. Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1884) p. 7 not. 1 (med.); Lipsius, *Att. Proz.* p. 532[141].

3) Ad rem non pertinet, quod demonstrat Beauchet, op. cit. I p. 530/1, legitimationem fieri non posse sine periurio patris. Vidit ipse, ibid. p. 534/5.

4) *Att. Proz.* p. 531 not. 140.

5) Demosth. XL § 26; Andoc. I § 124.

6) Cf. Demosth. XLIII § 14, § 82.

7) Cf. Isae. X § 8, § 15; Beauchet, *droit privé de la rép. Athén.* I p. 535 lin. 3 sqq.

8) Vidit hoc van Hille, de testamentis iure Attico p. 78: *periculum erat ..... ne filiae eorumque κύριοι mortuo Euctemone introductionem ..... illegitime factam esse perhibentes totum patrimonium ..... vindicarent.*

9) Nam apud phratoras sufficiebat ἀπάγειν τὸ κουρεῖον, quae res poterat causam dare actioni iniuriarum adversus τὸν ἀπαγαγόντα (Demosth. XLIII § 14, § 82), sicut repulsa adversus ipsos phratores (Demosth. LIX § 60).

mone, de manibus extorquere depositario [1]), quod postquam frustra fuit (§ 30-32), tunc per magistratum novos filios quodammodo [2]) εἰσποι(εῖν) τοῖς τοῦ Εὐκτήμονος υἱέσι τοῖς τετελευτηκόσιν (§ 36), quae quum altera fefellisset spes, prorsus iam desperasse videntur Androcles Antidorusque de summa re potiundi per novos filios Euctemonis hereditate; mortuo utique Euctemone, quasi nulli essent filii, Androcles [3]) iure cognati de duabus filiabus superstitibus, quarum altera maritum dudum sepeliverat, altera nupta perseverabat, alteram utram [4]) in iure petivit quasi epiclerum cum quinta hereditatis parte (§ 46: εἴληχε(ν) τῆς θυγατρὸς τοῦ Εὐκτήμονος, ὡς οὔσης ἐπικλήρου καὶ αὐτοῦ τοῦ κλήρου τοῦ Εὐκτήμονος π έ μ π τ ο υ μέρους ὡς ἐπιδίκου ὄντος). Mirantur interpretes, quid ita ex duabus epicleris alteram *quinta* pars hereditatis sequi potuerit, et sunt qui πέμπτου vocabulum audacter aut mutent [5]) aut cancellent [6]). Verum vidit iamdudum Schoemann [7]): epicleris partem fecisse liberos earum utriusque sexus, qui extitissent tempore eo, quo institueretur ἡ ἐπιδικασία, in proposita autem specie extitisse tres, id est, duos filios perseverantis in matrimonio, unam praeterea filiam viduae factae epicleri (§ 32), ergo quinque fuisse faciendas partes. Quam hoc argumento defendit opinionem: fore iniquum, si omnes res testatoris ad cognatos eant, qui epicleros vindicaverint, cum damno privignorum; sed ipse quoque orator manifesto demonstrat ab hac iniquitate legislatorem cavisse et certum ius privignis constituisse, tradit enim haud semel (§ 30, 47, 56): intestati exitum si facturus sit Euctemo, res eius perventuras ad τὰς θυγατέρας καὶ τοὺς [8]) ἐκ τούτων γεγονότας, quod non esset eventurum, nisi epiclerorum liberi matribus partem fecissent, ivissent enim omnes res ad cognatos quum fecissent ἐπιδικασίαν

---

1) Ergo videtur testamento deposito pristina cautio esse reddita. Alioquin quid attinebat reposcere testamentum manente cautione.

2) Rem explicuimus cap. LXXXIV (Mnemos. XXVIII p. 72).

3) Quidni etiam Antidorus? Fortasse uxorem is habebat nec eam repudiare voluit. Cf. Demosth. LVII § 41.

4) Utram revera petiverit, non exprimit orator.

5) Reponunt aut τοῦ aut ἐκ aut ἐπί.

6) Oppugnat πεμπτοῦ vocabulum etiam Lipsius, *Att. Proz.* p. 576 not. 261.

7) Ad Isaeum, p. 319 sq.

8) § 56: ἡμᾶς, τούς.

et liberos ab istis ex epicleris procreandos [1]). Atqui nullum effectum habuit Androclis petitio, quia interim unus privignus Chaerestratus, quasi heres scriptus ab Euctemonis filio Philoctemone, quem ante patrem mortuum supra commemoravimus, totam hereditatem petivit, atque sic Androclem exclusit, quo pertinet ipsa sexta Isaei oratio. Quamquam diu est, ex quo certant viri docti, Chaerestratum inter et Androclem utra hereditas in controversiam venerit: Philoctemonis, an patris Euctemonis, quum subscripta sit oratio *περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου*, sint nihilominus haud levia indicia actam potius esse causam Euctemonis bonorum quam Philoctemonis. Veluti, quod *λαχόντος ..... τοῦ Χαιρεστράτου κατὰ τὸν νόμον τοῦ κλήρου ....., διεμαρτύρησεν Ἀνδροκλῆς ..... μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον* (§ 3 sq.), id procedit circa Euctemonis hereditatem, cuius nunc rursus ex Callippe filium esse legitimum contendebat Androcles (§ 46), eum ut excluderet, a quo ipse esset exclusus. Ex diverso Philoctemonis hereditas, si qua erat, omnimodo *ἐπίδικος* videri debebat, *ἐπειδὴ ..... τῷ Φιλοκτήμονι ἐκ τῆς γυναικὸς ᾗ συνῴκει οὐκ ἦν παιδίον οὐδέν* (§ 5), erat sane filius adoptivus, quia *Χαιρέστρατον ἐποιήσατο υἱόν* (§ 6), non tamen pro hoc filio interponebatur testatio [2]). Ergo non miror plerisque [3]) visam esse sub nomine Philoctemonis causam agi bonorum Euctemonis, quod mihi quoque verum videtur; illud miror: non vidisse viros doctos, qua de re certarent, eadem de re certatum Chaerestratum inter et Androclem, ut, quam hereditatem ille diceret Philoctemonis, huic Euctemonis diceretur (§ 56: *εἰ γὰρ, ὡς οὗτοι λέγουσιν, ... Εὐκτήμονός ἐστιν ὁ κλῆρος*, id est: *ὁ κλῆρος περὶ οὗ ἀμφισβητοῦμεν* [4]), non, quem intelligi iubet Schelling [5]): *ὁ Φιλοκτήμονος κλῆρος*), vel quum vidissent certatum

---

1) Isae. VIII § 31 (*ἐκ τούτου καὶ ἐξ ἐκείνης*).

2) Potueritne, quum esset Chaerestratus testamento, non inter vivos, adoptatus, quaerit Schoemann, ad Isaeum p. 198 (adnot. ad p. 197); opusc. acad. I p. 282[11]; Lipsius, *Att. Proz.* p. 605 not. 327.

3) E. g. Georgio Friderico Schoemann, ad Isaeum, pag. 321; opusc. acad. I pag. 277/8. A diversa parte stare video patrem, Mnemos. I p. 388.

4) Ita vertit Dareste, *les plaidoyers d'Isée* (1898) p. 122.

5) De Solonis legibus (1842) p. 112. Atqui Euctemonis mortui nihil suum esse poterat. Dicendum igitur Isaeo fuisset: *εἰ γὰρ, ὡς οὗτοι λέγουσιν, ... Εὐκτήμονος ἦν ὁ κλῆρος*, ut procederet interpretatio, quam refutamus.

esse, non intellexisse, quo ea certatio pertineret. Veluti scribit Schoemann [1]), Chaerestrato Euctemonis hereditatem, quasi Philoctemonis, petente *contra tetendisse adversarios*, sed non exprimit, quam ob rem *contra* hi *tetenderint*, immo, quum putet [2]) ideo Chaerestratum quasi Philoctemonis hereditatem petivisse, *ut, quo titulo pet(ere)t, statim appare(re)t*, omnem *contra tendendi* causam adversariis ultro eripit. Cur enim titulum a contradictore edi sibi noluissent, quod ponendum fuisset beneficii loco [3]). Atqui, si noluerunt Chaerestratum pro Philoctemonis herede gerere, omnique vi connisi sunt, ne hoc titulo ille uteretur, magnopere interfuerit oportet. Est autem res eiusmodi: non poterat Chaerestratus Euctemoni heres esse ex testamento Philoctemonis, quia debet unusquisque testari *περὶ τῶν ἑαυτοῦ* (Isae. X § 22), ergo, si vera erat intentio *τὸν κλῆρον εἶναι Εὐκτήμονος*, de quo ageretur, necessario sequebatur, *ὅτι οὐκ ἐξῆν Φιλοκτήμονι διαθέσθαι* in rebus scilicet alienis, idque ipsum ab Androcle non esse omissum, docet orator § 56: *εἰ γὰρ, ὡς οὗτοι λέγουσιν* [4]), *τῷ μὲν Φιλοκτήμονι μὴ ἐξῆν διαθέσθαι κτλ.* Ergo haec illi causa quasi de Philoctemonis hereditate agendi. Quamquam sufficere ea non videtur Rudolpho Dareste, putat enim Chaerestratum a Philoctemone in hereditatem paternam adoptari potuisse [5]), quod ne orator quidem ipse adseverare ausus est. Adversariis autem, cur negarent eum Philoctemonis heredem, ea causa erat, quia metuebant ne hoc titulo mox abuteretur ad insinuandum se in hereditatem Euctemonis. Quem metum non fuisse novum, eo demonstratur, quod similis controversia invenitur in quarta [6]) Isaei oratione, ubi Chariades, quam he-

---

1) Ad Isaeum pag. 321. In opusculis (I p. 272-284) hoc omisit.

2) Ad Isaeum pag. 321; opusc. I p. 277/8.

3) Cf. c. 11 C. 8. 31.

4) Nempe *ἐν τῇ ἀντιγραφῇ*, nam in ipsa diamarturia id non expresserant (§ 52, cf. § 62).

5) *Les plaidoyers d'Isée* p. 105/6: „*c'est .... comme fils adoptif de Philoctémon, qu'il pourra recueillir la succession d'Euctémon.*"

6) In tertia oratione (§ 3) ideo nulla talis controversia oritur, quia, quae petebat iure amitae Endii hereditatem, Endii mater eademque post adoptatum Endium a Pyrrho matris fratre amita, ea non negabat (*ὅτι Πύρρου*) *ἦν ἐξ ἀρχῆς ὁ κλῆρος*. Quibus verbis demonstratur amitam petivisse, sicut diximus, Endii hereditatem, proinde *τοῦ ἀδελφοῦ* non esse vertendum, quasi scriptum sit *τοῦ αὐτῆς ἀδελφοῦ* (ita vertit Dareste, *les plaidoyers d'Isée* (1898) p. 40 ia. p. 36), sed explicandum *τοῦ*

reditatem relictam esse dicerent Hagno et Hagnotheus a Nicostrato Thrasymachi, ipse relictam esse dicit a Nicostrato Smicri (§ 3: *Χαριάδης δὲ καὶ οἱ συνδικοῦντες αὐτῷ Σμίκρου μὲν πατρὸς εἶναι φασὶ τὸν Νικόστρατον, ἀμφισβητοῦσι δὲ τοῦ Θρασυμάχου υἱοῦ κλήρου*). Illud interest, quod inter Chariadem et Hagnonem Hagnotheumque de facto disceptatur: sitne ex Smicro Nicostratus an ex Thrasymacho; at inter Chaerestratum et Androclem de iure controversia est: sitne filii hereditas patre superstite. Non enim alio argumento adversus Chaerestratum uti poterant, qui Philoctemoni se heredem ex testamento dicebat, quam quod supervixerat pater Euctemo, siquidem demonstraturi erant, non: testamento aliquid deesse, sed: *ὅτι οὐκ ἐξῆν Φιλοκτήμονι διαθέσθαι.* Quod ita poterat procedere, si Philoctemonis nulla erat hereditas, alioquin, si erat hereditas, cur tandem heredem instituere sibi non potuisset [1]? Et satis apparet hac parte infirmam esse Chaerestrati defensionem, qui, ut demonstret Philoctemonis esse hereditatem, argumento utitur nullo, sed quasi furtim captat iudicum animos [2]), dum haud secus ac fortuito commemorat cum filio Philoctemone patrem Euctemonem aliquando censum esse (§ 38: *οὕτω πολλὴν οὐσίαν ἐκέκτητο Εὐκτήμων μετὰ τοῦ υἱέος Φιλοκτήμονος, ὥστε ἅμα τε τὰ μέγιστα ὑμῖν λειτουργεῖν ἀμφοτέρους κτέ.*), novit enim, quam id ad rem pertineat [3]). Nam, sicut Romae qui *duicensus* ideo dicitur, quod cum filio censetur, non is in bonis consortem nanciscitur et multo minus successorem, ita Athenis patris non desinit esse census, in quo filius *λειτουργεῖ* [4]). Habemus igitur actorem re

---

ἐμοῦ ἀδελφοῦ. Ceterum, quum vindicasset amita Endii hereditatem, ideo soror hereditatem quasi Pyrrhi vindicavit, ut posset, quasi de patris hereditate ageretur, uti *διαμαρτυρίᾳ*. Cui cessisse amitam apparet et *μάρτυρι ἐπισκήψασθαι*. Nihilominus Schoemann scribit, opusc. academ. I p. 277: „*διαμαρτυρίαν* in causa hereditatis pro fratribus interponi potuisse, quis umquam fando audivit?" Quod in illa causa re obtinuit.

1) Hactenus verum vidit Schoemann, opusc. academ. I p. 279 (ima): *si propria bona habuit, qui poterant negare de his eum testari potuisse? Nonne igitur hoc ipso, quod ius ei testandi negant, etiam propria bona ei fuisse negant*?

2) Similiter quod legitur § 47: Androclem *τόν τε Εὐκτήμονος οἶκον καὶ τὸν Φιλοκτήμονος* decrevisse sibi habere, captatio est, non argumentum.

3) Decepit nihilominus non modo Schoemannum aliosque multos grammaticos, sed etiam virum iuris consultissimum Dareste (*les plaidoyers d'Isée* (1898) p. 106).

4) Isae. II § 42. Cf. praeterea de duicensis: Isocr. XV § 145; Lys. XIX § 29, 42, 43.

confitentem filii nullam esse hereditatem patre superstite, quod adeo latuit viros doctos, ut quaesiverint acerrime, quis locus patri sit, et an omnino locus, in bonis filii ante defuncti [1]), quae bona aut nulla sunt [2]), aut patris vel naturalis vel adoptivi. Quod demonstrat Demosthenes in causa Spudiana (or. XLI), ubi narratur Polyeuctus quidam adrogavisse Leocratem quendam deinde vero adoptione rescissa reddere noluisse abdicato, *ἅπερ ἦν εἰς τὴν οὐσίαν εἰσενηνεγμένος* (§ 3, § 4), unde sequitur filium familias iure Attico nihil suum habuisse, sed omnia patri quaesivisse [3]). Itaque, sicut pater Siculus [4]), ita pater Atheniensis per filium heres existit, non quidem ex testamento, quia heredis institutio filiifamilias condicionem habet in adoptionem dationis [5]), sed ab intestato *κατὰ τὴν μητέρα* (cf. Isae. VII § 24), quam hereditatem eius matrimonii filii praecipient iudicio familiae herciscundae dotis exemplo [6]), quae interim mariti est [7]), quamquam solet in ea re errari [8]). Ideo autem dicimus heredis institutionem filiifamilias condicionem habere in adoptionem dationis, quia ipsa heredis institutio nihil est aliud nisi adoptio [9]) imperfecta, post mortem perficienda (*διὰ*) *τὰ κοινὰ γραμματεῖα* [10]); sunt autem *τὰ κοινὰ* (Isae. VII § 1) inprimis *τὸ φρατερικὸν* [11]), deinde vero *τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* [12]), nec debet quis *πρότερον εἰς τοὺς δημότας ἢ εἰς τοὺς φράτερας* (*ἐγγράφεσθαι*) [13]).

---

1) Cf. Lipsius, *Att. Proz.* p. 578 not. 263.

2) Putat Lipsius, *Att. Proz.* p. 579, hoc naturaliter usu venturum, ubi bona singulorum praecipue constent praediis. Quam probat ratiocinationem Beauchet, *Hist. du droit privé de la rép. Athén.* III (1897) p. 495.

3) Interdum etiam *ἀτιμίαν* (vit. Antiph. § 24 (i. f.); cf. Aesch. III § 21).

4) Cic. Accus. III 10 § 27, IV 7 § 19-21.

5) Cf. Isae. XI § 45.

6) Demosth. XL § 14, § 15.

7) Dotem esse mariti, non uxoris, manifesto demonstrat Demosth. XXVII § 4 et XXX § 7, § 10, § 16.

8) Cf. e. g. Lipsius, *Att. Proz.* p. 519 not. 111; Hitzig, *das griech. Pfdr.* (1895) p. 42[2]; id. *Ztschr. der Sav-St.* XVIII (1897) p. 155; Beauchet, *Hist. du droit privé de la rép. Athén.* I (1897) p. 303[2].

9) Isae. II § 14; VII § 1; XI § 41, § 45.

10) Isae. X § 6, § 9; Demosth. XLIV § 19, § 41, § 50 § 51.

11) Demosth. XLIV § 41.

12) Isae. VII § 27.

13) Demosth. XLIV § 44.

Illuc unde abii redeo: quum filius nihil suum habeat, ergo ante defuncti filii nec heres est pater et omni herede potior, quia recte intendit αὑτοῦ εἶναι, quaecumque filius reliquerit, nisi is in aliena familia decesserit [1]). Loquimur autem de iis scilicet filiis, quibuscum pater bona sua non diviserit; potest enim pater vel cum omnibus liberis [2]) vel cum quibusdam [3]) partiri, qui dicuntur χωρὶς οἰκεῖν et νενεμῆσθαι [4]), nec iam iis est cum patre fratribusque in potestate retentis κοινὴ ἡ οὐσία [5]). Quod non ita tibi est intelligendum, quasi revera socii sint in potestate retenti [6]), *quum istarum personarum nihil suum esse possit* [7]), sed quia *vivo quoque parente quodammodo domini existimantur* [8]), ideo κοινὴ quodammodo ἡ οὐσία existimari potuit. Scio sane oppositurus mihi legem Atticam, qua cavetur, ut filius pubes factus sicut ceteris parentibus [9]), ita patri inopi alimenta praestet et habitationem [10]), quod onus frustra iniungatur proprium nihil habenti. Sed pertinet lex imprimis ad ea, quae filius μισθαρνεῖ, eorum enim dominus esse videtur [11]), deinde vero ad avi materni legitimam hereditatem, hac enim ex epiclero filius pubes patre superstite potitur [12]). In ceteris igitur rebus vera sunt, quae superius comprehendimus; de his autem ipsis et χωρὶς οἰκούντων bonis prorsus ignorari fatendum est, quo ierint filio ante patrem mortuo. Iure utique Romano [13]) exceptis emancipatorum bonis etiam talia *non quasi hereditas sed quasi*

---

1) Demosth. XLIV § 32, § 33; Isae. XI § 45, § 49.
2) Lys. XIX § 37.
3) Demosth. XLVII § 34.
4) Demosth. XLVII § 35.
5) Demosth. XLVII § 34. — Diversum putat Lipsius, *Att. Proz.* p. 579 not. 264. Confundit scilicet *cum* filiis et *inter* filios (Demosth. XLIII § 19) divisionem. Quod explicabitur cap. XCIV.
6) Cavet ab isto errore Lipsius, op. cit. p. 579 not. 265.
7) Cf. Gai. II § 96.
8) Cf. Gai. II § 157; Paul. l. 11 D. 28. 2.
9) Isae. VIII § 32; I § 39.
10) Aesch. I § 13; Plut. Sol. 22.
11) Demosth. XXIV § 200, 201.
12) Cf. Lipsius, *Att. Proz.* p. 615 not. 356*a*; Thalheim, *Rechtsalterthümer* (1884) p. 10².
13) Quod quidem fuit ante Nov. 118.

peculium patri deferuntur [1]), modo filius intestatus decesserit *nullis liberis vel fratribus superstitibus* [2]), aut, si de nepotis bonis iure avi agitur, pater quoque decesserit [3]).

1) L. 2 D. 49. 17. — Plures locos dabit Windscheid (1891) § 516 not. 1*a*.

2) pr. Inst. II 12; cf. c. 10 pr., § 1 C. Th. 8. 18; c. 1 § 8 Nov. Theod. XIV (= c. 3 pr. C. 6. 61); c. 4 C. 6. 61; c. 33 (34) C. 1. 3; c. 11 C. 6. 59; c. 6 § 1*c* C. 6. 61. Add. c. 7 § 2 C. 6. 56.

3) c. 3 § 1 C. 6. 61.

AD CRATINUM.

Argumentum *Cratini* fabulae *Dionysalexandri*, quod in IV° volumine papyrorum Oxyrhynchiorum nuper est evulgatum [1]) — lacerum sane et capite truncum, ita tamen servatum ut summa rerum probe cognoscatur, — ultima verba haec sunt:

κωμῳ-
δεῖται δ' ἐν τῷ δράματι Πε-
ρικλῆς μάλα πιθανῶς δι'
ἐμφάσεως, ὡς ἐπαγηοχὼς (-γει- pap.)
τοῖς Ἀθηναίοις τὸν πόλεμον.

Omnia hic clara sunt et integra praeter vocem ἐμφάσεως. Quae quomodo sit corrigenda dubium non videtur. Nam quis fabulae Aristophaneae Acharnensium vel Plutarchi vitae Periclis memor non requirat hic nomen *Aspasiae*? Equidem confidenter scribo: κωμῳδεῖται ... Περικλῆς ... δι' Ἀσπασίαν, ὡς ἐπαγηοχὼς τοῖς Ἀθηναίοις τὸν πόλεμον.

Id quod in archetypo legebatur ΔΙΑCΠ$\overset{\mathrm{C}}{\mathrm{A}}$ librarius male interpretatus est et ita supplevit ut ΔΙΑЄΜΦΑC(εως) fieret, *emphaseos* termini grammatici tempore parum opportuno memor. Sic is qui Rempublicam Atheniensium exaravit in medio plebiscito ad rem *metricam* aberrans *senatum convocari* iussit *secundum caesuram semiquinariam*, τὰς ἕδρας ποιεῖν τῆς βουλῆς κατὰ πενθημιμερον. Ante oculos habebat κατὰ πενθήμερον *per quinque dies* (Rep. Ath. 30 § 4).

v. L.

1) Oxyrhynchus papyri IV p. 71 sq.

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur e Vol. XXX pag.* 188.)

XXIII.

DE ILIADIS CODICE A.

Imaginem phototypam codicis Iliadis A a Sythoffio nostro recens editam cum triennio abhinc pervestigare coepissem, desiderabam indicem. Quem meos in usus dum conficiebam, — excudendum et operi inserendum dein curavit editor de bonis litteris egregie meritus, — advertit me res quam nondum videram indicatam, sive mea haec fuit neglegentia, sive revera hactenus philologos fugit.

Codicem qui summa cura et egregie sibi constans neque intermisso ut videtur labore perscripsit librarius, in singulis paginis versus XXV exarare inde ab initio secum decrevit. In nonnullis [1]) tamen paginis sunt versus XXIII—XXVII. Quas paginas perlegentibus nobis mox apparet non caeco alicui casui deberi illam discrepantiam, — nedum socordiae sit insimulandus librarius homo diligens, — sed in paginis nimis brevibus versus quosdam suspectos deesse, in nimis longis dubios quosdam versus numero solito *ἀλόγους* — ut loquebantur veteres [2]) — superadditos esse.

1) Si bene numeravi, in duodevigesima quaque (38/630 = 1/17).

2) Cf. Enchir. dict. ep. LI sq.

Itaque sic rem se habere intellegimus. Exemplar, quod secutus est librarius, item in singulis paginis vicenos quinos — in singulis igitur membranis sive foliis duplicibus centenos [1]) — versus habebat a prima manu exaratos, sed hic illic a correctore unus et alter ex his deleti, alibi in margine unus vel etiam duo versus adiecti erant [2]). Eiusmodi paginas librarius qui codicem A scripsit uno duobusve versibus fecit auctiores aut breviores, ne a dispositione archetypi quod sequebatur aberraret.

Singulos locos indicabo.

Fol. 35ᵃ] B 538—565 (27). — In margine additos codex archetypus habebat versus duos; horum alter fuit versus 549, quem omittit papyrus Ox., alter fortasse fuit versus 557. — Praeterea in archetypo defuisse versum 558, ut in papyro Ox. et in ipso A aliisque, per se intellegitur.

Fol. 35ᵇ] B 566—592 (27). — In margine archetypus habebat B 579 sq., quos damnabat Zenodotus.

Fol. 41ᵃ] B 843—865 (23). — In archetypo scripti sed a correctore deleti erant versus duo, quos praebebant priscae quaedam recensiones: „Πηλέγονός θ' υἱὸς περιδέξιος Ἀστεροπαῖος" (post vs. 848) et: „Καύκωνας δ' αὖτ' ἦγε Πολυκλέος υἱὸς ἀμύμων" (post vs. 855).

Fol. 77ᵇ] E 761—786 (26). — In archetypi margine exulabat B 786, quem propter nimiam hyperbolam quidam olim omittebant.

Fol. 78ᵃ] E 787—812 (26). — Versum B 808 omittebat Aristarchus.

Fol. 105ᵃ] Θ 218—246 (26). — Versum Θ 235 damnabant Aristophanes et Aristarchus.

Fol. 106ᵃ] Θ 272—297 (26). — Versum Θ 284 omittebat Zenodotus, obelo notabant Aristophanes et Aristarchus.

Fol. 135ᵃ] K 452—477 (26). — Suspicor archetypum in margine habuisse versum famosum 457: „φθεγγομένου (vel -νη) δ' ἄρα τοῖο κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη."

---

1) Centesimum quemque versum in papyris Bankesiano aliisque (127, 128, 136 Mus. Brit.) indicatum esse meminisse iuvat nunc.

2) Sic ipse A in margine habet e. g. dubiae fidei versus Ξ 420 (fol. 188ᵇ), Σ 381 (fol. 246ᵇ), Τ 287 (fol. 265ᵇ), Χ 316 (fol. 288ᵇ).

Fol. 182[b]] Ξ 102—127 (26). — Versum Ξ 114 omittebat Aristophanes, damnabant Zenodotus et Aristarchus.
Fol. 227[b]] P 201—226 (26). — In margine archetypus habebat versum P 219, quem nunc omittunt D Lips. Townl.
Fol. 242[b]] Σ 176—202 (27). — In margine archetypus habebat vs. 200 sq., quos omittit Syriacus.
Fol. 247[b]] Σ 429—454 (26). — Ad versum 441 annotatum est: „ἔν τισιν οὐ κεῖται", nunc omittit papyrus Harris.; hunc igitur in margine habuit archetypus.
Fol. 262[b]] Τ 126—151 (26). — Codices multi omittunt versum 135.
Fol. 266[a]] Τ 303—330 (27). — Versus 316 sq. omittit Syriacus.
Fol. 289[b]] Χ 360—385 (26). — Versum 363 omittit D.

Non omnibus sane locis rei causam digito sic indicare licet; ego certe dicere non habeo cur etiam sequentes paginae sint versuum XXVI:

fol. 60[b] (Δ 460—485), 82[a] (Z 76—101), 82[b] (Z 102—127), 83[a] (Z 128—153), 83[b] (Z 154—179), 86[a] (Z 280—305), 88[a] (Z 386—404)[1]), 103[a] (Θ 116—141), 108[a] (Θ 374—399),

versuum XXVII:

fol. 167[a] (N 151—177), 167[b] (N 178—204), 175[a] (N 558—584), 175[b] (N 585—611),

versuum XXIV:

fol. 298[a] (Ψ 262—285), 298[b] (Ψ 286—309), 301[a] (Ψ 410——433), 301[b] (Ψ 434—457).

Eadem tamen quin plerisque horum locorum rei causa fuerit, minime videtur dubium; veri autem est simile in quibusdam archetypum deletos aut in margine adiectos habuisse versus, quos prima manus mero errore bis scripsisset aut omisisset.

Mitto nunc paginas iusto breviores longioresve, quas adiecit manus recentior[2]).

---

1) Incipit autem haec pagina a linea meris punctis obducta. Desunt ibi versus quinque (381—385) contextu invito; cuius vitii causa fuit idem versus bis hoc loco lectus (380 = 385). Errorem commisit (aut ex alio codice repetivit) librarius archetypi, agnovit autem librarius noster, sed lacunam unde sarciret non habuit.

2) Paginas dico 74[b], 229[a], 229[b], 234[b], 238[a], 254[a], 256[b], 257[b]. Una tamen in his

Sed addendum est aliquid de paginis nonnullis, quae licet revera sint versuum XXV, plures habere videntur si solum indicem inspicias; e. g.: „fol. 17^a] A 271—276." Dixeris XXVI versus in ea pagina legi, sed deest in A, ut in codicibus plerisque, versus A 265: sequitur ut etiam in archetypo defuisse eum statuamus. Idem valet de ceteris quas indicabo paginis.

Fol. 17^a]	om.	A 265.
27^a]	„	B 168.
43^b]	„	Γ 78.
58^b]	„	Δ 369 [1]).
63^a]	„	E 42 (item Ox. alii).
95^b]	„	H 234.
98^a]	„	H 368 sq.
98^b]	„	H 385.
104^a]	„	Θ 183.
106^b]	„	Θ 315.
109^b]	„	Θ 466—468.
111^a]	„	Θ 548 et 550—552.
120^b]	„	I 458—461.
129^b]	„	K 191.
136^b]	„	K 531.
148^a]	„	Λ 543.
150^b]	„	Λ 662.
158^a]	„	M 197.
158^b]	„	M 219.
169^a]	„	N 255.
170^a]	„	N 316.
Fol. 172^a]	om.	N 422.
178^a]	„	N 731.
178^b]	„	N 749.
181^b]	„	Ξ 70.
185^b]	„	Ξ 269.
188^b]	„	Ξ 420.
200^b]	„	O 481.
213^b]	„	Π 381.
218^a]	„	Π 614 sq.
219^b]	„	Π 689 sq.
235^a]	„	P 585.
246^b]	„	Σ 381.
255^a]	„	T 177.
265^b]	„	Υ 287.
273^a]	„	Φ 151.
278^b]	„	Φ 434.
280^a]	„	Φ 510.
284^b]	„	X 121.
288^b]	„	X 316.
304^a]	„	Ψ 565.
308^b]	„	Ψ 804.
324^b]	„	Ω 693.

mentione digna est 74^b, ubi rei ratio clare perspicitur. Nam qui sex folia olim deperdita (E 336—635) supplevit, codicis librarium imitatus in singulis paginis et ipse versus exaravit XXV; sed cum in pagina 71^a per errorem omisisset versus 438 sq., in ultima lacunae pagina quos scriberet nonnisi XXIII habuit.

1) *In margine* postmodo est additus, sed id nihil nunc ad nos; itaque ne sequentibus quidem locis versuum in margine suppletorum habebo rationem.

MOMMSENI EPISTULAE QUATUOR.

Iohannis Cornelii Gerardi Boot, qui annis repletus non onustus post hilaram senectutem in otio negotiosissimo ante triennium extinctus est, filia honoratissima benigne nuper nobiscum communicavit epistulas, quas annis abhinc fere quadraginta Bootio misit Theodorus Mommsen. Integris tunc viribus florebat uterque, nunc ambos terra habet; sed et Bootii memoria diu vivet inter omnes quibus bonae litterae curae sunt et nomen Mommseni late resonat resonabitque. Quapropter his epistulis, quibus clarum illud nomen est praescriptum, philologos frustrari noluimus, licet argumenti sint tenuioris.

I.

Mommsenus Bootio S. P. D.

Iam redit ad Te, vir optime et humanissime, quem mihi utendum transmisisti Morilloni liber hodie bibliothecae publicae Vestrae; exemplum eius meo iussu paratum propediem mittetur Roma ibique a sociis accurate excutietur. Tibi vero pro prompto Tuo paratoque officio gratias ago quam maximas et ut aliquando referre liceat vehementer exopto. Scripsi Berolini d. 4 m. Dec. a. 1860.

II.

Hochgeehrter Herr College,

Es was mir leider nicht möglich meinen Besuch bei Ihnen zu wiederholen, nachdem ich Sie am Nachmittag verfehlt hatte: denn mein Aufenthalt in Amsterdam war auf einen Tag beschränkt und der Abend durch die Untersuchung der beiden epigraphischen Handschriften der Stadtbibliothek in Anspruch genommen. So bin ich genöthigt eine Bitte, die ich Ihnen lieber mündlich vorgetragen hätte, nun schriftlich vorzubringen.

Der eine der beiden Codices, deren Untersuchung mir Hr. Lodeesen möglich gemacht hat, bezeichnet N. 111 [1]), muss für unser Corpus vollständig abgeschrieben werden. Er ist, wie ich ermittelt habe, geschrieben von Anton Morillon [2]), aus dessen Sammlung Smetius verschiedenes mitgetheilt hat, und enthält schwerlich sonst unbekannte Steine, aber brauchbare Abschriften bekannter. Auf meine Frage, in welcher Weise ich etwa die Mittheilung der Handschrift hieher erlangen könne, rieth mir Hr. Lodeesen Ihre Mitwirkung in Anspruch zu nehmen, und ich wage dies um so eher, als es mir genügt den Codex auf vier Wochen benutzen zu können. Wenn Sie es über sich nehmen wollen mir denselben auf diese kurze Frist zukommen zu lassen, so ist die Sache damit erledigt und ein nicht unwichtiger Baustein für unser Werk gewonnen.

1) Nunc in Bibliotheca Amstelodamensi est I D 27, vid. Catalogus der Handschriften II (1902) sub n° 885.

2) Immo a Davide Blondel exaratum testatur qui Codicum Catalogum illum confecit amicus Mendes da Costa.

Ich habe aus dem schönen Holland manche freundliche Erinnerung mitgenommen und für das Unternehmen, dessen wegen ich diese Reise unternommen, überall eine wahrhaft wissenschaftliche Theilnahme gefunden; darum glaube ich auch Ihnen mit einer Bitte kommen zu dürfen, die ich sonst unterdrücken würde. Genehmigen Sie die Versicherung meiner Hochachtung und Ergebenheit.

Berlin, Neuenburger Strasse 31 Mommsen.
30 Oct. 1861.

Möchten Sie die Gefälligkeit haben Hern. Lodeesen mitzutheilen, dass der Catalog der dortigen Stadtbibliothek der hiesigen königlichen Bibliothek bereits früher als Geschenk zugekommen sei, und dass derjenige unserer Handschriften, so weit er erschienen, demnächst als Gegengabe der dortigen Bibliothek zugehen werde. Hr. Pertz hat sofort bei der Regierung der erforderlichen Antrag gestellt und dessen Gewährung ist selbstverständlich.

III.

Bootio V. C. Mommsenus S. P.

Petiisti a me, ut copiam tibi faciam collationis eius quam dum Florentiae moror ante annos paene viginti confeci Ciceronis ad Atticum epistularum libri Medicei. Ignoras autem id per me impetrari non posse, cum ex Italia redux collationem hanc cesserim optimo amico Mauricio Hauptio de omnium epistularum Ciceronis tunc cogitanti editione, qua in editione ego quoque quodammodo socius eram futurus. Iam quamquam editio haec nostra quae futura erat haud scio an numquam publicam lucem sit visura, tamen tu intellegis non meam esse de ea re potestatem, sed Hauptii, a quo ipso Hoffmannus quoque obtinuit, ut partem subsidiorum meorum edere sibi liceret.

Recte vero facis, quod huius corporis editionem paras commentario instructam. Nisi tot negotiis distinerer, maxime eo, quod omnem lapidem ut moveam iratus credo mihi Iupiter imposuit, vellem ad propositum olim susceptum a tuo non admodum abhorrens reverti; iam non restat nisi ut gratuler mihi de tanta spe, quantam nobis facis. Specimen quod misisti libenter accepi. Scripsi Berolini d. Iul. 6 1864.

IV.

Theodorus Mommsenus l. C. G. Bootio S. P. D.

Grato animo, Vir Clarissime, ex litteris Tuis intellexi paratum Te esse ad mittendum librum scriptum bibliothecae publicae Vestrae, quem in itinere nuper perfecto inspexi coeptaeque syllogae inscriptionum Latinarum aliquod incrementum allaturum esse vidi. Nolim tamen in tali negotio uti librariorum opera lenta certe nec satis tuta, a qua in huiusmodi negotiis perficiendis adhuc sedulo abstinui neque unquam codicem scriptum nisi per tabellarios publicos misi. Quare rogo Te ut librum illum per eos ipsos ad me destines meo scilicet sumptu, neve domus in qua habito accuratam indicationem adscribere omittas. Propediem eademque via ad Te redibit.

Dalianum codicem quod inspecturum Te esse mea causa promisisti non rogatus, gratum fuit adeoque iucundum; sublevat enim animum improbo illo labore defessum et quodammodo fractum operis societas ab optimis quibusque doctissimisque viris ultro suscepta. Quamquam non multum in schedis illis Te repertarum esse existimo, quod copias nostras augeat; certe editi eiusdem auctoris libri nullis nisi editarum syllogarum subsidiis instructum eum fuisse ostendunt.

Boeckhium, quem recentibus honoribus laboribusque minime fatigatum vegetum hilaremque laetus vidi, Tuo nomine ut iussisti salutabo. Siquid habebis, quod hic curatum velis, fac me certiorem.

Berolini, Neuenburger Strasse 31
5 Nov. 1866.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J.F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN,
J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.

VOLUMEN TRICESIMUM SECUNDUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1904.

INDEX.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ex officina typographica et bibliopolio antehac E. J. Brill.